ato del Illmo.
Alfredo A. Ca

FABRIC
BIBLIOT
LATIN



BIBLIOTHECAE LATINAE

SIVE

NOTITIAE AVCTORVM VETERVM LATINORVM

LIBER II.

De Scriptoribus Argenteae aetatis ab Imperii Tiberiani temporibus ad aetatem usque Antoninorum.



CAPVT I.

DE

C. IVLIO HYGINO.

I. *Hygini aetas.* II. *Scripta deperdita.* III. *Tributus ei fabularum liber.* IV. *Poëticon Astronomicum.* V. *Obiter de Fulgentii Planciadis Mythologico et libello de Prisco sermone, ibid. Hyginus Gromaticus.* VI. *Index Scriptorum ab Hygino laudatorum.* VII. *Fulgentii Mythologicon.*

I. C. IVLIVS *a*) HYGINVS Hispanus (sive Alexandrinus potius) Augusti Imp. libertus et Ovidii Poëtae familiaris, Polyhistorem *b*) et Grammaticum Graecum, Cornelium Alexandrum, reddere latine conatus, praefectus fuit Palatinae Bibliothecae, atque plurima scripsit. Coniungit eum cum Arato, Marciano Hispano, Iulio Firmico et Ptolemaeo, Honorius Augustodunensis lib. 2. cap. 5. de Philosophia Mundi.

 II. Genui-

a) Hoc quidem, quod e Svetonio c. 20. de Grammaticis posui nomen *Caii Iulii* tam in MSS. libris fabularum, quam Poëtici Astronomici, non occurrit, teste Iac. Micyllo et Guil. Morello: Vnde Scheferus colligit, ea esse alterius et iunioris Hygini, qui scripserit aetate circiter Antoninorum. De Hygino, qui post captam anno V. C. 707. Alexandriam a Iulio Caesare Romam dicitur advectus fuisse, videndus inprimis Nicolaus Antonius Bibl. veteris Hispanae libro et capite primo.

b) *Polyhistores* dicti, praeter Hyginum, *Cornelius Alexander* Grammaticus, atque *Apion* Alexandrinus. Etiam Solinus Collectanea sua Polyhistorem inscripsit, et nostra aetate eruditum suum de notitia librorum opus Dan. Georgius Morhofius.

II. Genuina illius Hygini ſcripta, quae veteribus memorantur, ad unum omnia periere, qualia *c*) ſunt: *De ſitu urbium Italicarum*, apud Servium in III. et VII. Aeneid. *Liber ſecundus urbium*, apud Macrob. V, 18 Reſpicit et Hyginum laudans lib. I. cap. 7. item Plinius lib. IV. Hiſt. Nat. *Liber ſecundus de agricultura*, Chariſius I. Gramm. p. 115. licet Columellae codices quidam pro Iulio Hygino habent Graecinum lib. I. cap. 2. Sed Hygini nomen recurrit lib. 9. cap. 2. et 13. ubi de apibus eum diligenter ſcripſiſſe Columella ſignificat. *De arte militari*, Sarisber. VI. Policratici cap. 19. *De proprietatibus Deorum*, Macrob. III, 8. *De Diis Penatibus* liber Macrob. III, 4. *Libri de vita rebuſque illuſtrium virorum*, quorum *ſextus* laudatur a Gellio lib. I. cap. 14. et Io. Sarisberienſe V, 7. policratici. Ex hoc opere videntur quae de Africano habet idem lib. VII. cap. 1. Laudatur, etiam ab Aſconio Pediano in Piſonianam, et S. Hieronymo praefat. libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Eoſdem, an *exemplorum* librum, idem in Chron. Euſeb. *quod et in libro Hygini hiſtoriae ſingulae conſcriptae declarant*. *Exempla* Gellius X, 18. *Commentarii in Virgilium* Servius et Gellius. Neque aliud fortaſſe opus eſt, e quo Gellius XVI, 6. illa de bidentibus refert, ex Hygino Iulio *in quarto librorum*, *quos de Virgilio fecit*. Intelligo enim quartum, ſive ut in Macrobii codicibus VI, 9. legitur, quintum commentariorum in Virgilii librum. Ita ſaepe in Graecis ſcriptoribus τὰ περὶ Ὁμήρȣ, τὰ περὶ Ὀδυσσείας, τὰ περὶ Ἀλκαίȣ, notant commentaria in illos poëtas, ut alibi notavi. *Cinnae Propempticon*, Chariſius I. Grammat. pag. 108. ſeq. *De familiis Troianis* Serv. ad V. Aeneid.

III. Ex-

c) Notata ſunt Hygini ſcripta deperdita ab Elia Vineto ad Sveton. cap. 20. de Grammat. Voſſio lib. I. de Hiſt. latin. cap. 20. et Harduino in elencho auctorum a Plinio maiore commemoratorum.

III. Exſtant ſub Hygini nomine, oratione humili et plebeio ſermone deſcripta, ac vix cuiquam antiquorum laudata. 1. *Liber fabularum* 277. quibus praemiſſae *genealogiae* breves *Mythicae* ab Heſiodi Theogonia et Apollodoro paſſim diſſidentes. Hinc *Genealogiarum* titulum libro praefixum in MS. Friſingenſi reperit Micyllus. Etiam auctor ipſe ſcripſiſſe ſe Genealogias teſtatur lib. 2. Poët. Aſtronom. cap. 12. de Perſeo. *Graecae fuerunt Gorgonum cuſtodes, de quo in primo libro Genealogiarum ſcripſimus.* Opuſculum hoc ipſum, ad Poëtas et totam veterem Mythologiam intelligendam haud inutile, videtur longe plenius olim fuiſſe, et ab auctore diviſum in duos libros, *d*) ſed ad nos mutilum turbatumque pervenit. Plura quam nos hodie in illo

A 3 pridem

d) Epitomen nos tantum habebere putabat Barthius, confectam a neſcio quo *Aviano* vel *Ammiano*, cuius nomen reperit in MS. Idem viſum Gerh. Io. Voſſio lib. III, de vitiis ſermonis cap. 12. et viro Cl. Thomae Galeo in diſſ. de ſcriptoribus Mythologicis p. 40. ubi ait Grammaticum quemdam MS. penes Iſ. Voſſium teſtari, ſe eam feciſſe Maximo et Apro Coss. Reineſius affirmat, centonem eſſe e variis auctoribus conſtipatum lib. 3. Var. lect. cap. 2. pag. 373. et cap. 8. p. 480. *Thom. Munkerus* in diſſ. de autore Mythol. Hyginianae, cui etiam *Petri Scriverii* de Hyginis commentatiunculam inſeruit, ſuſpicatur a terrigena quodam Aviano tempore propemodum rei Romanae iam emorientis, undique ex Servio, Scholiaſte Germanici aliiſque veteribus Scholiaſtis, et mythologis conſarcinatam. Lib. 4. Poëtici Aſtronomici cap 13. adducuntur verſus petiti ex Prudentii lib 3. contra Symmachum. Sed utique verſus illi adiecti videntur ab aliena manu, nec in primis exſtant editionibus. Scaliger ad Euſeb. p. 10. non invitum ſe concedere ait, hunc mythologum converſum fuiſſe ex Graeco: quod ita verum eſſe poteſt, ut ex Graecis auctoribus ſua hauſerit. Quam in ſententiam Munkerus quoque, *ut credamus*, inquit, *bonam partem harum fabularum ex Hygino eſſe deſumtam, negari tamen non poteſt, cum non pauca illis eſſe aliunde adſuta, tum nonnulla ab homine Graece non valde docto in latinum ſermonem verſa.* Poëticon Aſtronomicum ex Eratoſthene et antiquioribus concinnatum eſſe notat idem Scaliger ad Manilii lib. 1. pag. 34. Sane Eratoſthenis Cataſteriſmos fere integros libro ſuo inſeruiſſe, collatio oſtendit et notavit praeſtantiſſimus Oxonienſis Epiſcopus in ſua ad illos praefatione, etſi Salmaſius lib. de annis Climactericis pag. 594. exiſtimavit ab Hygino tranſcriptam Sphaeram Graecanicam Nigidii Figuli.

pridem legiſſe ſe innuit S. Paulinus, cuius haec ſunt Poëm. ult. adverſus gentes v. 131.

Iſta quidem mulier (Veſta) *ſicut commendat Hyginus*
Stamine prima nova veſtem contexuit olim
Nomine de proprio dictam quam tradidit ipſa
Vulcano, qui tunc illi monſtrarat opertos
Cuſtodire focos. Hic rurſum munere laetus
Obtulit hanc ſoli per quem deprenderat ante
Martis adulterium. Hunc omnis credula turba
Suſpendunt Soli per Vulcanalia veſtes.

Fabulas has Hygini primus edidit *Iacobus Micyllus* Baſil. 1535. fol. praemiſſas *e*) Poëtico Aſtronomico. Iterum recenſitae ab *Hieron. Commelino* prodierunt una cum Fulgentii Mythologicis, et Allegoria Virgilii, Albrico, atque Firmici libello de errore profanarum religionum, Heidelberg. 1599. 8. *Si credere famae licet*, inquit Thom. Munkerus, *emendaverat iam olim Hygini fabulas ex veteribus libris, et Hamburgum, uti ibi publicarentur, miſerat Io. Pricaeus.* Separatim quoque prodierunt Lugd. Bat. et Amſtelodami ap. Gaesbekios 1670. 12. cum emendationibus notiſque ex Caſp. Barthii Adverſariorum opere collectis. Fabulis Hygini *genealogiarum* titulum in quibuſdam Codicibus praefixum, non mirabitur, qui primum caput leget, licet longe plura in caeteris ſint oppido a genealogiarum argumento aliena. Multa Hyginum ad verbum paene, ordine in multis praepoſtero, tranſtuliſſe ex *Apollodoro* Graeco ſcriptore, neque nominaſſe, obſervat Scipio Tettius commentario de Apollodoris, idque voluit patefacere in praegrandi volumine, quod ſcripſerat de his, quae Latini de Graecis Scriptoribus patefecerunt.

IV. Al-

e) In eodem volumine quod iterum Baſil. ex officina Hervagiana prodiit a. 1549. fol. iunctim excuſa ſunt Palaephatus et Phornutus latine, Fulgentii Mythol. et de vocibus antiquis, Albricuſque, tum Aratus et Procli Sphaera graece et latine, et Metaphraſis latina Arati Germanico auctore.

IV. Alterum opus eſt *Poëticon Aſtronomicum*, ſive ut mavult Scheferus, *Poëtica Aſtronomica ad M. Fabium f) libris IV.* (ut in recentioribus Codicibus diſtinguitur) quorum 1.) de mundi ac ſphaerae, et utriuſque partium declaratione, 2.) de ſignorum coeleſtium hiſtoriis, 3.) de deſcriptionibus formarum coeleſtium, 4.) de quinque circulorum inter corpora coeleſtia notatione et planetis. Prodiit primum Venetiis a. 1482. et 1485. curante Erhardo Ratholt Germano, deinde ibidem apud Aldum anno 1497. poſtea Coloniae Agripp. 1535. emendante ad Codices MSS. *Sotere*, et eodem anno Baſileae cura *Micylli*, qui praeter fabulas Hygini, etiam annotatiunculas quaſdam in ora libri adiecit. Ratholti editionem ſecuta eſt illa *Ludovici Vivis* Pariſ. 1536. Micyllianam *Iacobus Parantius* ibid. 1578. *Ioannes de Gabiano*, Lugd. 1608. et *Ioannes Scheferus*, qui notas et indices addidit Hamb. 1674. 8. Soteris ἔκδοσιν expreſſit in pleriſque *Guil. Morellus* Pariſ. 1559. Morellum Commelinus ex officina Sanctandreana a. 1589. 8. et *Thomas Munkerus*, qui praeterea uſus eſt excerptis quinque Codicum MSS. *g)* et cum Hygino diligenter contulit, quicquid e Scholiaſtis veteribus, Mythologis, Poëtis, aliiſque ſcriptis ad eum caſtigandum illuſtrandumque facere poterat. Editionum itaque praeſtantiſſima eſt, quae Mythographis Latinis a Thoma Munkero illuſtratis prae-

f) *M. Fabium Quintilianum* Volaterrano. Negat quidem Scheferus, quia nullam eloquentiae laudem diſerte tribuit Hyginus huic Fabio. At equidem, ni tempus repugnet, dubito an tanti momenti ſit hoc argumentum. Quin ait Hyginus, ex ſcriptis huius Fabii perſpici poſſe, Grammaticum non verſuum moderatione tantum, ſed hiſtoriarum quoque varietate praeſtare debere. Id quod traditum a Quintiliano VIII, 1. Inſtit. ut pulchre obſervavit Nicolaus Antonius. Ad hoc opus reſpiciens Ioannes Sariſberienſis Hyginum laudat II, 18. Policratici, et Iſidorus de natura rerum cap. 17. 19. et 47. ante hos Marcianus Capella.

g) Aſtronomici Hyginiani editionem molitus erat Ianus Vlitius, ut ex Sarravii Epiſtolis p. 95. apparet, et huius Vlitii collatione quatuor Codd. MSS. cum editione Parrantii Munkerus in expoliendo Hygino uſus eſt.

praefixa, prodiit una cum *Fabii Planciadis Fulgentii* Mythologiis, in tres libros distinctis, et *Cato* presbytero Carthaginiensi inscriptis, libello de *continentia Virgiliana h*) ad Chalcidium Grammaticum, et altero (ad eundem) de prisco *i*) sermone, *Lactantii Placidi* argumentis *k*) Metamorphoseon Nasonianarum, et *Albrici l*) Philosophi commentariolo de imaginibus Deorum Amst. 1681. 8. 2. Volum. Iohannes quoque Schefferus utrumque Hygini scriptum cum suis commentariis et praeclaris indicibus, ac Thomae Munkeri notis atque emendationibus in Mythologiam, sed quas ipse deinde auctor nimium festinatas confessus est, edidit Hamburgi 1674. 8. In Munkeri editione Poëticon Astronomicum imagi-

h) De hoc dixi supra lib. 1. cap. 12.

i) Hunc librum cum Fulgentii Mythologico ediderant Pius, Micyllus et Commelinus: cum Nonio Marcello Hadr. Iunius nimium sibi quandoque licere ratus anno 1565. 8. Iuniumque secuti Parisienses 1585. 8. ac denique Iosias Mercerus ibid. 1614. 8. Praeterea cum Isidori Hisp. Originibus Bonaventura Vulcanius a. 1575. fol. optimo codice usus, et in auctoribus latinae linguae Dionysius Gothofredus Genev. 1602. 1622. 4. Ceterum nescio, an fidem apud cordatos lectores inventurus sit, praefidens Munkeri suspicio, qua coniicit *Fulgentium in hoc libello licere sibi arbitratum ut auctoritatem advocaret complurium scriptorum, qui nunquam videntur exstitisse, certe aliis incomperti sunt, quod eius aetate magna sui parte non a Gothis tantum, sed ab ipsis Christianis praepostero religionis zelo spoliatae essent Bibliothecae:* Rectius notarunt viri docti, Fulgentium, quando Graecos scriptores allegat, usum veteribus latinis Graecorum illorum auctorum versionibus.

k) De his dictum supra lib. I. c. 15.

l) *Albricus* sive *Alfricus* Londinensis floruit circa a. C. 1217. et librum illum de imaginibus Deorum, sive *Poetriam;* ut vocat Bradwardinus in causa Dei contra Pelagium p. 157. fere collegit ex Fulgentio. *Poëtarium* vocatur in Cod. MS. Regio Paris. de quo Labbeus Bibl. nova MSS. p. 272. Non integrum autem ediderant Micyllus et Commelinus, quali in aedibus Vossianis usum fuisse se testatur Cornelius Tollius ad Palaephatum pag. 165. Sed nec Munkerus integrum dare potuit, quoniam Vossius ea de re appellatus respondit, se vel donasse Tollio vel certe commodasse, nec postea, cum diem suum obiisset Tollius, rescisse, quid eo libro factum sit, et haeredes quoque Tollii negaasse, in supellectile eius libraria ullum a se Albricum inventum. Idem Tollius pag. 242. ex eadem If. Vossii Bibl. meminit mythologi antiqui inediti Albrico Boccatioque longe antiquioris, qui ex eo multa desumserint, etsi recentioris Servio et Fulgentio, a quo ipse vicissim non pauca fuerit mutuatus.

imaginibus aeri incisis est exornatum, quas ex Grotii Arateis editor depromserat, uti Soter in suo Hygino illas exhibuerat, et Micyllus deinde ac Commelinus servavit ex Ptolemaica διαγραφῆ. Equidem hoc genus ornamenti omisisse se ait Scheferus, quod sciret eas, quae in antiquis editt. occurrunt, nec veteres esse, nec asterismos recte exhibere dispositos, quod idem etiam de Grotianis paulo ante in Germanico observare memini. Sed Munkeri editio splendidius repetita est a. 1741. 4. Lugduni cura *Augustini van Staveren*, nec sine novis bonis. Nam et libris scriptis pluribus Hygini usus est, et *Thom. Wopkensii* emendationes et coniecturas addidit, atque suas notas, in quibus etiam res mythologicas luce nova perfundere tentavit, quibus cognoscendis plurimum operae insumserat. Scripta Hygini, quae exstant, prodiere etiam Basil. ex officina Episcopii 1570. f. una cum Palaephato et aliis.

V. 3. *Liber Gromaticus* sive *de limitibus constituendis*, qui sub Hygini nomine exstat, sed iunior est, et Traian. Imp. meminit, commemorabitur nobis infra libro IV. inter scriptores Agrimensorios.

VI. Indicem scriptorum ab Hygino et interpretibus Graeci Poëtae Arati laudatorum iunctim dedi lib. 3. Bibliothecae Graecae cap. 18. Sed placet a solo Hygino memoratos hic referre separatim:

INDEX SCRIPTORVM
AB HYGINO LAVDATORVM AD PAGINAS EDITIONIS MVNKERIANAE.

Pag. 343. Poëticon Astronomicon m) liber incipit.

Aeschylus pag. 376. 384. 411. in Phorcysin 376. Prometheo soluto 371.

Aglaosthenes 358. 387.
Alexander (Aetolus) 395.
Amphis Comicus 356.

 Ana-

m) Praeter scriptorum sphaerae, obscurius ab Arato dicta planius se prosecutum profitetur Hyginus pag. 346.

Poly-

Polyzelus Rhodius 381.
Sophocles 375.
Sositheus 402.
Thales, primus de rebus Astrologicis disquisivit et primus arcton appellavit, natione Phoenix 360.
Thamyris a Musis excoecatus 370.
Theseus, eruditus omni genere artium 370.

VII. *Mythologicon Fulgentii* lucem primum adspexit Mediolani a. 1487. cum commentariis Io. Baptist. Pii, sed quos levioris momenti esse Munkerus affirmat. Tum Aug. Vind. cum Iac. Locheri commentariis a. 1521. Hinc Basileae apud Hervag. 1535. 1549. cum Hygino et alius et annotatiunculis Micylli. Prodiit etiam a. 1536. et 1566. 8. ibid. ex officina H. Petri cum Fulgentii Episcopi operibus, quae recusa sunt a. 1587. ibid. ap. Seb. Petrum filium cura Henrici Iusti. Micyllianam editionem fere secuta Parisiensis est a. 1578. et Lugdunensis a. 1608. Inprimis vero laudata est Commeliana a. 1589. 8. cum Hygino aliisque duobus Fulgentii opusculis et libello Albrici. Huius praecipue vestigiis institit Munkerus, usus praeterea duobus MSS. Leidensis Bibl. Idem in prolegomenis exhibet supposititiam *Fulgentii Mythologicon praefationem*, quam Iac. Faber Daventriensis in veteri MS. reperit, et ex Fabri idiographo, quod exstat Lovanii in Bibl. Augustinensium, edidit Iac. Revius in Hist. Daventriae p. 141. Editionem Fulgentii Munkerianam nimis, ut solet, acerbe perstringit Iac. Gronovius ad fragmentum Stephani Byz. de Dodone p. 33. seq. In hos libros *Mythologicon Fulgentii*, commentarium Ioannis Guallensis memorat Ioannes Lelandus pag. 307. de Scriptoribus Britannicis. Christianum esse scriptorem illum Fulgentium, haud dubium est: num autem Ruspensi tribuendi sint hi libri, recte iam olim dubitavit Sigebertus. Itaque Bollandus in Actis Sanctor. 14. Ianuar. T. 1. pag. 972. mavult illos tribuere Fulgentio Astigitano et Neocarthaginensi Episcopo, qui saecu-

ſaeculo VII. claruit. Verum et hoc parum veriſimile videtur Nic. Antonio, quem vide ſis IV, 1. Bibl. veteris Hiſpanae p. 237. ſeq. In Codice Gottorpienſi 600. annorum, cuius lectiones a Gudio editioni Baſileenſi Henrici Petri 1543. 8. adſcriptas poſſideo, hic praefigitur titulus: *Fabii Planciadis Fulgentii V. C. Mythologiarum Fabularum lib. incip. primus.* Planciadi tribuit etiam Ioannes de Wouweren, cuius manu emendatos et illuſtratos a capite ad calcem hoſce libros itidem nactus ſum ex auctione Gudiana.

TH. MVNKERI INDEX SCRIPTORVM
A FVLGENTIO LAVDATORVM

ad paginas editionis Mythographorum Latinor. Amſt. 1608. 8.

continentia Virgil. pag. 137. et de priſco ſermone p. 167. incipit.


n) Voss. *Echemenes.*

o) *Statius Caecilius in Mel.* Godofr.

Ruti-



CAPVT.



CAPVT II.

DE

M. VELLEIO PATERCVLO.

I. *Velleii aetas et libri duo Historiarum.* II. *Editiones.* III. *Fragmentum ei tributum de victoria Suevorum a Romanis reportata.* IV. *Francisci Asulani sententia libros duos Historiarum habentis pro suppositiis.*

I. P. a) VELLEIVS PATERCVLVS, ex equestri familia Romanus, variis muneribus functus, denique cum fratre a Tiberio imperium auspicato factus praetor, annoque 17. eius imperii, Vrbis 783. qui erat Ch. 30. condidit succinctam *Historiam*, inscriptam b) M. Vinicio Cos. *libris II.* qui extant, sed ita, ut *prioris*, qui in perstringendis breviter variarum gentium ante Romam conditam rebus versata fuisse videtur, partem maiorem, caput, finem et in medio c. 8. sexcentorum annorum res desideremus. Liber *posterior*, historiam Romanam

a) *Publium* Velleio praenomen dant Taciti Codices III, 39. Annal. et Aventinus, et prima editio B. Rhenani, et Velleius Burerianus MS. teste Valente Acidalio et Iacobo Schegkio. Iraque hoc iam magis probo, licet alibi Codices Prisciani secutus *Marcum* praetuli, et video in editionibus quibusdam *Caium* appellari. Sed Caium Velleium avum suum noster appellat II, 76. Fuit is forte C. Velleius Senator, secta Epicureus, cui Cicero collocutoris partes tribuit in libris de natura Deorum. Alius C. Velleius in veteri inscriptione apud Sponium p. 89. Misc. et M. Velleius apud Ciceronem 3. Philippica cap. 10. pro quo alii codices *Vebilium* aut *Vellium*, ut in P. Pithoei operibus p. 137. sed typographi vitio, ni fallor, exhibent. Vitam ex nostri ipsius scriptis diligenter et ingeniose, ut solebat, collegit eruditissimus Vir H. Dodwellus in Annalibus Velleianis, qui cum Annalibus Quintilianeis, et Statianis prodierunt Oxon. 1698. 8.

b) De Vinicio Consule vide Meursium ad Phlegontem p. 157. et Sam. Basnage V. C. Annales ad A. C. 30. n. 1.

manam, ab Vrbis Origine libro priore coeptam, persequitur ad excessum Liviae, Augusti coniugis, matrisque Tiberii. Anno post, ut praestantissimo Dodwello visum, quinquagenarius caesus est a Tiberio ob amicitiam Seiani. Itaque, quod toties promittit *iustum opus*, sive *iusta* Historiae *volumina*, *II*. 48. 99. 103. 114. 115. nunquam fortassis a Velleio elaboratum, certe lectum (quod constet) nemini fuit. Ex libri prioris parte perdita Priscianus lib. 6. pag. 706. profert hoc: *nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius Cimon.* De Vinicii, cui Velleius librum suum inscripsit, fratribus, P. Vinicio et L. Vinicio, videndus Nicolaus Faber ad Senecae Controvers. 13. pag. 206. Adulandi studium in rebus Tiberii quidem ita reprehendit Iac. Perizonius, ut primas facile, in contaminanda utcunque per istiusmodi blanditias historia, eum tenere affirmet, Animadvers. Hist. c. 6. p. 211. Compendium plenum adulationum et digressionum appellat Philippus Caroli in Bibliotheca Romana MS. *c*) quo iudice Velleius saepe castitatem stili affectationibus castrensibus frangere videtur. Idem visum viro docto, qui *stilum* Velleii *atrocem* appellat, quod indignans alius *d*) et improbans, argutam potius et vivam brevitatem in eo laudandam esse duxit. Io. Marii Marcae Tiladeti dissertatio de locis Taciti et Velleii inter se pugnantibus, legitur inserta Memoriis Academiae inscriptionum Parisiensis Gallice editis T. 3. p. 437. seq. *Supplementum* Velleii

c) Neuer Bücher-Saal XXXII. pag. 545.

d) Memoires de Trevoux 1712. pag. 1475. *Je ne dois pas laisser passer cette occasion de vous demander justice d'un Ecrivain de votre connoissance, qui traite le stile ingenieux de Vellejus de stile atroce,* stilus atrox. *Que veut il dire? A t'il une idée bien nette de la pretendue atrocité de stile? Ne prend il point l'atrocité pour la vivacité, la finesse des expressions, pour cette delicate brieveté qui peint d'un trait les objets les plus etendus, et qui donne tant de force et dant de beauté aux pensées, pour une elegance pure, mais serrée, qui ne sente point le declamateur, mait l'homme et de qualité et d'esprit? Si c'est là un stile atroce, l'epithete convient à Vellejus.*

Velleii accepimus editum esse in 12. a M. *Petro Brinchio*, Pastore primario Arendalensi in Norvegia, aliis etiam scriptis celebri. Supplementa Velleii etiam, sed lingua Gallica, Gallicae suae versioni in usum Delphini adornatae addidit *Ioannes Douiatius*, de qua infra.

II. Primus Velleii duos, quos dixi, libros, e MSto Morbacensi, qui unus hactenus antiquus Velleii Codex *e*) innotuit, additis in ora libri castigationibus ac notis brevibus, edidit *Beatus Rhenanus* Basil. 1520. fol. apud Frobenium, testatus Mediolanensem se codicem, a Georgio Merula repertum, per plures annos frustra exspectasse. Nam editio Veneta 1476. quae a nonnullis memoratur, commentitia est. Ad calcem subiiciuntur variae lectiones e Codice vetusto collectae a *Ioanne Alberto Burerio*, incertum, an fide et accuratione debita annotatae. Ab eo tempore Velleium ediderunt Antonius Bonhommaeus, Avenione 1532. et Vascosanus 1538. fol. cum Appiano ex Candidi versione Latine excuso. Basileensem editionem anni 1542. deserta prima Rhenani, alios deinceps secutos editores, notat Gerhardus Vossius in notis ad lib. 2. cap. 75. Illa, quemadmodum et a. 1548. Erasmi nomen praefert, etsi Erasmus vivus Velleium nunquam edidit, defunctus a. 1536. Hinc enumerantur editiones, Basileensis anno 1546. fol. cum Svetonio, scriptoribus Hist. Augustae, Ammiano etc. Seb. Gryphii Lugd. 1552. 8. Parisiensis anni 1560. 12. cum Floro et aliis; H. Stephani Paris. 1568. 8. inter Historiae Romanae scriptores Latinos, quibus Graecos Xiphilinum et Herodianum, et e recentioribus Pomponium Laetum et Bapt. Egna-

e) Rich. Bentleius, remarks upon a discourse of freethinking part. 1. p. 65. *in profane Authors, (as they are call'd) whereof one Manuscript onby trad theluck to be prefero'd, as* Vellejus Paterculus *among the Latins, and* Hesychius *among the Grecks, the faults of the scribes are found so numerous, and the defect bey ond all redress, that notwithstanding the pains of the learned'st and acutest Criticks for two whole Centuries, those books are still and are like to continue a mere heap of errors.*

Egnatium, Sigoniique fastos adiunxit, quatuor Volum. Velleium deinde ediderunt *Aldus Manutius* Pauli F. una cum scholiis, Venet. 1571. 8. quem temere plura mutasse, et *Claudiani Puteani* notas tunc adhuc ineditas compilasse, arguit Petrus Burmannus. (*Puteani* notae postumae primum viderunt lucem in Velleio notis variorum illustrato per *Carolum Aubertum* Paris. 1608. f.) *Frid. Sylburgius* tomo primo Romanae Hist. scriptorum minorum, cum variis lect. Francof. ap. Wechel. 1588. fol. *Valens Acidalius* cum lectionibus Velleianis, Patav. 1590. 8. quas, cum ingenio *f*) in illis subinde indulsisset suo, vix deinde pro suis agnovit, de secundis etiam curis cogitare se professus. Vide eius Epist. LVII. ad Monavium. *Iustus Lipsius*, cuius commentariis illustratus prodiit Antverpiae ad calcem Taciti a. 1607. et 1648. fol. ut minores editiones v. g. Raphelengianam 1591. 8. aliasque iam omittam. In editione Raphelengiana anni 1591. et 1594. 8. subiunctae sunt Variae lectiones ex Aldo, Schegkio et Lipsii praelectionibus excerptae. Cum notis eorundem et Rhenani atque Burerii, Fulviique Vrsini, prodiit Paris. 1608. fol. una cum Tacito Variorum notis illustrato. Velleium praeterea ediderunt *Ianus Gruterus*, cum notis, inter Historiae Augustae scriptores latinos minores Genevae 1609. fol. et Hanov. 1611. fol. sed iam ante prodierat cum castigationibus et notis Rhenani, Burerii, Manutii, Fulvii Vrsini, Lipsii, Raphelengii, Schegkii, Acidalii, Raphelengi, et Gruteri, Francof. 1607. forma minore: quae est Velleii editio prima capitibus a Grutero distincta. Ausonius Popma cum suis notis edidit Franekerae 1620 forma minore. *Gerhardus Vossius* *g*) G. Iohannis F. cum no-

 tis

f) Ad illam Acidalii editionem respicit Iosias Mercerus cum ad Lipsium scribit a. 1591. Tom. I. Sylloges Burmannianae pag. 311. *Velleium tuum vidi hic, quem sidera bona oculis viderunt quum admoverunt tibi eodem tempore quo in Italia lacerabatur miser continuis ictibus.*

g) Huius observationes quasdam castigat Colomesius p. 395. ad Gyraldum.

tis Lugd. Bat. a. 1639. 12. recusum deinde saepius ut Amst. 1664. 12. Francof. 1687. 12. *Marcus Zuerius Boxhornius*, Lugd. Bat. 1632. 12. cum brevibus animadversionibus, in tomo primo Historiae Augustae, quos 4. Vol. edidit. *Aegidius Lacarrus* cum annotationibus, *h*) Paris. 1644. 12. *Nic. Blancardus* in hist. Rom. epitome Lugd. Bat. 1648. 12. cum Floro, Victore, Eutropio, etc. *Io. Henricus Boeclerus*, notis, characteribus politicis et indice Velleium auxit Argentorat. 1642. 1663. 8. *Antonius Thysius* cum suis selectisque variorum notis edidit Lugd. Bat. 1653. et 1667. 8. Hisce accedunt, *Robertus Riguez* Iesuita, qui in usum Delphini paraphrasi notisque et omnium indice vocabulorum ornavit Paris. 1675. 4. quae editio repetita est Lond. 1730. 8.

Io. Hudsonus porro, praemissis *Henrici Dodwelli* Annalibus Velleianis, *i*) Paterculum accurate recensitum, cum variis lectionibus, selectis Variorum notis additis ad voluminis calcem et indice locutionum Velleianarum vulgavit Oxonii 1693. et 1711. 8. et *Christophorus Cellarius*, cum notis suis et indicibus Lips. 1707. 12. praemissa annalium Dodwellianor. tabella.

Prodiit etiam Velleius sine notis e Lipsii recensione apud Commelin. forma minore anno 1596. et ex recensione Gruteri, Helmst. 1649. 12. et inter scriptores veteres Hist. Romanae Ebrodun. 1621. fol. et inter scriptores Hist. Romanae minores, Amst. 1625. forma minore; et ex Musaeo Nic. Blancardi 1648. 12. tum ex *Nic. Heinsii* recensione, Amst. 1678. 12. cuius castigationes ineditas memorat Io. Clericus V. C. T. 3. Bibl. selectae pag. 366. Omittimus editiones pueris destinatas, ut *Iunkeri*, *Walchii*,

h) Vt Laccari annotationes non magnae rei videntur eruditis, ita Scioppii, quas nonnulli memorant, in Velleium observationes, lucem nondum viderunt.

i) Confer Acta Erud. Lipsiens. anno 1695. pag. 114. a. 1712. pag. 209. Bibl. choisie T. XXIII. pag. 446.

chii, *Maettarii* etc. Denique cum notis integris Rhenani, Burerii, Manutii, Puteani, Acidalii, Schegkii, Lipsii, Gruteri, Raphelengii, Pompae, Gerardi Vossii (qui admodum iuvenis licet, praeclaram tamen lucem Velleio attulit) Boecleri, Cellarii, *Nicolai* vero *Heinsii* auctioribus, *Andreae Schotti* antea ineditis, *k*) novisque suis, Velleium novissime illustratum dedit eruditiss. Vir *Petrus Burmannus* Lugd. Bat. 1719. 8. *l*) adiunctis de Velleio Lipsii, Vossiique dissertationibus et Dodwelli annalibus Velleianis, praemissaque praefatione, in qua de interpretibus Velleii fert iudicium, et Clariss. Clerici emendationes duas Velleianas, quas Tomo V. Bibl. novantiquae ille prodidit, ad examen revocat. Ea est sine dubio optima editio. Notas Burmanni aliquoties vellicarat *Thom. Wopkensius* in Lectionibus Tullianis: post saepius in Adversariis Criticis in Velleium (Obs. Crit. Dorvill. Vol. VIII. pag. 21. seq.) Ei opposuit Burmannus animadversiones, ibid. pag. 353. quibus post respondit Wopkensius Vol. IX. Repetita autem est illa editio 1744. Denique a. 1762. Velleium recensuit et commentarium addidit *Io. Frid. Grunerus* V. C. subiectis etiam *Dodwelli* Annal. Vellei. Coburgi 8.

Christophori Adami Ruperti observationes in Velleium et Valerium Maximum prodiere Norimb. 1663. 8. *Fulvii Vrsini* notae in Velleium, Sallustium, aliosque una cum fragmentis latinorum Historicorum, Antverp. 1595. 8. Ineditae *Io. Schultingii* ad Velleium notae MSS. fuere in Bibl. Schalbruchiana I. p. 128. Loca quaedam Velleii illustranda castigandaque sibi sumsit *Ioan.* *Fride-*

k) Adiunctae etiam sunt eiusdem Schotti notae antea ineditae ad Frontinum de Coloniis. Nic. Heinsius notas in Velleium promiserat litteris ad Perizonium T. 4. sylloges Burmannianae pag. 780. Iniquior est censura Thom. Crenii T. 16. animadvers. p. 272. qui notas Gerh. Vossii subcrudas appellat, Vossiumque iuvenilis insimulat confidentiae.

l) Acta Erudítor. 1721. p. 114. Gelehrte Zeitungen anno 1720. pag. 261.

Fridericus Chrift in noctibus Academicis Halae Sax. 1727. 8. p. 30. feqq. Quaedam Velleii loca etiam tractantur in *Io. Schefferi* Anecdotis, Obf. Mifc. Dorvill. Vol. VIII. et IX. Bonam partem libri pofterioris Velleianae Hiftoriae cum notis quibufdam *Philippus Ludovicus Hannekenius* inferuit exercitationibus fundamentorum latinitatis, quas cum Iano Iuris edidit a. 1668. 4. Tironum ufibus deftinatus eft Velleius cum notis Germanicis *Emanuelis Sinceri*, five, qui fub illo latet nomine *Chriftophori Frid. Ayrmanni* Hiftoriarum Profefforis in Academia Gieffenfi 1731. 8. cum indice Latino et Germanico.

Gallice Velleium vertit pridem Iulianus du Thier, cuius interpretationem fed ineditam memorat Francifcus Crucimanius in Bibl. Gallica pag. 279. *Ioanne Baudoino* interprete deinde prodiit Velleius ad calcem Taciti Parif. 1610. 4. et 1628. 4. Recentior Ioan. Douiatii verfio faepius lucem vidit Parif. 1672. et 1679. et noviffime 1709. 12. *m*)* Titulus eft: *Abregé de l'Hiftoire Romaine et Grecque, en partie traduit de Velleius Paterculus, et en partie tirée des meilleurs auteurs de l'antiquité pour fuppléer ce qui eft perdu de cet auteur.* Denique cum nova Gallica verfione Lemovici 1710. 12. *Hifpanice* vertit Velleium *Emanuel Sveiro*, Antverp. 1630. 8.

III. Fragmentum, de victoria Svevorum contra Romanos, quod tanquam ex *Velleii Gallica Hiftoria* excerptum vulgavit *Wolfgangus Lazius* commentar. de Rep. Romana Lib. 1. cap. 8. non eft huius fcriptoris, fed Galli cuiufdam, qui Caroli M. aetate fcripfit, quemadmodum oftendunt Marcus Velferus lib. 3. rerum Augu-ftanarum p. 200. et Voffius de Hift. Latinis lib. 1. c. 24. et lib. IX. de Theologia Gentili cap. ult. qui obfervant


lectum

m) Acta Erud. Tom. IV. Supplem. p. 262.

lectum Othoni Frisingensi, atque integrum paucis insertis legi in Chronico Conradi a Lichtenau Abbatis Vrspergensis ad a. C. 1167. Goldastus vero inter Svevicarum rerum scriptores Francof. 1605. 4. editos et Vlmae 1727. fol. recusos exhibuit sub titulo *Velleii Galli de victoria Svevorum contra Romanos.* Vide sis etiam Velseri opera pag. 219. 817. et 840. Non ab re Lipsius: *quod Gesnerus in Bibl. annotat, Wolffgangum Lazium habuisse Velleium de bello in Svevos, nugas arbitramur, sicut et Georgii Merulae, qui de integro apud se Velleio scripsit, vanitatem ridemus ambitiosam.* Vide Lipsii Centuriam ad Germanos et Gallos Epist. 7.

IV. Porro iniquius iudicavit Franciscus Asulanus in praefatione ad Livii editionem, in officina Aldina curatam, cum his Velleii libris notam suppositionis impegit, et Basileenses accusat, „quod historiam rerum Romanarum ediderint sub nomine Paterculi, in qua nihil fere „latinum legatur, quod Augusti tempora redoleat, quibus eum floruisse velint." Sed ea invidia fuit, et recte Gyraldus dialogo 2. de Poëtis pag. 98. *Velleius non damnandus historicus, tametsi quidam insulse nullum fuisse Velleium suspicantur.*





CAPVT III.

DE PHAEDRO, FABVLARVM SCRIPTORE.

I. *Phaedri aetas et fabularum libri.* II. *Falli eos, qui Phaedri has esse negant.* III. *De Perotto et Faërno, qui ante Pithoei editionem fabulis Phaedri dicuntur usi fuisse, ibid. Editiones.* IV. *Obiter de Anonymo latino fabularum scriptore et Laur. Abstemio, ibid. Fabulae Phaedri e Gudiano primum Codice prolatae in lucem.*

I. PHAEDRVS Thrax, Augusti Imperatoris libertus, sub Tiberio Imperatore, atque ipso fortassis iam defuncto, *a*) versibus senariis suavissimis expressit

Libros quinque fabularum b) *Aesopiarum*, quorum quatuor priores Eutycho, *c*) postremum Phileto Vrso Parti-

a) Ita visum Rigaltio, et Gudio. Sub Claudio scripsisse et sub Seiani nomine Narcissum perstringere, Henrici Cannegieteri coniectura est, quem vide sis ad Aviani fabulas p. 270.

b) Aesopias vocat, non Aesopi, quia ipse materiam quarundam reperit, *Vsus vetusto genere, sed rebus novis*, ut ait in limine libri V. At mirantur viri docti, quod Aesopios logos intentatum Romanis ingeniis opus vocat Seneca c. 27. consolat. ad Polybium. *Non audeo te usque eo producere, ut fabellas quoque, et Aesopios logos, intentatum Romanis ingeniis opus, solita tibi venustate connectas.* Num igitur Phaedrus Senecae ignotus erat, aut noluit ille Thracem, ut Lipsio videbatur, ingeniis Romanis annumerare? vel, quae Baelii est coniectura, Phaedri libelli adhuc versabantur in manibus paucorum duntaxat privatorum, vel certe illorum Seneca, cum scriberet, haud meminit. Potest etiam aliter ad illum locum responderi. Nam cum trigesimum caput eiusdem libri Senecae consulo, video eum loqui de Aesopiis logis non versu latino, ut Phaedrus fecerat, sed latina prosa digerendis, atque, ut ipse loquitur, connectendis.

c) Huius Eutychi, qui apud Caligulam Imp. gratiosus fuit, mentio apud Iosephum XIX, 3. Antiq.

Particuloni inscripsit, non vane illi ominatus, chartis nomen victurum suis, latinis dum maneat pretium literis. Quanquam inter veteres vix quisquam commemorat Phaedrum, praeter Martialem III, 20. et Avienum praefat. ad suas fabulas. *Phaedrus* dicas, an quod Gudio magis placet, *Phaeder*, ciccum non interduim: usus tamen et aurium sensus magis fert, ut Phaedrus dicatur. Neque id veterum consuetudini adversum, sicut et *Teucrus Evandrus* dicitur a veteribus, *Periandrus* apud scholiasten Germanici pag. 114. et apud Propertium *docte Menandre*, et *Menandrus* apud Philastrium cap. 30. ne afferam alia, notata Isaaco Verburgio ad Ovidii Trist. II, 369. v. et Dausquium Orthogr. T. 1. pag. 2. Munker. diss. de Hygino p. 31. etc. De aliis Phaedris, et illo Platonis, et altero Atheniensi Epicureo, dixi lib. 3. Bibl. Graecae c. 1. §. 12. et c. 33. p. 814. De Thoma Phaedro, recentiore scriptore, Baelius in Lexico. *Thracem* fuisse Phaedrum, negat Deniseus, *d*) qui Gallicis versibus eius fabulas reddidit: sed negat sine caussa. Nam Phaedrus ipse diserte scribit in Piero se natum iugo esse, et turpe ducit Threissae gentis patriae decus inerti somno deserere, cum auctores illa numeret Apolline et Musa parentibus editos, Linum atque Orpheum. Pro Thrace in antiquis inscriptionibus, et Codicibus quandoque occurrit *Thres*, veluti *Threx*, Θρῆξ, ut apud Gruterum p. 955. 4. nec minus *Threx*, ut malebat de Phaedro dici Gudius. v. Burmannum ad Petronium p. 225. Vsu tamen et aurium consuetudine *Thrax* magis probatur. Phaedrum autem inter captivos Romam fuisse abductum *e*) tunc, cum Thraces magno praelio fusi essent, v. Sveton. c. 3. August. non est oppido verisimile, quoniam inter Caligulae imperium et illud tempus, quo non

d) Memoires de Trevoux 1708. pag. 790.

e) Placet hoc viro erudito, M. Gabrieli Schumanno, qui dissertationem de vita et scriptis Phaedri Germanice edidit in nova Acerra Philologica Hallensi 1715. 8. pag. 170. 171.

Augustus, sed ante eius principatum Octavius Augusti pater Thraces fudit, intercedunt plus quam septuaginta anni. Per hydrum a Phaedro notari Caium Caligulam, de quo Tiberius apud Sveton. c. XI. Calig. praedicavit *se natricem populo Romano*, *Phaetontem orbi terrarum educare*, Gudio et Tristano *f*) adsentitur idem Burmannus ad Petron. p. 384. Apud hunc Caligulam gratiosus fuit Eutychus, cui libellos suos Phaedrus inscripsit, ut notavit etiam Christianus Wase libro de senario p. 32.

Nic. Perottum videtur auctorem fabularum Phaedri facere Petrus Scriverius. Certe scriptori antiquo Tiberiani aevi illas prorsus eripit et abiudicat, ad Martialis III, 20. ut Vossius in Aristarcho II, 16. Ac Perottum sane si audimus, *g*) is cum testatus esset, se adolescentem ex Avieno fabulas iambico carmine transtulisse, mox iisdem verbis deinde recitat integram fabulam, qualis de arboribus in Deorum tutela apud Phaedrum III, 17. legitur, nisi quod rectius in Phaedri hodie extat Codice *pinus Cybelae*, quam quod Perottus: *pinus Neptuno*, et Faërnus: *Pinum humidi tridentifer rector sali.* Caeterum nec fabulae caeterae Perotti editae usquam sunt: neque in Avieno fabula illius argumenti reperitur, quam carmine exprimere Perottus potuerit. Igitur Barthius lib. XXXV. Adversar. c. 35. et p. 827. ad Claudian. Phaedrum *citra omnem exceptionem Tiberiani scriptorem aevi* professus, Scriverium refellit, Perottum autem imponere lectoribus suis voluisse non dubitat, ratum apud se solum Phaedri exemplum exstare; itaque versus illius pro suis audacter venditari a se posse. Recte optabat Burmannus, ut Codex, e quo Perottus sumsit, reperiretur. Codicem quidem fabularum a Perotto scriptarum in

f) Historia Imperatorum e nummis, Gallice exposita T. 2. p. 303.

g) In Cornu Copiae pag. 999. Confer Leonhardi Nicodemi additiones ad Bibl. Neapolitanam Nic. Toppi p. 184. et Bernh. Monetam ad Menagiana Tom. IV. pag. 118. seq.

in Italia reperit *Dorvillius*, de quo videant, qui velint praefationem Burmanni ad Phaedrum. Sed hanc opinionem de fabulis istis non illi Phaedro antiquo, sed recentiori alicui tribuendis, recoxit ante annos plures *Io. Frid. Christius*, scripta peculiari Disputatione super ea re: in qua multa, partim in rebus, partim in verbis a se reperta dicit, propter quae istius aetatis esse non possent hae fabulae: in quibus si maxime quaedam habent speciem aliquam, praesertim apud mediocriter versatos in his rebus: tamen ea momentum non faciunt, redeuntque tandem omnia ad aetatem Codicis, e quo *Pithoeus* eas fabulas edidit. Eum autem Pithoeus valde antiquum dicit; vir non rudis rei criticae et antiquariae, ut in hoc iudicio falli posset, praesertim cum novitas libri deberet in oculos incurrere cuilibet, si Perotti aetate scriptus esset. Scripsit contra *Christii* Disputationem *Funccius* Marpurgensis *Apologiam* pro Phaedro et eius fabulis Lips. 1747. 8. ita, ut dilueret ille quidem obiecta libro non pauca, sed Phaedrum ipsum non omnino liberaret a peccatis, quae ab initiis labentis tum elegantiae latinae ducit. Ei respondit eodem anno, *Christius* libello proprio, sub titulo: *de moribus*, ad eruditos quosdam.

II. Lucem debent Phaedri libelli viro optimo et iuvandis literis nato *Petro Pithoeo*, qui primus e fratris Franc. Pithoei Codice MS. vulgavit Augustoduni Tricassium anno 1596. 12. Laudatur eo nomine Pithoeus a Thuano ad annum 1596. libro 117. Hist. Ad calcem primae huius editionis subiectae sunt lectiones vetustissimi, quo usus erat, Codicis: quod diligentius deinde fecit *Rigaltius* in editione anni 1599. usus etiam Remensi Codice, quem a Sirmondo acceperat; et tamen lectiones nonnullas, Pithoeo notatas, praetermisit. Habeo exemplum primae editionis notatum manu Gudii. Ante Pithoeum in exemplum aliquod scriptum inciderit oportet

oportet Nicolaum Perottum, qui, ſuppreſſo Phaedri nomine, nonnullos eius verſus pro ſuis in copiae cornu recitat. Etiam *Gabrieli Faërno* hoc obiectum eſt, quaſi in ſuis fabulis, elegantiſſimis ſane illis, Phaedrum imitatus vel aemulatus eſſet ſcripta eius, ut ait lib. 28. Thuanus, *quae legerat et penes ſe habebat*, *ſuppreſſiſſet.* Sed Perraltus, qui Faërni fabulas carmine Gallico reddidit, inficiatur, Phaedrum Faërno unquam viſum fuiſſe.

III. Prodierunt ab eo tempore ſaepiſſime, primum cum notis *Conradi Rittershuſii h*), (qui eodem, quo Pithoeus ediderat anno 1596. Altdorffii Phaedrum recenſuit illuſtravitque) et ſpicilegio *Caſparis Scioppii* Lugd. Bat. 1598. 8. In hac editione habentur etiam *Caelii Sympoſii* aenigmata cum notis Ioſephi Caſtalionis, fabulae Graecae Babrii et Aenigmata veterum Poëtarum Graecorum Latinorumque. Repetita haec editio eſt Antverp. 1610. 8. additis animadverſionibus *Ioannis Meurſii*, parum felicis in hoc ſcriptore, ut iam obſervatum viris doctiſſimis, Ariſtarchi. Eodem anno *Iſaacus Neveletus*, Phaedrum cum notis ſuis recudi curavit inter fabulas variorum auctorum Graecas 297. Aeſopi, 40. Aphthonii, 54. Gabriae S. Babriae, et Latinas 60. *Anonymi* veteris *i*) in Bibl. Palatina reperti, verſibus elegis, tum

h) Operam a Rittershuſio in Phaedri fabulis praeſtitam laudat, et a Rigaltio contemptam aegre fert atque indignatur doctiſſimus, et de Phaedro ſingillatim praeclare promeritus Petrus Burmannus ad Petronium p. 512.

i) Nonnullas ex his fabulis Rigaltius e MS. Victoriano inſeruit notis ad Phaedrum, et ad lib. 1. fab. 2. ſcriptorem vocat fabularum ante centum annos Venetiis excuſum, et in Bibl. Pauli Petavii V. C. et in Victoriana Pariſienſi MStum. Editus eſt plus ſimplici vice non tantum Venetiis, ſed Vlmae quoque in Germania et in Galliis. In Vlmenſi editione diſtinguuntur fabulae huius Anonymi in libros *duos* (non *tres*, ut legas in Menagianis p. 72) ita ut liber ſecundus incipiat a fabula 21. Sed Neveletus illam diſtinctionem, cuius in Palatino MS. et altera editione nullum veſtigium repererat, recte praetermiſit, coniiciens illam confictam eſſe a *Rinuccio* quodam, qui has fabulas ſoluta oratione latina et Germanica convertit. In Codice Regis Galliae 893. inſcri[illegible] bulae *liber H*[illegible] Labbeo Bibl. nova [illegible] p. [illegible]

tum fabulas 42. *Avieni*, *k*) eodem carminis genere ſcriptas, denique *Laurentii Abſtemii*, Maceratenſis, (qui circa a. C. 1522. ſcripſit, et cuius annotationes quaſdam in varia auctorum loca Gruterus inſeruit tomo primo Lampadis Artium) fabulas 199. ſermone ſoluto, apud Commelinum 1610. 8. Repetita haec editio Francof. 1660. 8. Aphthonius, Gabrias, et cum Rigaltii notis Phaedrus Hanoviae ap. Wechel. 8. Phaedrus ſeparatim cum *Neveleti* notis Lubecae 1622. 8. apud Samuel. Iauchium. *Anonymi* veteris Chriſtiani fabulae 60. verſibus elegis non inſcite deſcriptae, in Vlmenſi editione diſtinguuntur in libros duos, alia in tres. Sed Neveletus illas diſtinctiones, quarum in Palatino MS. et Veneta editione nullum veſtigium erat, recte praetermiſit, coniiciens illam confictam eſſe a *Rimicio*, *l*) qui Aeſopi fabulas nonnullas ſoluto ſermone Latino, circa a. C. 1452. expreſſit, inſcripſitque Antonio tituli S. Chryſogoni presbytero Cardinali, a. 1459. defuncto. Prodiere Mediolani 1480. 4. et ſaepius deinde una cum Anonymo illo alibi. Idem Neveletus notat, Anonymum paſſim Phaedri veſtigiis inſiſtere, ita ut Phaedri ſimia dici mereatur. Qualis autem fuerit, vel quando vixerit, incertum eſt, etſi conſtat, eum iam a ſcriptoribus ſaeculi XIV. allegari. Apud Iul. Caeſarem Scaligerum lib. IV. Poëtices pag. 728. *Accius* vocatur, et laudibus effertur in coelum. Alii *Romulum m*) appellant, vel *Salonem* Parmenſem, teſte Gyraldo et Daumio. Vide et Barthium III, 22. Adverſar. ubi *Romulii* vel *Bernardi* venit nomine. Diverſae ſunt

k) De hoc infra lib. III.

l) Varie hoc nomen ſcribitur, Rimicius, Raimitius, Ramutius. Rainutius, Ranutius, Ranutinus, Remicius, Riminus, Rhinucinus, ſed ut Mich. Maettarium monuit Bernardus Moneta, non diverſus eſt ab *Alemanno Rinuccino*, Florentino, qui praeter Aeſopi fabulas Latine vertit Philoſtrati Apollonium, Hippocratis Epiſtolas, nec non Luciani nonnulla et Plutarchi.

m) Romulus iunior, Petri Moſellani aequalis, vir doctus et Iulii Pflugii in Italia praeceptor. Vide Petri Albini Chronicon Miſnenſe p. 357.

ſunt tamen licet itidem 60. quae ſub *Romuli* nomine ad Tibertinum ſive Tiberinum filium a Rimicio et aliis editae ſunt, proſa non verſu ſcriptae ante annos circiter quingentos. Ex his fabulae quinque et quadraginta reſpondent totidem fabulis apud Anonymum. Caeterae quindecim, extravagantes a Rimicio vocantur, quod nempe Anonymus illas non habet: habet tamen pleraſque Phaedrus, cuius etiam verba ipſa ſaepe ſervavit iſte Romulus, perinde ut alter *Auctor Antiquus*, cuius fabulas 67. ex Phaedro fere deſumtas et ſoluta oratione expreſſas e Codice MS. Iſ. Voſſii, quem ab avunculo ſuo Iacobo Gronovio utendum acceperat, primus edidit notaſque ſuas et Romuli fabulas addidit *Io. Fridericus Nilant*, Lugd. Bat. 1709. 8. Eiuſcemodi fabulas in proſam leviter e Phaedro ſolutas in codice Divionenſi quoque Gudius reperit, a quo reſtitutas primus Clariſſ. Burmannus dedit quinque, in prioribus Phaedri editionibus haud obvias. *Laur. Abſtemii*, Hecatomythium utrumque, quorum prius a. 1498. alterum 1505. primum edidit, prodiit etiam Tiguri in 8. ſine anni nota cum Aeſopi fabulis, quas Hermannus Canonicus S. Auguſtini ait ex oratione ligata ſe in ſolutam vertiſſe, nec non fabulis Aniani, quas Hadr. Barlandus et idem Guilelmus proſaicas fecit, fabuliſque Aeſopi, quas verterant Laur. Valla et Rimicius: nec non fabulis excerptis e variis ſcriptoribus.

Phaedrus porro Pariſ. 1629. apud Sebaſt. Chapeletum prodiit, forma minore. Cum *Gallica* verſione proſaria *Albini* (D. de Saint Aubin, eiuſdem qui Terentium Gallice tranſtulit) Pariſ. 1647. 12. Hanc verſionem cum animadverſionibus in eam ſuis, etiam Phaedro ſecundum a ſe recenſito atque illuſtrato, adiunxit *Tan. Faber* Salmur. 1665. 12. quae editio recuſa eſt anno 1673. 1689. etc. *Io. Scheferus* Phaedrum primum cum notis

ſuis

ſuis eruditis et *Franciſci Guieti* Andegavenſis caſtigationibus criticis edidit Vpſal. 1663. 8. cuius exemplum habeo notatum paſſim manu Gudii. Deinde iterum recenſuit anno 1666. et tertio 1673. Hamburg. 8. in quibus duabus poſterioribus editionibus non raro Tan. Fabrum caſtigat, et in tertia addidit Freinshemii indicem ex editione Argentoratenſi, de qua ſtatim dicam. Recuſus eſt Scheferi Phaedrus Hamburg. anno 1686. 1693. 1706. 8. habetque ſubinde adiunctam Gallicam Albini verſionem; et addita Belgica Io. Hilaridis Metaphraſi, Franequerae 1694. 8. In editione Ratisbonenſi 1657. 8. quam notis et indice illuſtravit *Io. Henricus Vrſinus*, nonnulla reſciſſa ſunt, quae adoleſcentum pudori obeſſe vir praeſtantiſſimus exiſtimavit. *Io. Lud. Praſchii* notae ad Phaedrum Gieſſae 1660. 8. Cum notis *Alexandri Arnoldi Pagenſtecheri* Duisburg. 1662. 8. Cum notis *Nic. Rigaltii* prioribus et poſterioribus, (ex edit. Pariſ. 1599. et altera perquam nitida 1617. tertia *n*) anno 1630.) *Petrique Axenii* in librum I. vulgata Hamburgi eſt 1671. 8. Cum P. Syri mimis, notiſque et animadverſionibus *Tan. Fabri*, Salmur. 1657. 4. et addita verſione Gallica *Albini*, et in illam animadverſionibus ibid. 1665. 12. Phaedrus cum hiſtoria congruente ad ſingulas fabulas ex veterum ſcriptis annotata, poſtumiſque *Io. Freinshemii* animadverſionibus, quibus inſertae notae Rittershuſii, Rigaltii, *Buchneri*, et copioſiſſimo indice, Argentorati 1664. 8. lucem vidit, cura *Henrici Holſtii*, Dani. Cum notis variorum, et verborum phraſiumque indice, additis iconibus in aes inciſis Phaedrus eleganter excuſus eſt Amſt. 1667. 8. cura *Io. Laurentii* ICti.

In

n) Hanc editionem, quam deinde ſecutus eſt T. Faber, tanquam minus accuratam perſtringit Marquardus Gudius Epiſt. 7. ad Nic. Heinſium. Rigaltinae editiones exſtant; una Pariſ. 1599. 12. altera perquam nitida typis Stephani deſcripta maioribus, literiſque miniatis diſtincta 1617. 4. utramque habeo Salmaſii manu notatam. Tertia ex Cramoiſii officina 1630. 12.

In usum Delphini eundem scriptorem paraphrasi, notis et indice omnium verborum ornavit *Petrus Danetus* Paris. 1675. 4. Lond. 8. Huius Daneti paraphrasin Phaedro suo, notis historicis, ritualibus, moralibus, et philologicis in usum scholarum illustrato, subiunxit *Dan. Hartnaccius*, Rudolphistadii anno 1696. 8. Ceterum dolendum est, insignibus *Petri Axenii*, anno 1706. apud Slesvicenses denati, et *Marquardi Gudii* in Phaedrum annotationibus fata praematura Virorum clariss. intercessisse. Etsi, quod ad Gudium attinet, magnam iacturae partem levavit elegantissimi vir ingenii *Petrus Burmannus*, curata praeclara Phaedri editione, primum minore in 12. a. 1719. in qua tantum textus recenseretur, deinde altera maiore, cui praeter integros commentarios Rittershusii, Rigaltii, Scheferi, Praschiique, et excerptas aliorum, ineditasque *Nicolai Heinsii*, *Gudiique* animadversiones, non mediocri studio ex ipsius schedis, quas ab haeredibus Clariss. Graevius acceperat, collectas adiunxit, Amstelod. 1698. 8. et rursum non sine auctario Amstel. 1718. 8. ad extremum Lugd. Bat. 1727. 4. omissis aliorum notis, cum suis unius, sive suo ipsius *novo commentario*, et pulcherrima praefatione de re Critica, et modestia in ea conservanda, opposita illa Bentleii audaciae. Subiecta est etiam Epistola Critica *Harii* adversus Bentleii Phaedrum, de qua mox. Haec igitur haud dubie editio Phaedri est princeps omnium. Nec tamen contemnenda est alia, quae cum notis eruditis et perspicuis *Davidis Hoogstratani*, V. C. et indice omnium verborum accuratiore, quam Danetus dederat, et tabulis aeneis Amst. 1701. prodiit, editio luculenta, in usum Principis Nassovii, Iohannis Guilielmi, adornata. Ea editio bis ita repetita est, ut in secunda repetitione, anno 1700. 12. novae notae accederent, in quibus inprimis multa ad leges metri iambici pertinentia traderentur, vulgo illa neglecta. Idem Hoogstratanus Belgicam Phaedri Metaphrasin, iisdem typis, et eadem forma excusam

et

et iconibus illustratam edidit, et praeterea minorem huius scriptoris editionem in 12. cum notis suis in lucem emisit, recusam quoque Londini. Cum eruditis notis *Io. Frid. Gronovii*, Amstel. 1703. 12. edente Iac. Gronovio fil. qui et ipse castigationes suas adiunxit, quibus Gudius passim lacessitur. Commendant hanc editionem quoque collectanea *Nicolai Dispontini*, quibus indicis forma dictionem Phaedri egregie illustravit. Cum notis selectis variorum, Dispontini, Gronovii, Hoogstratani etc. editae etiam sunt hae fabulae Tiguri, a. 1713. 8. Etiam *Io. Christoph. Wolfius* edidit has fabulas Flensb. 1709. 8. cum brevibus notis, et vindiciis *Gudii* adversus Iac. Gronovium.

In Anglia primus Phaedrum recensuit et Lond. 1668. edidit *Christophorus* ille *Wase*, cuius eximium de senario librum habemus. Postea Londini 1701. et 1708. 8. *Thomas Iohnson* Phaedrum vulgavit, notis selectis eruditorum illustratum, subiecto omnium verborum indice et 1714. 8. adiuncta perpetua paraphrasi. Sed et *Samuel Hondly*, scholae Norvicensis magister iam a. 1703. 8. Londini secundum fabulas Phaedri notis suis illustratas emisit. Repetita est etiam Londini editio Hoogstratani. Ex recensione *Michaelis Maettarii* non modo in corpore Poëtarum Latinorum Lond. 1713. fol. sed et separatim Phaedri et Avieni fabulae excusae Lond. 1713. 12. Novissima editio Britannica est *Rich. Bentleii*, qui Terentii Comoediis fabulas Phaedri subiecit. Basin fecit textum Burmanni, qui est in editione anni 1718. sed eum pluribus locis mutavit, ratione in notis reddita. In quo cum audacius egisse videretur, eas correctiones sub examen severum vocavit *Harius* in Epistola Critica, quae Burmanni editioni ultimae subiecta est. Eidem audaciae Criticae Bentleii opposita est illa, quam supra laudavimus praefatio Burmanni, editioni Phaedri praeposita in eadem editione. Mittimus editiones *Iunkeri*, *Walchii*,

chii, *Richteri*, *Hauptii*, pueris destinatas, non eruditis. Versiculos quosdam fabularum excidisse, stellulae oppositae monent, quas lacunas ex ingenio supplere quidam tentarunt parum feliciter, ut quidam *Christoph. Hauptius*, de quo v. Misc. Lipf. T. I. p. 259. ut interpolator versionis Gallicae, de qua mox, excusae Amst. 1712. 8. Parum quoque probabiles sunt emendationes sive interpolationes locorum Phaedri, quas vir doctus, sed ingenio indulgens suo, inseruit Diario literario Hallensi, parte XXVII. p. 60. seq.

Phaedrus cum versione *Gallica o*) et animadversionibus, ordineque constructionis in puerorum usum per numeros singulis vocabulis impositos notatis prodiit Paris. 1702. 12 Huic editioni additae octo fabulae e Gallicis *Fontani*, qui inter plurimas, quas ingeniose vel excogitavit vel expressit Gallico carmine, quadraginta amplius fabulas a Phaedro mutuatus aut imitatus est.

Fabulae Phaedri LVIII. *Gallica* et *Germanica* prosa Hamburg. 1707. 12. cum fabulis politicis Pilpaei et aliorum. Metaphrasis *Gallicis versibus* non infeliciter composita a Deniso, *p*) additis notis prodiit Paris. 1708. 8. Cum prosaria versione Gallica tota propemodum nova sive reficta et Tan. Fabri notis emendatius excusis, atque P. Syri mimis Amst. 1712. 8. *Belgica* versio *Ioannis Hilaridis*, prodiit Doccomii anno 1695. *Davidis Hoogstratani* Amst. 1704. 4. *Io. Iacobi Slaterі* a. 1718. *Germanica Salom. Frankii*, Secretarii Vinariensis Ienae 1716. 8. *Anglica* prosa, *Thomas Dyche*, Lond. 1715. In fabularum Aesopiarum delectu, quem Oxonii a. 1698. nitidis typis excudi curavit A. Alsop, fabulae *Graeca* Planudis prosa, quotquot respondentes reperiri potuerunt, fabulis singulis Phaedri praemittuntur, utili adolescentibus

o) Journal des Sav. 1702. Iul. pag. 29. seq.

p) Mem. de Trevoux a. 1707. pag. 184. et a. 1708. pag. 785. Journal des Sav. a. 1708. Mai. pag. 238.

bus et iucundo ad comparandum utriusque linguae usum consilio.


IV. Caeterum norit lector, fabulam, quae incipit:

Ranae paludis incolae, ambiguum genus,

non esse antiqui auctoris, nedum Phaedri, ut persuasum Thom. Crenio T. 2. methodor. p. 403. sed superbam vanamque satyram hominis Iesuitae Galli, q) compositam circa a. 1670. cum Rex Galliae bellum in Batavos instrueret. Vide artem metricam ab aliquo e Soc. Ies. iam quartum editam Viennae Austriae 1703. 8. in quo libro p. 274. fabula illa sub titulo *appendicis ad fabulas Phaedri ex Bibliotheca Leidensi*, tanquam exemplum descriptionis Poëticae, bellum contra Batavos a Gallis initum a. 1670. allegorico mytho exponentis integra legitur. In editione Burmanniana p. 205. et p. 325. et iis, quae deinceps eam secutae sunt, accessere fabulae quinque, a Gudio e MS. Divionensi descriptae, et numeris suis redditae, quae in prioribus desiderantur. *Crediderim eum plures*, inquit Burmannus, *ex eodem Codice descripsisse, nam eius autographum, ex quo nos eas exhibemus, ut omnibus fere partibus, ita maxime in fine lacerum et mutilum erat, et plura folia, quibus fabulas adhuc quasdam exscripserat (ut ipsius manus in capite primae huius fabulae testatur, quae, si bene memini, triginta novas et nunquam editas in has chartas ab ipso coniectas indicabat) desiderabantur et abscissa esse videbantur. Forte et hae aliquando claustra, quibus continentur, perrumpent.* Phaedrus ipse in limine libri primi innuit, arbores etiam, non modo feras loquentes a se inductas. At in fabulis quae exstant, nullae arbores loquuntur, praeterquam in una illa, quae a Gudio reperta est.

q) *Io. Commirii*, in cuius poëmatis postumis exstat pag. 134. Et versa Gallice in libro: recueil de vers choisies par le Bouhours pag. 17. nec non in alio, fables choisies V. partie pag. 28.





CAPVT IV.

DE

A. CORNELIO CELSO.

I. *Celsi nomen et aetas.* II. *Alii hoc nomine, ibid. Eius scripta deperdita et libri de re Medica qui exstant.* III. *Editiones.* IV. *Libri alii Celso tributi.* V. *Index Scriptorum, et Medicorum a Celso laudatorum.*

I. A. Cornelivs celsvs, *a*) Romanus, *b*) vir doctissimus, nec ipse medicus aut Medicinam exercendo quaestum faciens, sed qui putaret accuratam

a) Fuere et alii *Celsi*, ut ille ad quem Horatius lib. I. Epist. 8. item, cuius mortem luget Ovid. Pont. I, 8. tum alter Epicureus, contra quem scripsit Origenes, et cui Lucianus suum inscripsit Pseudomantem. Hunc Celsum cum nostro male confundit Io. Iacobus a Ryssel in continuatione Vossii de Philosophor. sectis pag. 158. Alius quoque *Cornelius Celsus* Imperator, de quo Trebellius Pollio: *Iulius Celsus*, scriptorum Iulii Caesaris διορθωτής· *Inventius Celsus* ICtus: alius denique *Aruntius Celsus* Grammaticus, de quibus infra libro IV. Fuit etiam *Iuventius Celsus* Medicus, pater et filius cognominis, et *M. Livius Celsus* tabularius scholae Medicorum in Inscriptione vetere Romae reperta apud Hieron. Mercurialem IV, I. Var. lect. His adde *Apuleium Celsum*, Scribonii Largi praeceptorem, Centuripis ortum, de quo infra in Apuleio: tum discipulum Libanii *Celsum Cilicem*, de quo Valesius ad Ammian. XXII, 9. *Celsum* alium genere, eruditione, voluntate laudabilem, quem a Theodosio Imp. cum praerogativa consulari nobilibus adiudicari optat Symmachus X, 25. Epist. *Celsum*, eloquentiae studiosum, ad quem Libanii lib. I. Epist. 41. et cuius Epist. 87. et alibi meminit: *Celsum* puerum, in quem S. Paulini Nolani panegyricus, carm. 15. *Celsum* Mediolanensem, ad quem Ennodii Epistola IX, 10. *S. Celsum*, Archiepiscopum Armachanum, defunctum a. 1128. de quo Bernardus Claraevallensis in vita S. Malachiae cap 10. et Papebrochius in Actis Sanctor. 6. April. T. I. p. 619. seq. De nostro, opinor, Celso Sidonius carm. 23.

Quid Celsos, Senecas, loquar, vel illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem.

b) Sequimur communem sententiam, licet Coelius Rhodiginus XIV, 5. Antiqu. lect. refert, Veronenses sibi civem vindicare Celsum, perinde ut Macrobium, Vitruvium, Pliniumque. vid. Io. Rhodius in Vita Celsi.

ratam eius artis cognitionem ad virum universae *c*) naturae prudentem pertinere. Vixit, ut maior pars eruditorum existimat, sub Tiberio Imp. Praenomen vulgo *Aurelius*, sive duplex nomen gentile faciunt. Sed recte *Aldus* et qui eum sequuntur *Aulum* Corn. Celsum appellant: ut et in MSS. antiquis reperitur.

II. E variis scriptis, quibus et ius civile et philosophiam illustravit monumentis, teste Quintiliano, reique militaris et rusticae quoque et medicinae praecepta reliquit, soli ad nos pervenerunt eius *de re Medica libri VIII.* operis, ab eo scripti *de artibus, pars sexta d*), ut in codice suo Henr. Stephanus reperit, sive potius *liber sextus, septimus* etc. post quinque libros de agricultura, artium vero non pars sexta, sed secunda: nam in Codice Alexandri Patavini, teste Io. Baptista Morgagno p. 40. Epist. ad calcem libri quarti legitur: *Artium Aurelii Celsi liber IX. idem Medicinae liber IV. explicit feliciter.* Atque in aliis MSS. ut Gudiano, ante librum primum: *Artium liber sextus, idemque Medicinae primus.* Porro libros, qui hosce de re Medica proxime antecessere, praecepta de re rustica continuisse, ex primis verbis Celsi recte colligas. Illa porro praecepta de re rustica, memorata etiam Quintiliano, quinque constitisse libris, diserte testatur Columella libro et capite primo, qui plura

 ex

c) Hoc encomio Celsus mactatur a Columella lib. 2. de re rustica pag. 185. edit. Commelin. Idem lib. 1. cap. 1. *Nostrorum temporum Cornelius Celsus totum corpus disciplinae* (rusticae) *quinque libris complexus est.* Quintilianus XII, 11. *Cornelius Celsus mediocri vir ingenio, non solum de his omnibus conscripsit artibus* (Philosophia et eloquentia) *sed amplius etiam rei militaris et rusticae etiam et medicinae praecepta reliquit: dignus vel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus.* Graecinum Celsi transscriptorem memorat Plinius XIV, 2. Hinc Iulii Attici discipulum vocat Columella lib. 1. cap. 1. illius inquam Attici, de quo idem lib. 3. c. 17. *Iulius Atticus et Corn. Celsus celeberrimi aetatis nostrae auctores.*

d) De hoc nostro videtur accipiendum, quod S. Augustinus praefat. libri de haeresibus, ait, opiniones omnium Philosophorum, qui varias sectas condiderunt usque ad tempora sua, *sex* non parvis voluminibus *Celsum* quendam absolvisse.

ex illis loca retulit. His de Medicina autem, cum ſint puro facilique ſermone nitide contexti, meruit auctor, ut *Medicorum Cicero*, vel *latinus Hippocrates* diceretur, etſi Nicol. Leonicenus, Ioh. Heurnius, aliique profeſſi ſunt, pluris ſe eius dictionem quam Medicinam facere, cum tamen ſit plerumque in Medicis etiam, ac praecipue Chirurgicis optimos auctores *e*) ſecutus, adeoque minime contemnendus. Nec omittendum, quod in MS. ante memorato Alexandri Patavini membranaceo Foroliviensi et Veneto altero Clericorum regularium Tolentinorum chartaceo lib. IV. capite 20. (pag. 134. edit. Almelovenianae) poſt verba *ſubiiciendia ſunt*, notatur lacuna eſſe duorum foliorum: docuitque Morgagnus l. c. p. 42. et 48. ex promiſſo indice capitum, deeſſe capita quatuor haec, CX. (102.) *Vulva exulcerata eſt.* CXI. (103.) *de veſica.* CXII. (104.) *de calculis in veſica.* et CXIII. (105.) *in omni dolore veſicae.* Ceterum de Celſo videndus Io. Rhodius in Celſi vita, quae iteratae editioni diſſertationis eius de acia, Hafniae a. 1672. 4. et Lundini Scanorum 1691. 4. a Thoma Bartholina adnexa, atque exinde etiam aliis Celſi editionibus praemiſſa legitur: et Daniel Clericus in Hiſtoria Medicinae, edita Gallice Amſtelod. 1702. 4. part. 2. p. 217. ſeq. Praecipuos auctores Celſus Hippocratem et Aſclepiadem Methodicum ſecutus eſt; Methodicae ſectae tamen non per omnia fuiſſe addictum, uti nec dogmaticae, docet Io. Conr. Barchuſen in Hiſtoria Medicinae, Amſt. 1710. 8. p. 265. Ex eo autem, quod *Cornelium Medicum* appellat Galenus 9, 5. κατὰ τόπȣς, non ſequitur *Medicam artem* exercuiſſe, ſed ita vocare potuit, quod *Medicam artem* ſcripſit, ſicut *artem Ruſticam* et *Militarem*, quam praeter

e) Salmaſius ad Hippocratis Aphoriſm. LXXIX. p. 43. *Quia ab antiquioribus ſumpſit quae habet omnia Celſus, et ab Hippocrate pleraque, non eſt minimi faciendus.* Idem pag. 65. *Crede ſaltem Celſo, qui hoc non divinavit, ſed ex auctoribus praeſtantiſſimis, qui et medicinam olim exercuerunt, id mutuatus eſt.*

ter Quintilianum et Vegetium lib. 1. c. 8. memorat Io. Sarisberienſis VI, 19. Policrat. vel *Rhetoricam*, in qua ſaepe citatur ab eodem Quintiliano, aliiſque: ſed tamen rhetoricus libellus ille, qui eſt a Popma vulgatus ſub *Celſi* nomine, rectius *Iulio Severiano* tribuitur in Rhetoribus *Franciſci Pithoei*, in quibus p. 302-312. etiam integrior legitur. *Libros ad Herennium* Celſo tribuendos non eſſe, iam ſupra annotatum eſt.

III. Prodiit primum Celſus Florentiae a. 1478. fol. e MS. Florentino per *Fontium:* Codex etiam nunc eſt in Bibl. Medicea, de eoque poſt dicetur. In ea editione verba Graeca latinis literis expreſſa ſunt. Tum Mediolani an. 1481. fol. per Leonhardum Pachel et Vldericum Sinczenzeler. Deinde Venetiis 1493. fol. per Iohannem Rubeum Vercellenſem, et 1497. fol. apud Philippum Pincium. Hinc Lugd. 1516. 4. Venetiis ex Aldina officina a *Io. Baptiſta Egnatio* emendatus a. 1524. f. iterumque 1528. 4. adiuncto Q. Sereno, cuius in Baluziana Catal. p. 393. fuit exemplum cum notis et emendationibus MSS. *Io. Iacobi Mentelii*, qui Celſum et Serenum Sammonicum contulerat cum Codicibus Fernelii et Capellani, reſtituitque multis in locis. Eodem a. 1524. et apud Luc. Ant. Iuntam ibidemque: Medicos vero antiquos atque in his Celſum ex Aldi Nepotis officina editos anno 1547. fol. et a *Nic. Nancelio* collatos cum aliis codicibus, et propriis eiuſdem coniecturis emendatos ex Bibliotheca Gudiana accepit Gothana principalis. Celſus porro excuſus Haganoae 1528. 8. cum *Ioannis Caeſarii* caſtigationibus, quae editio eſt recuſa Salignniaci 1538. 8. apud Iohannem Soterem. Sed et Pariſ. 1529. fol. hic ſcriptor prodiit apud Chriſt. Wechelum, tum ibid. 1533. 8. Tiguri 1540. 8. Lugd. 1542. 8. ap. Gryphium 1549. itemque Lugduni 1554. 12. apud Ioh. Tornaeſium, cuius editionis exemplum, apud Gudium fuit, cum adſcriptis notis

notis et emendationibus ex Codice *Iosephi Scaligeri* et excerptis *Ioannis Walaei* ex Codice Regis Galliae. Nam Scaligerum quidem Celsi editionem molitum, testatur Franciscus Vertunianus in Epistola Hippocrati de capitis vulneribus praemissa, Walaeum vero Colomesius in Gallia Orientali p. 116. Celsus cum commentariis *Guil. Panthini* uberioribus in primores duos libros et in quinque reliquos brevioribus annotationibus, Basil. 1552. fol. apud Oporin. prodiit: cum Sereno et Rhemnio Fannio Patav. 1563. 8. cum eodem Sereno et Rhemnio, annotationibusque et emendationibus *Rob. Constantini*, Lugd. 1566. 8. apud Ruillium, item Venet. 1566. 8. Inter Medicos principes H. Stephani a. 1567. fol. deinde Lugd. 1587. 12. 1592. et 1608. 12. Cum commentario *Ieremiae Thriveri Brachelii* in lib. 1. et in libros septem reliquos enarrationibus *Balduini Roussei* Gandensis, Reip. Gudanae Medici, Lugd. Bat. 1592. 4. apud Raphelengium. *Hieron. Rubei* annotationes in Celsum prodiere Venet. 1616. 4. *Petri Paw* commentarius in IV. prima capita libri octavi adiunctis eiusdem Commentariis in Hippocratem de vulneribus capitis, Lugd. Bat. 1616. 4. Celsus Genev. 1626. forma minore, cum Sereni, Rhemnii et Vindiciani carmine. Ex recognitione *Ioan. Antonidis van der Linden f)* una cum iisdem Sereno, Rhemnio, Fannio, et Vindiciano, Lugd. Bat. 1657. 12. 1665. 12. Lindenium secutus est Almelovenius, Amst. 1687. 12. quae editio recusa est Amstelod. 1713. 8. In ea passim indicati sunt loci Hippocratis et aliorum veterum, unde Celsus profecit, subiectaeque notae *Caesarii*, *Roberti Constan-*

f) Lindenium in Celso castigando uti in Hippocrate audacius versatum esse iudicat Thom. Bartholinus diss. IV. de legendis libris p. 118. et Io. Henr. Schultze in diss. *de ossibus conferventibus*, Altdorf. 1727. 4. §. 2. vid. et eius Epist. ad Fabric. ubi idem de Almeloveniana et recent. omnibus iudicat. Ad adornandam hanc editionem plura subsidia habuit a Patino, varias nimirum Celsi editiones, emendatas manu Fernelii, Capellani, Carpentarii, Scaligeri, et Nancelii.

Conſtantini, itemque Scholia Caſauboni inedita, et aliae aliorum adnotationes, addito etiam indice. Sed in cetero libri nitore parum diligentiae animadverterunt viri docti. Ceterum et 1730. L. B. repetita eſt et 1746. 8. etc. Eodem anno 1713. 8. Celſus editus etiam eſt Ienae cum D. *Georgii Wolfgangi Wedelii* praefatione ex Almeloveniana editione, qui Celſum Medicum fuiſſe, et artem Medicam feciſſe non dubitat: quod iam pridem etiam Caſaubonus probare inſtituerat ex locis lib. III. c. 4. et 14. quibus alia tria adiunguntur clariſſ. Morgagno ex lib. VII. c. 7. et lib. VIII. c. 2. et 4. variis etiam argumentis contenderat Iodocus Lommius commentario ad librum primum. Poſt alias binas Celſi editiones accepimus: unam ex Italia, curante doctiſſ. Viro *Ioanne Baptiſta Vulpio*, g) qui cum Sereno Sammonico, Q. Remnio et Vindiciano recenſitum edidit Patavii 1722. 8. Ad hunc Vulpium exſtant Epiſtolae plenae eruditis obſervationibus *Io. Baptiſtae Morgagni* de Celſi editionibus atque interpretibus, veterumque de eo elogiis, Hagae Com. 1723. 4. In his p. 11. vir doctus ait, Hippocratem publice interpretatum ſe oſtendiſſe, ex Celſo illius Codices emendandos potius quam Celſi verſionem reprehendendam. Pag. 13. docet, Celſum plura monuiſſe ſatis perſpicue, quae veluti nova inventa nuperae aetatis multi celebrant. Deinde non pauca Celſi loca ex ſua coniectura et duobus MSS. Codicibus, nec non ex laudatiſſimi Viri Iacobi Facciolati obſervationibus caſtigat illuſtratque. Sed ut illarum edd. omnium baſis eſt Almeloveniana, ita huius Lindeniana: unde, textus qualis ſit, intelligitur. Nuper vero altera hic Lipſiae a. 1765. 8. novi exempli editio curata eſt per *Carol. Chriſtianum Krauſe*, Medic. D. et Prof. qui textum ad libros veteres, editos quidem, quorum magnam copiam ei Bibliothecae no-

 ſtrae

g) Acta Erud. 1724. pag. 286. Giornale de letterati d'Italia T. XXXIV. p. 462. ſeqq.

ſtrae publicae ſuppeditarant, recenſuit, uſus etiam Var. Lect. MS. Flor. e L. VIII. a *Cocchio* excerptis, atque ita textum illum recentiorem a multis tum Lindenii, tum aliorum depravationibus liberavit, additis etiam Var. Lect. e libris vett. et notis *Caeſarii*, *Conſtantini*, *Ioſ. Scaligeri*, *Caſauboni*, *Almelovenii*, *Morgagni*, *Trilleri*, ineditis his, denique etiam ſuis: indicibus denique tum rerum tum verborum. Praemiſſa eſt etiam Vita Celſi, *Io. Rhodio* auctore, et notitia editionum, tum earum, quae factae ſunt, tum, quae promiſſae et inſtitutae a pluribus, abſolutionem non habuere. Non eſt dubium, quin ſuperiores V. D. longe ſuperarit. Vellemus curaſſet, vir doctiſſimus, ut MS. Florent. totius excerpta nanciſceretur; quod difficile futurum non erat: atque illam praeclaram *Cocchii* obſervationem in libro, qui ipſi in manibus fuit, *Excerptorum Chirurgicorum* e veteribus med. per *Nicetam* ſervatorum, non praetermiſiſſet, omnia: quae nunc extent alia, Celſi exempla ſcripta ex uno libro, qui lib. IV. cap. 20. lacunam haberet, fluxiſſe, Florentinum autem primum, (ſunt enim VII. exempla ſcripta Florentiae) unde edit. Florent. ducta eſt, ex meliori, in quo illa lacuna maior eſſet: atque duo adeo eſſe genera ſcriptorum et editorum; quod et colligitur e titulorum diverſitate. Nam ii, qui ſunt in libro Florent. et pauciores ſunt et diverſi a titulis ceterorum librorum ſcriptorum et editorum: qui et ipſi inter ſe variant. *Fontius* quidem, cui editio Florentina debetur, eos titulos plane omiſit. Hinc fieri videtur, ut varietates librorum, qui a Florentino diverſi ſunt, variae lectiones, ſint illius exempli, e quo omnes fluxere. Sed de illo Codice, et ceteris Florentinis, legatur Cocchius loc. cit. pag. 52.

Separatim Librum primum illuſtravit *Iodocus Lommius* in Tr. de ſanitate tuenda, qui editus eſt Tornaci 1557. Lovanii 1558. 8. et ſaepe poſtea. In univerſos libros

annota-

annotationes dedit *Hieron. Rubeus* Venet. 1614. 4. *Petr. Paw* Amstelodamensis Chirurgus Commentariis in Hippocratem de Vulneribus capitis adiunxit explicationes in aliquot Capp. L. VIII. Amst. 1616. *Io. Morisotus* autem 1547. Basileae dedit notationes in universos libros. Celso etiam pluribus locis lucem dedit *Io. Rhodius* libro *de Acia ad Celsi mentem*, cui in ed. sec. 1672. libellus accessit *de ponderibus et mensuris medicis, Celsi inprimis*, itemque *Foësius* in Oecon. Hippocratis, et alii per occasiones oblatas in dispp. de rebus medicis.

Plures viri eruditi novas editiones Celsi instituerunt, sed aut consilium abiecere, *h*) aut oppressi morte absolvere non potuere: ut *Ios. Scaliger*, *Io. Walaeus*, *El. Eberh. Vorstius*, *Iac. Holstius*, *Iac. Mentelius*, *Iodocus Lommius*, *Io. Rhodius*, *Th. Bartholinus*. *Rhodius* quidem multos et bonos Codices scriptos contulerat, ut narrat in libro de Acia, c. 16. et alii alios ei miserant, habebatque *Io. Caii*, *i*) Britannici Medici, emendationes, confeceratque etiam Indicem plenissimum in Celsi libros: *Bartholinus* autem habebat omnia ista Rhodii subsidia: sed ea cum ipsius Adversariis periere incendio. Praeter hos etiam *Nic. Blancardus* in Celso laboravit, promisitque novam editionem *Io. Iac. Baierus* Altorfinus in Schediasmate, de suo instituto, a. 1720. voluitque eius instituta absolvere *Ioan. Henr. Schulzius*, eruditissimus vir, sed intra voluntatem res substitit, ut in *Almelovenio*. Denique *Iustus Godofredus Gunzius*, Prof. Med. Lips. post Archiater in Aula Dresd. hoc saxum volvebat, habebatque in itineribus collecta multa excerptorum

h) Vt Petr. Victorius, qui in Epp. ad Germ. pag. 78. scribit ad G. Fabricium, se in animo habuisse Celsi politissima scripta, inprimis e MS. Flor. emendata, edere, sed cum laborem reliquisse Medico Bononiensi, qui in eo se laborare dixerit, eique etiam duo scripta exemplaria misisse etc. sed et ille Medicus nihil perfecit.

i) Ioannes Caius de libris propriis p. 163. seq. testatur Celsum a se ex pluribus MSS. et ex Hippocrate non indiligenter castigatum.

ptorum e MSS. et librorum subsidia, sed praeventus morte destituit spem nostram. Copiae illae pervenere in manus optimas *Blanconi*, (*Bianconi*) viri longe eruditissimi, Collegae eius in aula Dresd. qui nunc res aulae Saxonicae curat Romae, a quo adeo editionem novam et perfectam in omni genere exspectare possumus.

Omnino, qui volet aliquid perfecti in hoc scriptore edendo efficere, debebit illam primum Cochianam de discrimine Codd. scriptorum ante oculos habere, et, e quo genere sit quisque, videre. Quod si quis repererit, qui sit novi generis, in quo sc. illa lacuna non sit, is poterit, ut opinamur, vere novum auxilium afferre Celsi libris. — Illa quoque non inutilis ad crisin observatio est Cochii, Florentinum librum illum scriptum primarium esse a manu Germanica, et e libro literis maiusculis scripto, quarum vestigia deprehenderit ipse in verbis minus tritis ac notis. Oportet etiam, tum legitimam et accuratam, tum venustiorem latinae orationis formam tenere, qua Celsus usus est, ut vitia scribarum deprehendere et corrigere sive tua sponte, sive conferendis libris possis. Veluti in loco illo III, 4. *Ex his autem intelligi potest, ab uno medico multos non posse curari; eumque, si artifex est, idoneum esse, qui non multum ab aegro recedit. Sed qui quaestui serviunt, quoniam is maior ex populo est, libenter amplectuntur ea praecepta, quae sedulitatem non exigunt.* Scaliger verba, *si artifex est*, pro glossemate habebat: et illo in loco esse non possunt. At si formam rectae et concinnae orationis teneas, facile intelligas, si ea deleantur, nihil esse quod respondeat in consequente verbis: *qui quaestui serviunt*, omninoque mancam esse orationem: Celsusque videtur scripsisse: *ab uno medico*, si artifex est, *multos non posse curari, eumque idoneum esse* etc.

Sunt

k) Vide Hieron. Mercurialem IV, 2. Var. Lect.

Sunt, qui Celsum et Sallustium *Graece* versos commemorent a *Benedicto Averano* Florentino, qui a. 1707. diem obiit.

IV. Fuerunt, qui *Celsi Veterinariam* commemorarent, apud H. Mercurialem Var. Lect. IV, 2. Sed videtur id pertinere ad ea, quae in libris de re rustica de eo argumento scripserat; quo pertinentia etiam sunt apud Columellam, qui propterea commemoratur in Vegetii de mulomedicina libello. *Epistola ad Caium Iulium Callistum*, quae sub Cornelii Celsi nomine praefigitur Marcelli Empirici libro de Medicamentis, Scribonium Largum habet autorem, qui scriptum suum de compositione medicamentorum hac ipsa Epistola Callisto dicavit. Apud eundem Marcellum etiam alia brevior *Epistola ad Pullium Natalem* Celso tributa legitur, in qua se ait illius rogatu duos compositionum libros de graeco in latinum sermonem convertisse. Sed et hanc Largo potius adscripserim, qui in prioribus litteris promittit, se plures compositiones collecturum. Vtraque Epistola exstat in calce editionis Celsi Plantinianae a. 1592. 4. et in Medicis antiquis Aldi et H. Stephani. *Librum de herbis* constat non esse huius Celsi, ut infra in Apuleio dicemus.

V. INDEX SCRIPTORVM ET MEDICORVM A CELSO LAVDATORVM.

Aesculapius I. praef.

Ammonius Alexandrinus Chirurgus VII. praef. λιθοτόμος dictus VII, 26.

Andreas V. praef. et 18. bis, et VI, 6. VIII, 22.

Andron V, 20. VI. 18. Andronium medicamentum VI, 14.


Apol-

Faber

Phile-



CAPVT



CAPVT V.

DE

VALERIO MAXIMO.

I. *Valerii Maximi aetas et libri IX. Memorabilium.* II. *Vtrum Epitome illius operis hodie tantum superſit.* III. *De nominum Rom. ratione fragmentum.* IV. *Editiones Valerii Maximi.* V. *Exneri Valerius Maximus Chriſtianus, et alia huiuſcemodi ſcripta.* VI. *Valerii Epiſtola ad Rufinum ne ducat uxorem.*

I. VALERIVS MAXIMVS, Romanus, cum per aliquod tempus, petita cum Sexto Pomponio Aſia, (II, 6, 8.) militaſſet, reverſus in patriam extremis Tiberii Imp. temporibus (IX, 4. 4.) poſt caedem Seiani, ſcripſit ad eundem Imperatorem *libros IX. dictorum factorumque memorabilium*, digeſtorum in certas claſſes; opus iucundum, varium, utile, lectumque Gellio lib. 1. c. 7. Plinio lib. 7. et Plutarcho in Marcello, ut Io. Sarisberienſem, Petr. Bleſenſem, et alios iuniores praetereamus, Saxonem praecipue Grammaticum, qui eum plurimis Hiſtoriae ſuae Danicae locis eſt imitatus, ut notatum eſt ab aliis, tum a Stephanio in notis. *Publii* praenomen Valerio vindicandum non dubitabat Marquardus Gudius, auctoritate Codicis Medicei. Igitur ad alium ſpectat inſcriptio vetus, ſi vetus, quam affert Gaudentius Merula lib. 1. de Gallorum Ciſalpinorum antiquitate cap. 4.

M. VALERIVS MAXIMVS
SACERDOS
D. S. I. M. STVD
ASTROLOGIAE

SIBI ET SEVERIAE APR
VXORI
H. M. H. N. S.

In Codice Leidensi tamen Valerium Maximum *Marti* praenomine insigniri video. *Maximi* cognomen commune apud Romanos Valeriae genti et Fabiae et Calvisiae aliisque. Vide Ezech. Spanhemium de usu numismat. T. 2. edit. novae pag. 46. 65. 72. etc. Ineptum verborum et sententiarum affectatorem dixit Valerium Ios. Scaliger, quod eius iudicium probat Ian. Rutgersius, quem, si placet, vide VI, 16. Var. Lect. p. 597. seq. In historia quandoque lapsum observavit Car. Sigonius lib. I. emendationum contra Robertellum p. 65. Quoniam omnium manibus terebatur hic scriptor, ideo prodigiosissime corruptum et glossematis interpolatum ad nos pervenisse notat Franciscus Modius Epist. 54. et 96. novantiqu. lect. *Passim*, inquit vir doctus, *in Valerio observavimus pronominum ellipsin, Graecis quoque usitatam. At imperiti homines de suo illa intruserunt fulciendis sententiis, quod semel dictum volumus de hoc scriptore.* Fulbertus Carnotensis Epist. XCVI. ad Robertum Francorum Regem, affert ex *Valerio Rufo* in libro memorabilium capitulo quarto de prodigiis, quae apud Valerium Maximum lib. 1. memorabilium cap. 6. de prodigiis n. 5. leguntur.

II. Quos vero hodie sub eo nomine legimus, cum dictionem aliquando prodant illa a) fere aetate indignam, viri docti habent pro epitoma ex maiore Valerii opere con-

a) Erasmus in Ciceroniano: *Valerius Maximus tam similis est Ciceroni, quam mulus homini, adeo ut vix credas vel Italum fuisse qui scripsit, vel hoc aetatis quod prae se fert vixisse, tam diversum est totum dictionis genus. Afrum quempiam esse dicas, nec ullum carmen elaboratius.* Castrense genus dicendi in Valerio ac Velleio notat Christianus Daumius in libro de caussis amissarum latinae linguae radicum p. 39.

concinnata, vel a *Iulio Paride*, ut Voſſius coniicit de Hiſtor. Lat. lib. 1. cap. 24. (confer Lambecium 2. de Bibl. Vindob. p. 934. quod tamen librarii potius nomen videtur Viro docto in Memor. Trivoltinis a. 1714. p. 51.) vel a *Ianuario b) Nepotiano*, quae iuſtior forte Cantelii ſuſpicio eſt. Fundus huius poſterioris opinionis eſt Epiſtola, quam ex vetere codice edidit Philippus Labbeus T. I. Bibliothecae MSS. p. 669. et quia brevior eſt, hic integram apponere non gravabor.

Ianuarius Nepotianus Victori ſuo ſalutem.

Impenſius quam caeteri adoleſcentes literis ſtudes, quo tantum proficis, ut exigas Scripta Veterum coërceri, mi Victor, quod iudicium etiam in ſenibus rarum eſt. Igitur de Valerio Maximo mecum ſentis, opera eius utilia eſſe, ſi ſint brevia. Digna enim cogitatione componit, ſed colligenda producit, dum ſe oſtentat ſententiis, locis iactat, fundit exceſſibus, et eo fortaſſe ſit paucioribus notus, quod legentium aviditati mora ipſa faſtidio eſt. Recidam itaque, ut vis, eius redundantia et pleraque tranſgrediar, nonnulla praetermiſſa connectam. Sed hoc meum nec vim antiquorum habebit, nec fucum novorum. Et cum integra fere in occulto ſint, praeter nos c) duos profecto nemo Epitomata cognoſcat. Hoc tutius abutor otio, cave hic aliud quam brevitatem requiras, quam ſolam popoſciſti. Cura mi Victor ut valeas.

Sed tamen Epitomen tantum Valerii ſupereſſe nobis, non adeo certum eſſe, vel ex Plinio Maiore, qui plus ſimplici vice verbis eius utitur, colligi poſſit. Imo contrarium dilucide e Plinio apparere ait Io. Harduinus, cuius tamen iudicio non ipſius Valerii, ſed epitomatoris ſunt, quae a Cuſpiniano primum (quo nomine ipſi Al-

 dus

b) Hunc addes aliis Ianuariis collectis a Gisb. Cupero in ἀποθεώσει Homeri p. 271.

c) Ita leg. pro *nos duo*.

dus gratulatur) e MS. Vindobonensi restituta et 2. MSS. Regiis tertioque Remensi S. Dionysii Canonicorum Regularium, et in Petri Danielis Codice aliisque quibusdam haud obvia, leguntur a num. 5. extern. c. 1. lib. 1. ad c. 5. eiusdem libri 1. quod de ominibus est, praefationibusque et egressibus Valerio usitatis sunt destituta. Glossematis laborare hos libros notavit Iacobus Schegkius Epist. 4. praemess. Non esse porro auctorem Valerium Maximum inscriptionum cuiuscunque capitis, vel illud argumento notat esse Franciscus Vavassor libro de vi et usu verborum quorundam latinorum, quod lib. 5. caput 2. de gratitudine inscribitur, et caput 3. de ingratitudine, quas voces neque usquam illo sensu apud probum scriptorem reperias, (apud Apicium enim *gratitudo ciborum* notat gratum et iucundum illorum saporem) nec ipse Valerius illis capitibus usurpavit, cum occasio usurpandi, imo prope necessitas non deesset. Idem tamen Vavassor testatur se habuisse scriptum manu Valerium, in quo non iam de gratitudine et ingratitudine, sed de gratis et ingratis capita inscripta essent. Epitomen librorum novem Valerii composuit etiam *Io. Honorius* Bohemus, qui Lipsiae Sec. XV. fine claruit, quae Lips. 1503. 4. prodiit. Vide Ioan. Hallervodii spicilegium de Hist. Lat. p. 110.

III. In paucis quibusdam MSS. Pighius testatur pro *decimo libro* occurrere fragmentum epitomes *de nominum Romanorum ratione*, quam ex Valerio (forte non *Maximo* sed *Antiate*) *Iulius Paris* confecisse dicitur. Hoc insigniter illustrat et erudite castigat *Claudius Salmasius* in commentario inchoato ad Arnobium: add. Spanhem. de Vs. et Pr. num. Tom. II. p. 40. 41. 77. etc. qui id fragm. *T. Probo* tribuit. *C. Titi Probi* d) nomen,

d) In Autographis Rudolphinis T. I. p. 401. male excusum est *C. Titi Probi in X. libros Epitome* pro *in decimum librum*.

men, quod eidem fragmento praefigitur in editione Antverp. 1535. 8. in qua prima hoc fragmentum vidimus, forte, nisi plane alienum sit, est librarii. Quamquam exstitit *Probus* quidam, de quo Lupus Ferrariensis, Epistola XX. et XXXIV. ubi de variis argumentis eum esse commentatum testatur. *Probum autem*, inquit, *non tam aliquid edidisse admiror, quam non omnibus iam scribendi materiam abstulisse.* Illud vero fragmentum prorsus remotum est a novem librorum Valerii Maximi argumento, et propterea in pluribus editionibus praetermissum. In quibusdam quoque MStis codicibus separatim sine reliquis Valerii libris occurrit. Vide Lambecium lib. 2. de Bibl. Vindob. p. 934. Alciatum IV, 1. dispunction. In Codice Heinsiano a. 1421. scripto Gudius reperit, *Libri X. capitulum 1. de praenomine: de Praenomine* ut est et in ed. Antv. Illud de nominum ratione fragmentum Pighius recensuit ex editione Philippi Nucii Antv. 1566. quam cum veteribus codicibus commiserat. *Dionysii de Burgo* expositiones MSS. in Valerium exstant in Bibliotheca Remensi, in Monasterio S. Remigii, et Vratislaviae in Bibl. Rhedigeriana. Fuerunt etiam in Menarsiana p. 64. ubi auctor male vocatur *Franciscus de Burgos.*

IV. Lucem vidit Valerius Maximus Moguntiae primum per Petrum Schoeffer de Gernshem, a. 1471. fol. quae editio princeps ex Perizonii legato servatur in Bibl. Leidensi. Eodem anno recusus per Vindelinum Spirensem Venetiis 1471. fol. e) atque iterum Venetiis 1474. fol. per Iohannem de Colonia ac Ioh. Manthem, et Paris. 1475. f. sine nomine typographi, praeterea Venet. 1475. f. et Bononiae 1476. f. ad petitionem Sigismundi de Libris. Ex emendatione *Boni Accursii* Pisani, Venet. 1478. fol. et Mediolani 1480. fol. per Leonardum Pachel et Vldericum

e) Mich. Maettarii Annal. typograph. pag. 91. 107. 115. 120. 132. 156. 168. 203.

cum Scinczenzeller. Cum *Omniboni Leoniceni* Vicentini expositione, Venet. 1482. fol. per Ioannem de Forlivio et socios eius, et Mediolan. 1487. fol. per Leonhard. Pachel et Vld. Scinczenzeller Teutonicos. Ex recensione *M. Antonii Sabellici*, cum *Oliverii Arzignanensis* Vicentini commentario, Venet. 1487. fol. arte et impensis Ioannis Forliviensis, Gregoriique fratrum, atque deinde saepius, ut 1488. 1491. 1494. 1497. 1500. 1503. 1505. fol. Cum eodem commentario, et *Theophili*, Mediolan. 1508. 1510. et additis *Iacobi Badii Ascensii* familiaribus interpretationibus ibid. 1513. fol. *Sub Theophili nomine Arcadicus latet*, aiunt in titulo Mediolanenses, *cuius rabiem hac in editione coërcuit Antonius Lenas.* Prodiit iterum Valerius cum commentariis Oliverii, Badii etc. Venet. 1518. Parif. 1522. Venet. 1548. 1558. 1565. 1575. fol. et sine illis et sine loci et anni nota in 4. et ap. Aldum 1502. 1503. et 1508. et ap. Asulanum a. 1514. 8. Lipsiae 1514. f. per Melch. Lottherum, Parif. 1517. tum Selestadii 1520. 4. apud Lazarum Schurerium; qua editione a Iohanne Kukio, sive Cauchio Traiectensi, cum vetere Codice Batavo collata, Pighius usus est Argent. 1521. 8. Parif. 1527. 8. apud Colinaeum. Ex aedibus haeredum Asulani Venet. 1534. 8. et cum praefatione Pauli Manutii ad Bernardum Georgium, qui Venetae gentis exempla cum veteribus conferre instituit, apud Iuntam 1534. 8. Antverp. 1538. 8. apud Stelsium. Moguntiae 1538. 8. Basil. 1540. 8. et ex recensione *Sebast. Corradi* atque cum eius notis, Venet. 1545. 1564. 8. et 1605. 8. quam postremam editionem Clariss. Perizonius, collatam cum codice MS. Biblioth. secretae Iulii II. Pontificis, legavit Bibl. Leidensi. Ab eodem etiam legata est Parisiensis a. 1545. 12. collata cum MS. chartaceo Cornelii Tollii, nec non Duacensis a. 1619. 4. collata cum duobus MSS. et cum variis Lect. e codice MS. Lipsiensi et Iani Dousae coniecturis. Eidem additae plures Perizonii

nii ipsius notae, atque index rerum, et verborum. Extant Gryphianae quaedam *Sebastiani* 1541. et 1547. *Antonii* 1566. et 1587. 12. Prodiit etiam ex *Rob. Stephani* officina cum indice et variis Lect. Paris. 1543. 8. tum Antverpiae 1545. 8. et Lugdun. 1534. 8. 1541. 8. 1560. 8. 1566. et 1576. 12. Genevae 1550. 12. cum *Henrici Glareani* annotationibus Basil. 1553. 8. apud Henr. Petri, et a. 1577. 8. *Lucae* quoque *de Penna* (eiusdem, qui in Codicem Iustinianeum scripsit) Observationes manu exaratae in Valerium Maximum fuere in Bibl. Is. Vossii. Praeterea lucem vidit Valerius Basileae 1556. fol. cum scriptoribus aliis, qui exempla virtutum et vitiorum edidere: sunt autem hi: 1) *Nicolai Hanapi f*) Patriarchae Hierosol. exempla virtutum et vitiorum ex utroque Test. 2) Valerius Maximus, 3) *Aeliani* variae Historiae Graece cum Herm. Vulteii versione, 4) *M. Antonii Coccii Sabellici* exemplorum libri decem, 5) *Baptistae Camposulgosi* dictorum factorumque memorabilium *g*) libri novem, 6) *Parthenii* Erotica Graece cum Iani Cornarii versione, 7) *Guidonis de Fonte Nayo* Bituricensis liber variorum exemplorum, scriptus a. 1516. 8) *M. Maruli h*) Spalatensis de vita religiose per exempla instituenda libri sex. 9) *Heraclides* de politiis, Graece et Latine e Io. Stobaei florilegio. 10) *Iulii Frontini* strategematon libri IV.

f) Lucem viderant separatim Lugd. 1554. 12.

g) Prodierant separatim Mediolan. 1509. et plus simplici vice postea Coloniae, Parisiis, Antverpiae.

h) Lucem viderunt Latine Basil. 1513. 4. et Italice versi a Remigio Florentino, Ord. Praedicator. Venetiis 1603. 4. Valerii Max. vestigiis etiam insistunt *Richardus Dinothus* Normannus Constantinus in libris VIII. locorum communium historicorum de rebus, et factis memorabilibus, Basil. 1580. 8. *L. Domitius Brusonius* Contursinus Lucanus rerum memorabilium libris VII. Francof. 1608. 8. *Andreas Eborensis* Lusitanus in exemplis memorabilibus, Colon. 1593. 12. *Nicolaus Vernulaeus* virtutum Austriacarum libri III. Lovan. 1640. 4. *Io. Conradus Dietericus* in Ethica paradigmatica Ien. 1670. 8. Alios retuli infra.

Prae ceteris post Aldinam, et Parisiensem Rob. Stephani, memoranda est editio, quae cum notis *Steph. Pighii*, plus quam octingentis locis Valerium emendasse se professi, Antw. 1567. 1574. 8. prodiit; cum iisdem et brevibus notis *Iusti Lipsii*, qui duobus MStis codicibus et antiquis editionibus usus est, ibid. a. 1585. 1594. etc. 8. in qua etiam fragmentum illud *de nominibus* reperies, Pighii notis illustratum, quod Ioh. Vorstius, Ioh. Minellius, aliique, ut dixi, prorsus abiecerunt, et Lugd. 1612. 12. Sed Pighius in textu corrigendo iusto audacior fuit, dum omnia vult ad veritatem historicam revocare. Prodiit Valerius etiam cum *Mitallerii* notis Lugd. 1576. 12. Pighii et eiusdem Lugduni a. 1587. 12. apud Gryphium. Nec *Christophori Coleri* praetereunda editio, qui Valerium ad exemplar Petri Danielis, pridem Ravennae emendatum a Rusticio Helpidio Domnulo V. C. contulit, et animadversionibus atque indicibus auxit, Pighiique et Lipsii notas addidit Hanov. 1614. 8. Auctior est editio Wecheliana Francof. 1627. 8. cui et annotationum suarum novam appendicem, atque Sebast. Corradi selectas animadversiones Colerus adiunxit. Hanc Gudius cum Codicibus viginti amplius contulerat, quorum notitiam his verbis praefixerat: B. 1. *scriptus in folio, exstat Avarici Biturigum apud Nicolaum Catharinum, Advocatum Regium. In fine libri notatur descriptoris nomen et aetas his verbis:* Anno Domini nostri Iesu Christi millesimo CCCC. octavo Ego frater Iohannes de Barrio Ordinis Minorum, conventus Mirandae in Vasconia, oriundus de Galano, istum Valerium Max. Parisius scripsi. Et inceptum in vigilia Pentecostes, in vigilia, S. Laurentii consummavi in honore S. Trinitatis et totius curiae coelestis. Amen. B. 2. *Secundus Bituricensis codex litera maiori et eleganti sed corruptissime scriptus, volumen vastum, tamen non magni pretii: manus ipsa valde recens: deerat initio unum folium.*

Desine-

Desinebat statim libro nono, neque ibi reperiebatur capitulum de praenomine ex libro decimo. Habuimus hunc librum ex Bibliotheca S. Sacelli Bituricensis, sed tantum inspeximus. C. *Remis extat in Bibliotheca Canonicorum Ecclesiae Cathedralis. Volumen in membrana, fol. manu recenti scriptum. Erant in hoc etiam tantum quatuor primi libri cum eodem commentario, et plane conveniebat cum illo altero Codice Bibliothecae Remigianae, ut alterum ex altero descriptum appareret, fortasse eadem manu, nam litera nihil differebat.* D. *Hunc habuimus ex Bibliotheca S. Dionysii Remensis, quae est Canonicorum Regularium. Eius copiam nobis fecit Ioannes Bragaelonne, iuvenis domo et eruditione conspicuus. Codicem Valerii neque dum facile meliorem vidi, sed temporis inopia totum conferre non licuit. Scriptus erat in membrana 4. manu satis bona, quae trecentorum annorum aetatem prae se ferebat.* F. 1. *Codex in folio membranaceus in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini sub num. 1956. Scriptus erat litera crassiori, et satis clara, aetatemque videbatur prae se ferre trecentorum annorum. Habebat in margine explicationes in glossas, ubi quaedam non prorsus contemnenda.* F. 2. *Codex membranaceus in fol. ex eadem Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini sub num. 1955. Scriptus litera mediocri et rotundiori, eius propemodum aetatis cum superiori. Glossulas habebat interlineares, sed nullas marginales.* G. *Codex Ecclesiae Cathedralis Harlemensis, quem designamus litera G. quia usum eius nobis procuravit V. Cl. Ioannes Fredericus Gronovius. Scriptus in fol. pergamen. literis aequalibus et nitidis. Prae se ferebat annos prope quingentos. Latebat Valerius inter varia opuscula istius voluminis, videlicet ista:* 1. Liber de vitis Philosophorum cuius haec inscriptio: Liber de vita ac moribus Philosophorum

 Poë-

Poëtarumque veterum ex multis libris tractus, nec non breviter et compendiose per venerabilem virum M. Walterum Burley compilatus incipit feliciter. 2. Eusebii Chronicon Hieronymian. 3. Hieronymi liber de Viris illustribus. 4. Valerius Maximus. 5. Senecae Epistolae ad Paulum. Eiusdem de IV. virtutibus ad Paulum. Eiusdem de copia verborum. Eiusdem de morte Claudii Caesaris. Eiusdem proverbia ad ordinem Alphabeti. 6. Alani quaedam opuscula. De vita Curialium Dialogus super deploratione Galliae calamitatt. etc. *In fine libri scriptum erat:* Hos libros comparavit Raphael de Marcatellis, Abbas Sti Bunonis et Baccalaureus S. Theologiae formatus Paris. a. 1463. H. 1. *Est primus codex quem habuimus a V. C. Nicolao Heinsio. Erat forma in fol. membranaceus, litera satis aperta. Ex vestigiis quibusdam subobscuris apparebat fuisse olim hunc librum ex Bibliotheca Marchionis Estensis.* H. 2. *Debemus similiter hunc Codicem Heinsio scriptum in membrana, forma quarta, litera per librariorum compendia difficiliori et fugienti. In frontispicio libri grandis erat index foliorum circiter triginta in Valerium, secundum literas Alphabeti. Hunc sequebatur Gens Cornelia et explicatio aliorum quorundam nominum et dignitatum Romanarum. Exaratus erat, ut annotabatur, anno 1421. a die 21. April. usque ad diem 4. Iul.* I. *Codex membranaceus in fol. qui videbatur scriptus annis abhinc trecentis. Extat in collegio Romano Iesuitarum. Fuit olim ex Bibliotheca Mureti. Inscribitur:* Valerii Maximi factorum et dictorum memorabilium Vrbis Romae externarumque gentium. Incipit liber primus ad Octavianum Imp. L. 1. *Ex Bibliotheca Regia Parisiensi, fol. in membrana.* L. 2. *Ex eadem Bibliotheca Regia: uterque recens.* L. 3. *Ex eadem Bibliotheca: melioris notae et vetustior.* L. 4. *Eiusdem Bibliothecae Regiae: bonae fidei, annorum circiter 350.*

Cum

Cum duobus his poſterioribus libros aliquot Valerii contuli. M. 1. *Mediceus primus, forte 400. annorum.* M. 2. *Mediceus ſecundus in fol. ante ducentos annos ex Codice antiquo ſcriptus in cuius fine legitur:* Liber Poggii ſecretarii ſummi Pontificis, quem vendidit Ioanni Coſmae. *Hic Codex habet praenomen Valerii Publius.* M. 3. *Mediceus tertius, in folio, trecentorum annorum. Habet in fine aliquid ex Epitoma illa libri ut aiunt X.* M. 4. *Mediceus quartus, fere eiuſdem cum antecedentis aetatis in fol.* M. 5. *Mediceus quintus, codex recens et vix ducentorum annorum.* M. 6. *Mediceus ſextus, in fol. paulum excedit ducentos annos. In fine legitur:* Liber Petri de Medicis Cos. Fil. P. 1. *Primus Codex Vaticanus S. Petri ſcriptus in fol. pergamen. annorum circiter 400. Continetur in Bibliotheca veteri Vaticana ſub num. 1928.* P. 2. *Secundus Vaticanus longe recentiori ſed multo etiam elegantiori manu in membrana ſcriptus. Reperitur num. 5209.* R. *Codex Remenſis in monaſterio S. Remigii. Continebat tantum quatuor libros Valerii cum commentario neſcio cuius, nam certe erat* Dionyſii de Burgo, *qui ſtatim citatur initio:* Incipit primi libri Valerii Maximi prooemium quod ſecundum Magiſtrum Dionyſium de Burgo huius libri expoſitorem pro aemulis ponitur, qui conſueti ſunt librorum auctoribus detrahere: ad eos reprimendos etc. *Sed quiſquis ille commentator aut nugator eſt, certe Dionyſio nihil ſe meliorem oſtendit. Liber in fol. pergamen. manu valde recenti ſcriptus eſt. Servabantur in eadem Bibliotheca* commentarii Dionyſii de Burgo, *duobus permagnis voluminibus in membrana, manu ſimiliter admodum recenti. Explicat novem libros Valerii, ſed textum ipſum omiſit. Non praemittuntur commentario niſi prima verba paragraphorum Valerii, cuius textum deinde mire laceratum et corruptum Dionyſius inter gloſſarum ſuarum*

rum suarum spinas interserit. *Incipit:* Reverende in Christo patri suo et suo Domino specialissimo Dom. Ioanni de Columna, divina providentia St. Angeli Diacono Cardinali Fr. M. Dionysius de Burgo St. Sepulchri Ordinis Fratrum Heremitarum Sti Augustini cum omni subiectione et reverentia filiali se totum etc. V. 1. *Codex Isaaci Vossii in membrana, fol. annorum circiter trecentorum.* V. 2. *Codex optimae notae, forma quadratus in membranis, sed mutilus, olim Petri Puteani, nunc eiusdem Vossii, excedebat aetatem annorum 500. Erant antiqua manu ad marginem adscriptae variae lectiones ex alio Codice.* Hactenus Gudius. *i*)

Christophori Adami Ruperti eruditae ad Valerium Maximum et Velleium observationes excusae sunt Norimbergae 1663. 8. Ex horum plerisque selectas notas excerpsit, suisque addidit *Antonius Thysius* Lugd. Bat. 1651. 1660. 1670. 8. Biennio post *Ioannes Vorstius* Valerium ad editionem Aldinam et binos Codices Bibliothecae Electoralis Brandenburg. castigatum, notisque eruditis illustratum, edidit Berolini 1672. 8. *Iohannes* quoque *Minellius* in tironum gratiam Valerium succinctis scholiis explicatum vulgavit Roterdami 1662. 12. recusum 1671. 12. ut omittam Valerium ad duos MSS. codices Anglicanos recensitum a *Iohanne Isaaco Pontano* Amst. apud Dan. Elzivirium minori forma 1632. 1671. et cum Lipsii notis nitide et emendate editum Lugd. Batav. 1640. 12. Amst. 1660. 12. cum notis Variorum ex editione Thysii Lugd. Bat. 1655. 8. In usum Delphini Valerius illustratus est a *Petro Iosepho Cantelio* Paris. 1679. 4. qui praeter alia singulis narrationibus temporis quoque notationem, quo singula gesta sunt, Pighio praeeunte adiecit.

Omnium

i) Hoc exemplum e Gudiana Bibliotheca venerat in Fabricianam. Non totos Codices Gudio collatos esse omnes, notavit Torrenius.

Omnium optima nunc est editio facta Leidae anno 1726. 4. curante *Abr. Torrenio*, cum notis integris Glareani, Pighii, Lipsii, Coleri et Vorstii, selectis aliorum, cum ineditis porro Barthii, Guieti et Gudii, inprimis ineditis perpetuis *Iac. Perizonii*, addita etiam *Ant. Schultingii* Diss. ad L. VII. cap. 7. de testamentis rescissis. Basin textus fecit Vorstianum: quod Vorstius eum ab interpolationibus Pighianis liberavisse et ex MSS. et edd. vett. bene correxisse videbatur: sed eum passim correxit, usus MSS. plurimorum excerptis, in his Gudianis omnibus Perizonianisque: item edd. pr. et omnibus schedis Perizonii e Bibliotheca Leidensi: unde et illae ineditae Perizonii notae sumtae sunt. Nam *Perizonius* promiserat novam Valerii editionem, cuius specimine in Animadv. historicis cap. 3. edito, omnium doctorum cupiditatem eius videndae commoverat; nec quisquam eo fuit magis idoneus ad hoc negotium. Additus est etiam Index verborum locupletissimus, a Collega eius in Gymnasio Leidensi, *Mich. Benedicto* confectus.

Germanice lucem vidit Valerius *Everhardo Guernero Happelio* interprete, cum praef. D. *Rudolfi Cappelli* Hamburgi a. 1676. 8. *Gallice* versus est per *Iohannem le Blon* Paris. 1572. 12. Exstat et altera recentior Gallica versio auctore *Clavereto* (le Sieur *de Claveret*) Paris. 1647. 8. 1659. 12. cuius locum aliquem reprehendit Mottanus Vayerus in Hexaemero rustico p. 28.

In Bibliotheca Rhedigeriana, Vratislaviae Valerii Codex MS. exstat pulcherrimis imaginibus singulari artificio pictis, quibus cuiusvis libri exordium ornatur, et versione liberiore vetere *Gallica* conspicuus. Geminus Codex fuit in Biblioth. Menarsiana; itemque alius Altonae apud Rev. *Danielem Sassium* k) Ecclesiasten, cuius in

k) Obiit a. 1718. mense Dec. Notitia Codicis MS. Valerii extat etiam in Catalogo Bibl. Sassianae pag. 346.

in tomo altero ad calcem legebantur haec verba: *Par l'aide divine, ſans laquelle nulle choſe n'eſt droitement continuée, ne menée a fin eſt la translation de* Valerius le Grand *terminée, la quelle commenca tres reverend Maiſtre* Simon de Hesdin *l*) *Maiſtre en Theologie, religieux des Hoſpitaliers de Saint Jean de Jeruſalem, qui pourſuivy juſques au* ſeptieme livre *au chapitre des ſtrategemes, et la laiſſa. De la en avant juſques a la fin du livre je* Nicolas de Gonneſſe, *Maiſtre es ars et en Theologie, ay pourſuivy la dite translation au moins mal que jay peu, du commandement et ordonnance de tres excellent, et puiſſant Prince Monſeigneur* le Duc de Berry et Dauvergne, *a la requeſte de* Jacquemin Couran *ſon treſorier, et ne doutenne que mon ſtyle de tronſlater ſoit ſi parfait, comme eſt celui de davant. Mais je prie à ceux qui le liront, qu'ils le me pardonnent. car je ne ſuynne ſi expert es hiſtoires, comme il eſtoit. Et fut finée lan mil CCCC. et uny, la veille Monſeigneur Saint Michael larchangele.* MS. Gallicam verſionem Valerii Maximi in membrana ſervat quoque Ienae Bibliotheca publica Academiae, ut a Clariſſ. Struvio pag. 182. introductionis in Hiſtoriam literariam fuit

l) Genebrardus in Chronolog. ad a. C. 1404. memorat Iohannem de Hisdinio, Hoſpitalarium. Caeterum Simonis Hesdini verſionem Gallicam librorum Valerii Max. laudat etiam Lud. a S. Carolo pag. 443. de Bibliothecis, et typis etiam exſcriptam conſtat ex Bibliothecarum Gallicarum ſcriptoribus. Franciſcus Crucimanius pag. 458. *Simon de Hesdin Docteur en Theologie, religieux des Hoſpitaliers de S. Jean de Hieruſalem, du temps de Charles V. Roi de France, l'an 1364. ou environ. Il a traduit les ſept premiers livres des exemples memorables de Valere le Grand, et les annotez et augmentez de pluſieurs choſes de ſon invention, le reſte de oeuvres du dit Valere a eſté chevé de traduire par Nicolas de Gonneſſe, Maiſtre ès arts et en Theologie. Le tout a inprime à Lyon ſur le Roſne l'an 1485. par Matthieu Huſs in fol. de grand papier et continent 220. fueilles, de caracteres baſtards.* Idem pag. 345. *le dit Nicola de Goneſſe acheva de traduire le dit livre en l'an 1401. per le commendement de Monſieur le Duc de Berry, et de Auvergne Conte de Poictou etc. à la requeſte de Jaquemin Covenux ſon treſorier.* Gloſſas ab interprete additas teſtatur etiam Antonius Verderius Bibl. Gallicae p. 1137.

fuit annotatum. Noviſſime Pariſiis 1713. 12. lucem vidit *m*) Valerius Maximus Gallice verſus et notis illuſtratus a Tarboichero. *Belgicam* verſionem *Abrahamo Bogaarto* debemus Amſt. 1721. 8. *Italice* per *Georgium Dati* Florentinum, Romae 1539. 8. prodiit, et Venetiis a. 1573. 8.


V. Balthaſaris Exneri *n*) *Valerius Maximus Christianus* Hanov. 1641. 8. exhibet libros IX. dictorum factorumque memorabilium, Valerii exemplo collectos digeſtoſque ex Chriſtianis hiſtoriis: cui labori praeluſere, qui in editione Valerii Maximi Baſil. 1577. 8. cum Glareani notis vulgata, ſubiecerunt farraginem exemplorum Chriſtianorum. Scripſit et Valerii noſtri imitatione *Baptiſta Fulgoſus* libros IX. factorum dictorumque memorabilium ex omni hiſtoria vetere ac recente collectos editoſque Antverp. 1565. 8. et *M. Antonius Coccius Sabellicus* X. libros Exemplorum: quod opus poſtumum ſaepius prodiit ut Baſil. 1541. 8. et Germanice per Leonardum Brunnerum Argent. 1535. fol. *Ioannes Baptiſta Egnatius* libros IX. de exemplis illuſtrium virorum Venetae civitatis atque aliarum gentium, qui poſt auctoris a. 1553. defuncti obitum prodiere anno proximo. *Ioannes Schefferus* in libro memorabilium exemplorum Svecicae gentis Hamburg. 1671. 8. Similiter Exempla gentis Danicae ſive Valerium Maximum Danicum libris XIX. congeſſit Vir Clariſſ. *Otto Sperlingius*, ut refertur in novis litterariis Maris Baltici a. 1698. pag. 22. Exempla Gallicae Gentis, Valerii imitatione ſcripſit *Guilelmus de Bellay*, teſte Franciſco a Cruce pag. 139. Biblioth. Gallicae. Ioannes vero Franciſcus Lauredanus in gloria Academiae incognitorum p. 247. promiſit, ſe ad Valerii

m) Memoires des Trev. 1714. p. 49. Journal des Savans 1714. pag. 393.


n) De Exnero, qui an. 1624. diem obiit, videnda Io. Henelii Sileſiographia T. I. c. 7. p. 208.

Valerii exemplum editurum dicta et facta Venetorum illustria, *i detti e fatti de' Venetiani.*

VI. Philippus Labbeus in Bibliotheca nova MSS. pag. 45. memorat *Valerii Maximi dissuasiones ad Rufinum, ne ducat uxorem.* Sed intelligitur Epistola, quae, Christiano utique scriptore, sub Valerii, nescio cuius, nomine legitur inter scripta S. Hieronymo supposita, atque incipit: *Loqui prohibeor, et tacere non possum.* In eam Epistolam commentarios *Ioannis Guallensis* et *Nic. Triveti* memorat Ioannes Lelandus de scriptoribus Britannicis p. 307. 327.



CAPVT



CAPVT VI.

DE

ASCONIO PEDIANO.

I. *Asconii patria et aetas.* II. *Commentaria in Orationes Ciceronis.* III. *Editiones.* IV. *Scripta deperdita.* V. *Liber de origine gentis Romanae et liber de Viris illustribus et perperam ipsi adscripti.* VI. *Index Scriptorum ab Asconio laudatorum.*

I. ASCONIVS a) PEDIANVS Patavinus, b) cum Virgilio familiariter versatus, si Servium et Philargyrum in Eclogam IV. audiamus, tamen ab Hieronymo in Chron. dictus adhuc sub Vespasianis floruisse. Quanquam vero addit Hieronymus, eum anno aetatis 73. oculis captum, inde vixisse 12. annos; maius tamen est intervallum temporis a Virgilio ad Domitianum usque, quam ut idem homo dici possit Virgilii familiaris fuisse et septimo Domitiani anno obiisse. Itaque duos Asconios facit Scaliger ad Eusebium p. 184. edit. pr. cum longe rectius Hieronymum metachronismi arguisset, quod facere non dubitavit Ioh. Harduinus ad Plinium, et Scaliger ipse in secunda Eusebii editione p. 200. Quintilianus quidem videtur Pediani fuisse auditor. Ita enim ille lib. I. Instit. Orat. cap. 7. *Sibe et quase scriptum in multorum*

a) Ausonius Paedianus vocatur in Ramiresii pentecontarcho, male.

b) Hinc Livium *suum* vocat Asconius in Orat. pro C. Cornelio, non tantum quod eo familiariter usus fuisset, ut Scaligero visum. Patavinum fuisse, ex Silio quoque, qui amici sui et familiaris elogium libro XII. v. 212. seq. insevuit, probat Vossius contra Scaligerum pag. 143. de Hist. latinis. Conf. Bernardinum Scardeonium de antiquitate Vrbis Patavii et claris civibus Patavinis p. 44. seq. Lipsium lib. I. Elect. cap. 17. pag. 563.

torum libris est, *sed an hoc voluerint auctores*, *nescio*, *T. Livium ita his usum*, *ex Pediano comperi*, *qui et ipse eum sequebatur*.

II. Exstant Asconii *commentarii* succincti et praestantissimi, quamvis *mutili*, *in Orationes quasdam Ciceronis*, supra recensitas. Filiis suis dicasse commentarios Asconium, Hottomannus recte observavit ex his eius verbis ad Orat. pro Milone: *Quid sit dividere sententiam*, *ut enarrandum sit*, *vestra aetas*, *filii*, *facit*. Videntur autem scripti sub Claudio Imp. uti Lipsius in Satyra Menippea, et post eum alii colligunt ex eo loco commentarii in Orationem pro M. Scauro, ubi memorat Longum Caecinam, qui cum Claudio Cos. fuit. Huius Longi nomen a Vossio, et Ioanne Rualdo frustra sollicitatum, Claudio adiungitur in fastis Consularibus *c*) optimis, ante plures annos editis ab Henrico Norisio post commentarium insignem de Epochis Syro Macedonum, a. V. C. 795. qui respondet a. C. 42. *d*)

III. Asconii commentarii Poggio *e*) lucem debent, ut infra in Valerio Flacco dicemus, excusi Venetiis 1477. fol. per Io. de Colonia de qua ed. vid. Maettarium T. IV. p. 375. cum Antonii Lusci commentariis in quasdam Ciceronis Oratt. Item Patavii 1493. fol. cum Georgii Trapezuntii de artificio Orationis Ciceronianae pro Q. Ligario, Anton. Lusci Vicentini super XI. et Xichonis Polentoni super X. Tullii Orationes argumentis, et super IV. invectivas in Catilinam, et super invectivas in Sallustium et

c) Hos una cum Norisii dissertatione ad illos fastos iterum edidit Graevius T. XI. Antiq. Rom.

d) At consentiunt doctissimi Fastorum Consularium concinnatores, Pagius, Blanchinus et alii, cognomen istius Caecinae, esse *Largus*, non *Longus*, Asconiumque in eo nomine esse mendosum.

e) Naudaeus de instituenda Biblioth. p. 118. *Novimus quod Poggius invenit Quintilianum sub mensa cuiusdam salsamentarii*, *cum in Concilio Constantiensi ageret*. *Sic et Papirius Massonus incidit in* Agobardum *apud Bibliopolam quendam*, *qui iamiam dorsa librorum eo convestire volebat*. *Pariter* Asconius *simili fato ad manus nostras pervenit*.

et Caesarem. Deinde, ut commentarios variorum in Orationes Ciceronis praeteream, iunctim saepius editus Basileae, Venetiis et Lugduni, ut supra dixi, prodiere Venet. 1522. 8. et 1563. 8. apud Aldum. E recensione *Philippi Melanthonis*, Haganoae per Ioannem Secerium, fol. sine temporis notatione Argent. 1535. 8. Paris. 1536. 4. cum Antonii Lusci commentariis in Orationes XI. Ciceronis, cum quibus primum prodierant. Cum scholiis Pauli Manutii, Venet. 1545. 8. cum *Francisci Hottomanni* notis Lugd. 1551. 8. Lugd. 1554. 4. ap. Tornaesium. cum notis *Titi Popmae*, Frisii, Colon. 1578. 8. cum notis *Pauli Manutii* (qui in Cicerone suo Asconium simul recensuit illustravitque) Hottomanni et Popmae in Asconium, et notis selectis Francisci Fabricii, Caroli Sigonii, Petri Nannii, Andreae Patricii et Iacobi Cruquii in loca quaedam Orationum Cic. ab Asconio illustratarum, Lugd. Bat. 1675. 12. *Thom. Crenii* V. C. Lugd. Bat. 1693. 12. His editionibus, in quibus seorsim Asconius vulgatus est, propter usum praeferendae Manutiana, Gronoviana et Graeviana, in quibus subiecta Ciceronis verbis Asconii commentaria commodius iucundiusque leguntur, uti in Cicerone supra dictum. Nonnulla minus latina et Asconio indigna inserta esse a sequiore manu queritur Hadrianus Cardinalis libro de modis latine loquendi p. 131. *Asconius Pedianus, tametsi sub Augusto Caesare floruit, bonaque multa atque elegantia scripsit, sicuti libello sive potius fragmento, quod ante hos annos repertum est, colligi potest, multa fluit ac scatet barbarie. Quam tamen barbariem non ab illo certe qui bono etiam tunc tempore eruditus est provenire puto: sed potius ab aliquo insulso atque ineleganti Grammatico, qui interpretis vice functus inepta multa conseruit, quae postea una cum bonis auctoris verbis descripta sunt.* Ex hisce Asconii Pediani commentariis excerpta *de proprietatibus et differentiis sermonis latini* ediderunt Bo-

navent. Vulcanius ad calcem glossarii Graeco-latini, et Dionysius Gothofredus in scriptoribus linguae latinae, de quibus infra libro IV. Quae Budaeus, Alvarus, et Petrus Danesius ad illustrandum Asconium contulerunt, non memini me videre.

IV. Scripsit Asconius etiam alia, ut in Virgilium, et vitam C. Sallustii Crispi, cuius meminit Acron ad Sat. 2. libri 1. sed iam pridem illa, perinde ut maior pars commentariorum in Ciceronis orationes, interciderunt. Quia vero aliquid horum aetatem tulit, hinc felicior Criticus quam Historicus vocatur Asconius a Ioanne Rualdo in Plutarchi vita cap. IV. Aldus Manutius Pater in Epistola ad Marcum Musurum, quae Orthographiae Statii anno 1502. editae praefigitur: *Quapropter ex Germania Valerii Maximi quaedam, quae in Italia non habentur* (intelligit libri primi capita a Cuspiniano primum restituta, de quibus supra) *ex Gallia vero duodecim Asconii Pediani elegantiarum libros percupidi exspectamus, quos exstare, esseque M. Fabii Quintiliani, ac inde bonam partem elegantiarum suarum accepisse Laurentium Vallam, vel puer Romae cum audirem Domitium, intelligebam.* Iniqua haec et falsa fuit de Valla suspicio, unde Barthius in literis ad Daumium: f) *Tantum Vallae elegantiis superior aetas tribuit, ut non defuerint, qui asserere, licet stolide et ἀλόγως, non dubitarent, Asconii opus esse a Valla inventum, suoque nomine divulgatum, ut scribit Mariangelus Accursius in testudine Diatribis suis Ausonianis, Ovidianis et Solinianis adnexa.*

V. Ausonius Popma ad Sallustii Catilinar. Asconio tribuit librum *de Origine gentis Romanae*, qui Sexto Aurelio Victori ex eruditorum communi hodie sententia addi-

f) Struv. fascic. VI. pag. 62.

addicitur. Tribus, quibus Popma utitur, argumentis fidem detrahit Burchardus Gothelf. Struvius Vir Clariss. in Observationibus Hallensibus Tom. 3. pag. 63. Etiam a Ioanne Metello in litteris ad Pighium liber *de viris illustribus* ad Asconium refertur, ut notavi infra lib. III. in Victore.

VI. INDEX SCRIPTORVM LAVDATORVM AB ASCONIO PEDIANO.

ad paginas edit. Francisci Hotomanni, Lugd. 1551. 8.



CAPVT

CAPVT VII.

DE

L. COLVMELLA.

I. *Columellae aetas et ſcripta quae exſtant.* II. *Editiones.* III. *Scripta deperdita.*

I. L. IVLIVS MODERATVS COLVMELLA, Gaditanus, Patruum laudans V, 5. M. Columellam, *illuſtribus diſciplinis eruditum, ac diligentiſſimum agricolam Baeticae Provinciae*, ipſe Plinio, Palladio, Iſidoro Hiſpalenſi XVII, 1. aliiſque ſaepius laudatus ſub eodem Claudio Imp. ſcripſit: diverſus, ut videtur, a Moderato Gaditano, Pythagorico, eiuſdem aetatis Graeco ſcriptore fuit, Gaditanus et ipſe; quod ſatis videtur innuere ipſe V, 5. VII, 2. VIII, 16. X, v. 185. licet in dubio relinquit Nic. Antonius, qui de Columella videndus lib. 1. Bibl. veteris Hiſpanae cap. 5. Sane Pythagoricum illum quando appellant ſive Latini ſcriptores, ſive Graeci, *Moderatum* ſemper vocant, *Columellam* nunquam. Et difficulter ab Oratore latino, tam prolixum opus Philoſophici argumenti, Graeco ſtilo traditum, exſpectaueris. Meminit et III, 3. Senecae eiuſque vinearum, et ſaepius Cornelii Celſi aequalis ſui, ut cognoſces ex indice ſcriptorum a ſcriptoribus rei ruſticae laudatorum, quem dedi ſupra in Catone. Columellam laudavit Theodorus Beza hoc Epigrammate, quod in eius Iuvenilibus legitur:

Orphea mirata eſt Rhodope ſua fata canentem,
Si modo Virgilii carmina pondus habent.

Tu vero, Iuni, ſilveſtria rura canendo
Poſt te ipſas urbes in tua rura trahis.
O Dii! quos olim nutrivit Roma Quirites,
Quum tam facundum viderit agricolam.

De re ruſtica libros XII. a) ad Publium Silvinum ſcripſit, quorum decimus *de cultu hortorum*, carmine Epico, non infeliciter ſupplet Virgilii Georgica, *Siderei Vatis referens praecepta Maronis.* Reliqui proſa oratione ſcripti ſunt, expetente hoc Claudio Auguſtali adoleſcente, qui etiam hortorum cultum ſimili ſermone expoſitum a Columella maluiſſet.

II. Inter editiones horum librorum, quos ſimiliter Poggii ſolertiae indagandi libros veterum ſcriptorum debemus, emendatiſſimae ſunt, quae inter rei ruſticae auctores latinos veteres exhibent, ut Hieron. Commelini 1595. 8. cum indicibus a Frid. Sylburgio adornatis. Alias editiones memoravi ſupra lib. 1. cap. 2. p. 33. ſq. ubi et de *Georgii Alex.* enarratione vocum ſive lexico in Caton. Varron. et Columellam, de *Philippi Beroaldi*, notis et *Fulvii Vrſini* atque *Petri Victorii.* Separatim Columella prodiit Regii, excudente Barthol. *b*) Bottono ſive Bru-

a) Ex ipſo Columella conſtat opus illud 12. libris ab auctore fuiſſe abſolutum, etſi in Caſſiodori divinis lectionibus cap. 28. Columellam *ſedecim libris per diverſas agriculturae ſpecies, eloquentem ac facundum illabi diſertis potius, quam imperitis accommodum.* Itaque alios libros tres Columellam ad hoc argumentum ſpectantes, et librum de arboribus una computavit Caſſiodorus, vel numerum apud eum corruptum eſſe ſuſpicemur. Obiter de Columellae nomine notabis Donatum, qui ad Phormion. II, 2. ſcripſit Columellas a veteribus dictos ſervos maiores domus. *Columen, columna. Vnde apud veteres columellae dicti ſervi maiores domus. Lucilius XXII.*

Servus neque infidus Domino, neque inutilis cuiquam
Lucili columella hic ſitus Metrophanes.

Salmaſio ad Solinum pag. 1220. alius ſenſus verborum Lucilii eſſe videtur, hic nempe: ſub hac columella, ſive στήλῃ ſitum eſſe Metrophanem Lucilii ſervum. Gatakerus tamen II. 20. Cinni expoſitionem Donati probat. Confer quae viri docti ad Martial. II, 90.

b) Idem eodem anno Catonem, et Varronem de re ruſtica excudit ac Rutilium.

Bruſchio 1482. fol. Lugd. Bat. 1548. 8. apud Sebaſt. Gryphium. Argentor. 8. ſine anni notatione, cuius exemplum editionis eſt Lipſiae in Bibliotheca Paullina. Item Francof. 1543. 4. cum Nicol. Bartholomaei carmine de cultu hortorum e Georgii Vercellani, Annibalis Crucei Mopſo et Carpo Hieron. Fracaſtorii.

Gallice Columellam non vertit Ioannes Theodoricus Bellovacenſis, ut legas in Pithoeanis, ſed *Claudius Cotterellus*, notas addente *Theodorico*, Pariſ. 1555. 4. eademque verſio correctior repetita Pariſ. 1556. *Italice*, Venetiis 1554. 1564. 8. *Petro Lauro* Mutinenſi interprete. *Germanice* cum Palladio, *Theodoro Maio*, Magdeburg. 1613. fol. item Argentorat. 1538. per *Michael. Herren.*

Liber *de cultu hortorum* cum annotationibus Iulii Pomponii Fortunati, Baptiſtae Pii, Philippi Beroaldi et aliorum ſeparatim prodiit Pariſiis 1543. 4. Verſibus hexametris non male expreſſit *Andr. Rivinus* cum *Palladii* Carmine *de arte inſitionis*, Walafridi Strabi hortulo, *Septimii Sereni* Moreti, et aliis epigrammatibus antiquis edidit Lipſ. 1654. 8. *Lancilloti* expoſitio MS. in hortum Columellae, Florentiae in Biblioth. Medicea, pluteo LII. ſervatur.

Menagius pag. 54. ad Laertium laudat Codicem MS. Columellae Monaſterii Corbeienſis, qui hodie in Bibliotheca S. Germani de Pratis aſſervatur: eius lectiones in edit. ſecunda Ruſticorum Geſnerianorum proferentur. Alii tres MSS. exſtant in Biblioth. Medicea, quartus Venetiis in Bibl. S. Marci, quintus Florentiae in Bibl. Auguſtinianorum S. Galli, quibus duobus poſtremis uſus eſt Petrus Victorius. Codice MS. Lipſienſi e Biblioth. ampliſſimi Senatus uſus eſt Iohannes Conradus Schwartzius. Nonnulla Columellae loca illuſtrat Barthius Adverſ. 37, 7. et Richardus Bradley, Profeſſor Botanices in Academia

Cantabrigiensi in opere eximio, a survey of the ancient husbandry and gardening, collected from Cato, Varro, Columella, Virgilius Lond. 1725. 8. item Vir doctus in Obs. Misc. Dorvillianis Vol. VII. T. 2. item *Polenus* in Epistolis. Notas in Columellam promisit Menagius ad Laertium p. 54.

Liber arborum, ante inter libros de re rustica pro tertio editus in ed. Aldi a. 1514. recte ad calcem horum est reiectus.

Libri de generibus surculorum libro et capite secundo Columellae memorati, haud diversi esse videntur a libro tertio, quarto et quinto huius ipsius de agricultura operis, ex quo etiam nonnulla ad veterinariam pertinentia ad verbum mutuatus est Vegetius in digestis artis mulomedicinae, Columellam nominetenus laudans in praef. his verbis: *Licet proxima aetate et Pelagonio non defuerit, et Columellae abundaverit dicendi facultas, verum alius eorum cum rusticae rei praecepta conscriberet, curas animalium levi admonitione perstrinxit, alius omissis signis caussisque morborum, quasi ad doctissimos scriberet, tam magnae rei fundamenta neglexit.* Conf. Hieron. Mercurialem IV, 18. Var. Lect.

III. Cetera Columellae scripta, uti quod adversus Astrologos composuisse se ait lib. XI. c. 1. una cum alio opere, in quo agere constituerat de lustrationum ceterorumque sacrificiorum, quae pro frugibus fiunt, more priscis usurpato, ad nos non pervenerunt. Neque certum est, an hoc alterum a Columella unquam editum fuerit. Vide lib. 2. cap. ult. in fine.



CAPVT



CAPVT VIII.

DE

POMPONIO MELA.

I. *Melae aetas.* II. *Libri III. de situ Orbis et Editiones. Ibid. Obiter de Aethico, Iulio Oratore, et Geographo Ravennate.* III. *Catalogus scriptorum a Geographo Ravennate allegatorum.*

I. POMPONIVS MELA e Baetica provincia Hispanus, *a*) Vadiani, Vineti, Schotti, aliorumque paene communi sententia Claudii temporibus floruit. Nam III, 6. commemoratur de Britannia triumphus, qui est Claudii, vid. Sveton. Claud. 17. Vnde apparet falsos esse, qui sub Iulio Caesare scripsisse Melam ex eodem loco sibi persuaserunt, de quibus Crenius IX, animadvers. p. 19. Nam Iulius Caesar, non triumphavit de Britannia. Alius ab hoc est *Annaeus Mela*, Philosophi Senecae frater, cuius animum a civilibus officiis abhorrere, et tantum studere eloquentiae, scripserat Seneca pater Rhetor praef. ad librum 2. Controversiar, ubi maius ei, quam fratribus ipsius, Gallioni et Senecae Philosopho, ingenium tribuit. Fuit hic Mela pater Annaei Lucani Poëtae, de quo Tacitus XVI, 17. Annal. et fortasse Plinius XIX, 6. Tiberium pro Nerone appellans: nisi fuit etiam tertius Mela, qui utrosque aetate antecessit

a) Quas de Patria Melae disputantur vide apud Vossium patrem lib. 1. cap. 25. de Hist. Latinis. If. Vossius p. 198. ad Melae cap. 6. lib. 2. Caetrariensem natione, genere vero Poenum fuisse contendit. Nempe pro *Cincenteratum* legit *Tingi Cetraria* pro quo Salmasius et Bochartus lib. 1. Chanaan c. 24. p. 520. reponebat *Tingi altera:* Nic. Antonius lib. 2. Bibl. Hispaniae veteris c. 11. p. 50. *Tingi Ibera,* ubi et Hermolai Barbari mentio, legentis *cingente freto*, vel *attingens fretum*. Nil certi est.

ſit et ſub Tiberio procurationem geſſit. Alius denique Fabius Mela ICtus lib. 1. §. 12. D. de cloacis. Primus e Latinis Mela, ante Plinium et Solinum, qui eo uſos ſe fatentur, terrarum ſitum exſecutus eſt brevi cultoque ſermone. In calce M. Leidenſis legitur hoc diſtichon:

Europam, Libyam, atque Aſiam Pomponius edit
Orbis deſcribens ordine Mela ſitum.

Pompeium videtur vocare Philargyrius in IV. Georgic. 387. niſi ibi *Pomponius* legendum, vel alius ſcriptor innuitur. Apud Servium in Aeneid. IX, 30. an ſub *Melone* Mela noſter lateat, incertum eſt, quoniam, quae ex illo profert, apud noſtrum haud occurrunt.

II. Exſtant eius *Coſmographiae* ſive *de ſitu orbis libri III.* In MS. Bibliothecae S. Victoris Pariſ. inſcribitur *de chorographia.* Minus bene. Quibus, ut vere ait Harduinus, nihil eſt elegantius. Eorum editio *Mediolanenſis* anno 1471. 4. (a Cruceio emendata) fuit in Bibliotheca Iſaac. Voſſii, qui eam principem vocat pag. 11. appendicis ad Melam. Saxius in hiſt. typ. Mediol. pag. 559. putat eſſe ex officina Zaroti. Sed eſt alia in Bibliotheca Senatus Lipſienſis, quae nobis antiquior videtur, octonis facta, ſine titulo, auctoris et libri nomine, ſine praefatione, ſine loci et a. nota, et in fine *Pomponii Mellae Coſmographiae liber explicit*, at haud dubie in Italia et in principiis artis typographicae: ſubiecto (*Io. de Sacro-buſto*) *tractatu de Spaera* (ut ſemper eſt in libello). Vitia typographica plura inſunt, ut ab initio *Vrbis* pro *Orbis*, ſed tamen digna, quae conferatur cum editis exemplis. Miror, non memorari a Dukero in iis, quae Perizonius habuit, inter alia Lipſienſia. Hanc (a. 1471.) inſecutae ſunt, Veneta a. 1477. in 8. *b*) et 4. per Bernardum Pictorem et Erhardum Ratdolt, una cum Petro Loslein de Langencen, eorum correctore ac

b) Mich. Maettarii Annal. Typograph. p. 92. 125. 162. 167.

ac ſocio: atque iterum Venet. 1478. 4. per Franciſcum Renner de Hailbrun, et 1482. 4. cum Priſciani metaphraſi periegeſeos Dionyſianae, per Erhardum Ratdolt Auguſtenſem. Haec cum altera illa a. 1477. memoratur a Phil. Labbeo p. 357. Bibl. novae MSS. et Beughemio p. 111. incunabul. typographiae, ubi et editiones Venetas 1473. et 1488. cum commento *Cocchi* refert. Illo tempore, exeunte Sec. XV. ad hos Melae libros diligenter caſtigandos primus acceſſit *Hermolaus Barbarus*, poſt abſolutas Plinianas caſtigationes; ſubiecitque caſtigationes in Melam, Plinianis ſecundis Romae 1493. in quibus ille, Melae textum ſe trecentis locis emendaſſe, dicit. Hae caſtigationes deinde aliquoties Melae additae ſunt Baſileae et alibi etiam ſine loci et anni notatione. v. et Apoſt. Zeni Diſſ. Voſſ. P. II. p. 382. ſequitur Pariſina 1499. 4. et alia 1507. 4. per *Aegid. Gurmontium* et *Torinum;* Vitebergenſis 1509. 4. a *Barthol. Steno* curata ad textum *H. Barbari.* Secutae ſunt deinde aliae editiones, ut a. 1502. ſine loci nota, per Albertinum de Liſona, Vercellenſem, quam habuit Perizonius, et Vercellis factam putavit: Viennenſis 1512. 4. *c*) anno poſt 1513. Pariſina 4. ap. Io. Parvum: Florentina 1517. 8. ap. Iuntam et 1519. et 1527. curante *Ant. Francino*, qui in textu caſtigando libro antiquiſſimo, literis Langobardicis ſcripto, uſus eſt. Eius fere repetitio eſt Veneta ap. Aldum 1518. 8. et 1521. forma minore cum Solino, itinerario Antonini etc. Nam cum illa in lectionibus notabilioribus et novis conſentit, velut iis, quae I. Gronovius ex ea (Flor.) ſtatim

c) Hanc putabat eſſe Perizonius, quae ſine loci et anni nota extet: ſed ea in fine habet Epiſtolam Camertis ad Theobaldum quae data eſt prid. non. Sept. a. 1512. ſed in qua nil eſt niſi de Indice a ſe facto et ei editioni ſubiecto. Non dubito eam Noribergae factam eſſe. Nam exemplo eius, quod nos vidimus in Bibl. noſtra Paullina, ſubiecti ſunt alii libri Noribergenſes iſtius aetatis, qui plane eandem formam literarum habent. Sed et alia eiuſdem anni eſt, edita a *Cochlaeo*, ludimagiſtro tum Noribergenſi, quam habuit *Dukerus*, vocatque Noribergenſem.

L. I. c. I. notavit et in textum recepit. Eodemque ex anno alia forma minore, sine loci notatione, exstat, fortasse Venetiis apud Alexandrum Paganinum facta. Eiusdem aetatis sunt editiones factae cum annotationibus *Ioach. Vadiani d*) Helvetii, primum Viennae Austriae 1518. post repetitae saepius, ut Basil. 1522. Paris. 1530. 1540. Basil. 1543. 1555. 1577. omnes in f. Est autem opera eius magis in explicando, quam in emendando versata, commentariusque copiosus in rebus Geographicis illustrandis, dignusque omnino qui legatur; cum habeat plura in hoc genere, quae alibi vix reperias. Nec tamen prorsus neglexit criticam rationem, sed aliquot loca tum ingenio, tum inprimis MS. ope, quem Georg. Collemirius, mathematicus, suppeditaverat. Accessit in principio brevis institutio Geographica, et in fine Epistola bene longa et erudita ad Rudolphum Agricolam, in qua plura loca Plinii aliorumque explicantur. Ceterum de hoc Vadiano plura Goldastus tomo tertio rerum Alemannicarum. Novus deinde castigator diligentior post Hermolaum librorum horum exortus est *Ferdinandus Nonius Pintianus*, *e*) Hispanus, Rhet. et utriusque linguae Prof. in Acad.

d) Huius annotationes *rus et stivam olere* ait Is. Vossius, quod iudicium iniquius visum Colomesio, qui Vadianum potiore iure magnis Germaniae viris a I. Scaligero annumeratum esse existimat notis ad posteriora Scaligerana. De eodem ita Olivarius: *Vadianus vir omnium iudicio eruditissimus praeterea quae ex variis auctoribus citat, unde facile colligere possis hominem multae fuisse lectionis, raro adducit quo vel locos depravatos emendet vel desideratos restituat, contentus illa doctissima ostentatione; quamquam iis quae ad Historiam spectant non minus valuerit ille quam digressionibus prolixissimis et molestissimis.* Nonnulla Vadiani reprehendit Io. Camers in commentario ad Solinum, cui Vadianus respondit in secunda Melae sui editione.

e) Id. Vossius praef. ad Melam: *Ex iis qui castigationes in hunc edidere auctorem, solus nobis profuit Pintianus. Vir iste quantumvis nobili apud suos ortus loco, plus tamen litteris quam natalibus debet. Crassiora sunt illa menda quae Hermolaus Barbarus, vir et ipse insignis, sustulit. And. Schottus homo quidem bonus et eruditus, sed quem successus potius quam voluntas destituit. Olivarii nescio cuius commentariolus, imi subsellii magistellum prodit.*

Acad. Salmanticenſi, qui textum Melae valde vitioſum, lacunoſum, interpolatum ſe emendaſſe profitetur. Eas caſtigationes cum textu Melae primum edidit Salmanticae a. 1543. 8. ſed poſtea eas diligenter retractavit in caſtigationibus Plinianis poſt L. VI. 1547. 8. ſuntque et poſtea aliquoties repetitae. Secutus hunc eſt *Petr. Io. Olivarius*, Valentinus, quis bis Melam edidit: neutra editione multum laudis meritus. Nam in ed. pr. emendationes fere ſunt Pintiani, in altera velut doctorem Geometriae et Geographiae agit. Ita late de his rebus diſſerit. Cum huius notis igitur, et *Hermolai Barbari*, Pariſ. 1536. 8. 1557. 4. etiam Lugd. 1551. 8. et Pariſ. 1538. 8. et iterum Pariſ. 1556. 4. et cum Solino, et Floridi Sabini Apologia pro Plauto etc. prodiit Baſil. 1538. f. Cum *Eliae Vineti* animadverſionibus Pariſ. 1572. 4. poſtea editus eſt Mela, quas valde laudat Schottus, et Burdigalae 1582. 4. Item cum Solino et Aethico atque Dionyſio Alex. aliiſque a. 1577. 4. apud. *H. Stephanum.* Secutus eſt *Stephanus* textum editionis Olivarianae, additis et Olivarii notis, ſed tamen et ipſe textum aliquot locis emendavit, uſus etiam exemplis manuſcriptis. Legenda ſunt prolegomena ei editioni praepoſita, quae in ed. Gronovii repetita ſunt. Editio Baſileenſis 1564. 8. apud Sebaſt. Henr. Petri, cum *Chriſtiani Vrſtiſii* praefatione, praeter Solinum adiunctas habet in Melam ligno rudius deſcriptas tabulas Geographicas. Nec vero contemnenda *Franc. Sanctii* opera Melae navata, qui eius libros edidit ſine notis ille quidem, ſed tamen emendatiores: de quo legenda eſt eius praefatio. Schottus quidem eius textum omnibus ſuperioribus Melae exemplis praeferebat. Sed editionis Sanctianae exempla ſunt rariora: eamque nec Iſ. Voſſius, nec Nic. Antonius, Hiſpanus ipſe viderat. Facta eſt ea editio Salmant. 1598. quam cum Cod. MS. Chiſiano collatam habuit Iac. Gronovius. Cum caſtigationibus *Ferdinandi Nonii Pintiani*, notis Hermol.

Barbari

Barbari *Andreas Schottus* edidit Melam, cui ſane bonam operam navavit: etiam loca nonnulla Herodoti, quae expreſſit Mela, cum eius verbis contulit, Antverp. 1582. 4. Cum Aethico et Henr. Glareani compendiaria deſcriptione orbis terrarum, Pariſ. 1625. 12. E recenſione Andr. Schotti repetitus eſt Helmſt. 1635. 12. Ceterum etſi omnes hi *Barbarus*, *Vadianus*, *Pintianus*, *Vinetus* etc. bene de Mela meruere, tamen illi textum reliquere coniecturis ſaepe interpolatum et vitiatum.

Huic malo mederi et textum purgare ab iſtis coniecturarum vitiis inſtituit, et quod inſtituerat, perfecit, *Iſ. Voſſius*, qui Melam, ad plures MSS. codices emendatum cum indice pleniſſimo vulgavit Hagae Comitis 1658. 4. recuſum Franequerae a. 1701. 8. addito etiam commentario erudito: in altera editione etiam adiecta ad calcem obſervationum appendice. In commentario paſſim acerbius notantur quae Salmaſius *f*) ad Solinum commentatus eſt, etſi notantur ſaepe non ſine idonea cauſa, ut in litteris ad Voſſium fatetur vir inſignis *g*) Samuel Bochartus: ſed quandoque etiam temere, nec ſatis bona fide, ut notatum doctiſſimo Perizonio ad Aeliani varias Hiſt. pag. 350. *Iacobo* autem *Gronovio* V. C. res adeo indigna viſa eſt, Salmaſium in uno ſcripto toties reprehendi; ut cum Melam *h*) ipſe quoque ad MStos Codd. recenſitum ederet cum Variorum notis, Voſſianas omitteret, ſed Voſſium tamen paſſim caſtigaret Lugd. Bat. 1685. 8. additis excerptis ex libello Coſmographico *Iulii Honorii Oratoris i*) petitis ex MSS. Bibliothecae Thuaneae, et Coſmographia

f) De cauſa odii inter Iſ. Voſſium et Salmaſium vide Menagiana p. 350. et Epiſtolam Iſ. Voſſii ad Salmaſium ſcriptam poſt Gudianas p. 333. ſeq.

g) Vide Colomeſ. Bibl. ſelect. p. 172. ſeq.

h) In utraque ſua Melae editione Gronovium vitia typographica editionis Voſſianae non pauca retinere, obſervavit Perizonius de ſuſpendio Iudae p. 60.

i) Huius Iulii Oratoris meminit Caſſiodorus cap. 25. divin. lect.

phia k) *Aethico* ante hac temere tributa, et ex Iulio Oratore maiorem partem descripta, cum variis lect. ex eiusd. Bibl. MS. Ad has Gronovii notas, in quibus vehementer et acriter saepe castigari pessimeque accipi se viderat Vossius, in appendice annotationum ad Melam Lond. 1686. 4. respondit: cui non modo statim respondit Gronovius

k) De Cosmographia latini et Christiani scriptoris, Aethico communiter tributa dixi quaedam lib. 1. cap. 10. §. 10. Eam duplicem (posterior integra fere etiam apud Orosium lib. 1. cap. 2. exstat) primus e Codice P. Pithoei edidit illustravitque Iosias Simlerus, addito Itinerario provinciarum sub nomine Antonini Augusti, (quod et ipsum sub Aethici nomine legisse videtur Flodoardus lib. 1. Hist. Remens. cap. 1.) Rutilii itinerario, Vibio Sequestre de fluminibus et libello provinciarum ac metropoleon Galliae. Basil. 1575. 12. Simlerus in praefat. cum ostendisset, huius libri auctorem esse non posse Istrum Callimachium, scriptorem Graecum, cuius meminere Plutarchus, Athenaeus, Hyginus, Schol. Pindari etc. notat Aethici antiquitatis Historias, quae a S. Hieronymo latine e Graeco versae credantur, memorari a Gyraldo lib. de navigiis. *Audio etiam*, inquit, *apud Cl. V. Petrum Danielem Aurelianensem in codice vetusto, in quo etiam Isidori Astrologica, exstare Aethici librum hac inscriptione: Incipit liber Aethici Philosophico editus oraculo, a Hieronymo presbytero translatus in latinum, ex Cosmographia et mundi scriptura. De eo etiam sic scribitur in praefatione:* Hic Aethicus Istria regione Sophista claruit, primusque codices suos Cosmographiam nuncupavit, alios quos non minora sed maiora dixisse cognovimus, sophogrammios appellat. *Nobis librum illum videre non contigit, sed in nostro exemplari hoc de illo iudicium a viro docto adnotatum fuit. librum esse barbare scriptum, nugis et fabulis refertum etc. omnia indigna Hieronymo tradere de creatione mundi, de elementis, de mirabilibus mundi, ac ne Aethici quidem esse, quoniam in eo libro ipse Aethicus Ister Philosophus saepe citatur, et Alchimus.* Haec Simlerus post cuius editionem prodiit Aethici Cosmographia cum Mela a. 1577. 4. apud H. Steph. et Paris. 1625. 12. Lugd. Bat. 1646. 12. De MS. Oxoniensi vide Pauli Vindingii V. C. Epistolam ad Io. Deckerum de scriptis adespotis pag. 192 seq. Aethicum auctiorem et emendatiorem e codice Thuaneo dare voluit Salmasius. *Ethicum* vocat Iohannes Picus, quem vide pag. 284. Opp. Alii *Histricum* Sophistam vel *Aetichum* Peripateticum. De eodem Rabanus Maurus de inventione linguar. *Litteras enim Aethici Philosophi natione Scythica, nobili prosapia, invenimus, quas Hieronymus venerabilis presbyter ad nos usque cum suis dictis explanando perduxit.* Cosmographiam Mariano Scoto tribuebat Naudaeus in Bibliographia politica, et Scoti nomen in codice suo reperit Dempsterus. Conf. Vsserium Antiq. Britannic. p. 78. Theophilum Sigefridum Bayer in Epistola ad Mich. Lilienthalium T. 1. actorum Borussicorum. vide p. 888 — 890.

novius in Epist. ad Io. Georg. Graevium super argutationibus If. Vossii, sed et in nova Melae editione numis illustrata Lugd. Bat. 1696. 8. vicissim notas opposuit, e quibus apparet, illum non magis propitium manibus fuisse Vossianis, quam vivo pepercerat Vossio. Praeter Aethicum autem et Iulii Oratoris excerpta huic quoque editioni subiecta, addidit *libros quinque Cosmographiae*, quos in fratris sui gratiam saeculo septimo post Christum natum, scripsit autor Gothus, nescio quis, Christianus, Iornande longe iunior, *Ravennas*, *l*) et a Vossio ad Melam p. 29. 197. etc. pridem memoratus, quem primus, ex MS. Regio cum notis vulgavit *Placidus Porcheron*, Paris. 1688. 8. Gronovius vero supplevit ex MS. Lugdunensi. Hunc Gothum natione scripsisse ante a. C. 647. notavit Io. Georgius Eccardus in diss. addita Commentariis de rebus Franciae Or. et Episcopatus Wirceburg. 1729. fol. Denique filius Iacobi, *Abrahamus Gronovius* Lugd. Bat. 1722. 8. edidit Melam cum notis variorum *Barbari*, *Olivarii*, *Pintiani*, ineditis *Ciacconii*, *Schotti*, *Vossii* et Patris *Iac. Gronovii*, et praeter libellos, qui in paterna editione additi fuerant, *P. I. Nunnesii* Valentini epistolam ad Andr. Schottum de Melae patria, item praefationibus editionum nobiliorum. In usum tironum textus Melae editus est ante annos non multos Altorfii. Est utique optandum, ut editio fiat apta iuventuti scholasticae, cui lectio libri admodum utilis esse potest.

Fuere et alii viri doctissimi qui Melae libros edere a se emendatos et illustratos in animo habuere, ut *Marqu. Gudius*. v. praef. Iac. Gronovii ad Melam: ut *Salmasius*, qui Melam a se illustratum edere promisit pag. 413. ad Solin. *Christophorus Cellarius*, de vetere Geographia meritissimus, denique eruditissimus *Perizonius*, qui Melam a se ex MSS. et edd. vett. constitutum, cum notis Bar-

l) Lib. IV. p. 75. *Ravenna*, inquit, *nobilissima, in qua licet Idiota ego, huius Cosmographiae expositor, Christo adiuvante genitus sum.*

Barbari, Pintiani, Schotti, Ciacconii, Nunnesii, et suis in lucem dare voluit. Is quidem morti vicinus provinciam hanc tradidit *m*) *Carolo Andreae Dukero*, ei profecto non impari; sed et hic non perfecit: quo nomine se excusat in epistola ad Dorvillium in Obsc. Misc. Vol. VII. pag. 417. Ceterum ibidem et subsidia, quibus Perizonius uti voluerat, commemoravit, in his plura, quae Lipsia ei miserat, et notas sibi a Perizonio traditas edidit. adde Vol. VIII. p. 97 — 140. item p. 201. Eae desinunt in cap. 17. Libri primi. Ibidem Vol. VII. etiam *Nunnesii* notae editae sunt in prooem. et cap. 1. 2. Libri primi. Caspar Barthius post productum specimen glossarii Gelliani, *habeo*, inquit lib. VIII. Adversar. cap. 16. *aliud tale glossarium in Pomponium Melam, cuius itidem aliquid proponam, ubi capitum ordinem extricavero: viam eius concinnator omnino aliam secutus est* etc. *Iacobi Sirmondi* ineditum ad Melam commentarium habuit Ludovicus Thomassinus. Praelectiones *Ioan. Georgii Graevii* fuere in Bibliotheca Wittiana. Novam denique Melae editionem in Anglia iussi sumus expectare a *Reynoldo*. Memoriae Trevoltinae a. 1709. cap. 2045. *On prepare une nouvelle edition de Pomponius Mela et Solin, avec de nouveaux Commentaires et XXVI. Cartes, dressées selon la doctrine de ces Auteurs. Mr. Reynolds a soin de cette edition.* Loca quaedam Melae emendata sunt a *Io. Conr. Schwartz* T. 3. monumentor. p. 166. seqq. Coburg. 1728. 8.

Hispanice post antiquam *Ludovici Tibaldi* Toletani translationem, vertit *Iosephus Antonius Gonsalez de Salas*, additis in loca quaedam obscuriora observationibus Madrit, 1644. 4. *Gallica* eximii Geographi Clausierii versio cum notis et tabulis Geographicis edenda Parisiis promittitur in memoriis Trevoltinis a. 1729. p. 949.

 Anony-

m) Vide Antonii Schultingii Orationem in Iac. Perizonii anno 1715. 6. April. defuncti funere pag. 40.

Anonymi libellum provinciarum ac Metropoleon Galliae, Honorii Imp. temporibus longe recentiorem esse obſervat Salmaſius de primatu Papae. 320. Chorographiam Britanniae, qualis in *Geographo Ravennate n*) exſtat, MStum ad Codicem Regis Galliae et alterum Vaticanum recenſuit *Thomas Galeus*, adſcriptis e coniectura ſua nominibus locorum recentioribus. Edidit poſt mortem parentis Rogerus Galeus ad calcem *Antonini* Itineneris Britanniarum, eiuſdem Thomae eruditis commentariis illuſtrati Lond. 1709. 4. Non videtur vidiſſe, certe non commemorat, quae in eandem partem Itinerarii Antoniniani commentatus fuerat *Wilh. Burtonus.* Titulus libri: *a commentary on* Antoninus *his Itinerary or Journies of the Romane Empire ſo far as it concerneth Britain — by* William Borton, *Batchelor of Lawes, with a Chorographical map of the ſeveral ſtations, and Index to the whole work* Lond. 1658. fol. p. 266.

III. CATALOGVS SCRIPTORVM IN GEOGRAPHO RAVENNATE MEMORATORVM.

ad paginas edit. Gronovianae.

Aithanarit Gothor. Philoſ. 61. 64. 72. 82. 83. id. qui *Anaridus* 68. 69. 72. ſive *Hanaridus* 81.

Liber *Alexandri* (in quo Alexandri Regis res narrantur) 12.

Arbitio 54. Romanor. Philoſophus 56. 58. 59. 64. 70. 72. 83.


Ariſtar-

n) Geographiam Langobardicam vocat Cangius gloſſario Graeco, Appendice pag. 96. 109. etc. Auctorem non ſeptimo ſaeculo circa a. C. 1300. ſcripſiſſe diſputat Caſimirus Oudinus in triade diſſ. II. pag. 113. et III. pag. 48. et praecipue p. 53. ſq. Sed profecto Athanaſium ab Antiocho praeſide exquiſitum de paradiſo, quem Geographus Ravennas p. 9. laudat, ſcripſiſſe oportet ante ſaeculum XIII. quoniam a Glyca p. 91. et 97. laudatur, et a Damaſceno de imaginibus p. 366. 383.





CAPVT



CAPVT IX.

DE VTROQVE SENECA, PATRE ET FILIO.

I. Senecae patris, Rhetoris aetas. II. Controversiae. III. Suasoriae. IV. Vtrarumque Editiones. V. Index Rhetorum et scriptorum in Senecae suasoriis et Controversiis memoratorum. VI. De Seneca filio Philosopho. VII. Scripta eius quae exstant. VIII. Editiones. IX. Falso tributa Senecae. X. Deperdita. XI. De stilo eius ac Philosophia. XII. Index Scriptorum a Seneca Philosopho laudatorum. XIII. De Tragoediis quae sub Senecae nomine feruntur. XIV. Illarum editiones.

I. M. ANNAEVS SENECA Cordubensis Hispanus, insignis equestri ordine, sed doctrina liberisque longe nobilior, in quibus L. Annaeus Seneca Philosophus totum orbem nominis sui celebritate impleuit. Floruit Rhetor Seneca imperante Augusto et Tiberio, ut docet Lipsius libro et capite primo Electorum, et Nic. Antonius lib. I. Bibliothecae veteris Hispanae c. IV. Hoc autem loco a nobis recensetur, quia noluimus eum a filio divellere, cum quo eius scripta communiter eduntur, et quia ipse innuit, aetate provectum se fuisse, cum ea, quae habemus, in litteras mitteret. Per aetatem audire etiam Ciceronem potuisset, nisi bellorum civilium furor intra Coloniam ipsum suam continuisset, ut ex praefat. lib. 1. Controvers. constat. Idem tamen suasoria 2. memorat Attalum Stoicum, a Seiano circumscripti et solum vertere coactum, atque Controvers. 12. Augustum Divum appellat.

II. Senecae ipsius declamationibus deperditis, quarum unam memorat Quintilianus IX, 11. Inst. Or. exstant *ex decem libris causarum a*) iudicialium sive *controversiarum*, quibus plus centum auctorum Graecorum Latinorumque, qui Augusti saeculum illustrarunt, acute in declamando inventa et dicta, sententias, divisiones, colores congesserat et inter se contulerat, vix hi quinque: *primus, secundus, septimus (vulgo tertius) nonus (quartus vulgo) decimus (vulgo quintus,)* ne hi quidem integri, sed corrupti passim mutilique. Porro *Excerpta sive fragmenta ex iisdem decem libris*, quos filiis suis L. Annaeo et (qui, postquam a Iunio Gallione adoptatus esset, Iunius Annaeus *b*) Gallio dictus est) Annaeo Novato, et Annaeo Melae, Lucani parenti, Seneca inscripserat. *Controversias* collegit in filiorum suorum usus; pleraque autem ex memoria sua, vel ex iis, quae ipse sibi cum declamantes audiret, *c*) notaverat. Nam ut ait praef. libri 1. Controvers. ubi memoriae suae felicitatem praedicat, tunc *aut nulli fere maximorum declamatorum commentarii exstabant, aut, quod peius, falsi.* Et lib. 2. Controvers. 10. p. 172. *Haec, Nasone apud Arellium Fuscum dicente, excepta memini.*

III. *Sua-*

a) Nonnulli *libros decem Rhetorum maiorum* inscripserunt, ut constat e codice, quo olim usus Ioh. Sarisberiensis, et MS. P. Pithoei. *Decem* refert ad libros, non, ut plerique, ad *Rhetores.* Qui *declamationes* inscripserunt, non minus falsi sunt, quam qui tribuerint L. Annaeo Philosopho, ut Trithemius. Non enim in his libris occurrunt declamationes, sed ex declamationibus selecta excerpta sive Chrestomathiae. Hoc opus etiam innuit Anonymus scriptor rerum Britanniae, ubi allegat *Senecam de causis.*

b) *Annaeus* scribas an *Anneus*, ut est in MSS. perinde est: vide Pontacum ad Eusebii Chron. pag. 571. 573. De hoc *Gallione* mentio Actor. XVIII, 12. ubi vide Grotium, et Nic. Antonii Bibliothecam veterem Hispanam lib. 1. cap. 6. Barthium ad Statium T. 1. pag. 251. Fuit et *Seneca* Episcopus Hierosol. de quo Eusebius IV, 5. Hist. et alius, qui Pelagianam haeresin sparsit circa a. C. 493. quem reprehendit Gelasius Romanus in Epistola ad Piceni Episcopos. Etiam nostra aetate notus Seneca scriptor Gallus libelli de Epigrammate. Europe Savante 1718. Iun. p. 274.

c) Quintilianus lib. 2. cap. 11. p. 167. *Similes commentariis puerorum, in quos ea, quae aliis declamantibus laudata sunt, regerunt.*

III. *Suasoriarum liber d)* post controversiarum opus a Seneca digestus, etsi in editionibus fere illi praemissus, quia suasoriae, utpote faciliores, in Rhetorum scholis controversias antecedebant. Vide si placet lib. 2. Controvers. 12. et Lud. Cresollii theatrum Rhetorum IV, 7. Credibile autem est, Suasoriarum quoque librum primum tantum, nec hunc integrum ad nos pervenisse: certe librum primum diserte inscribi in edit. antiquiss. Veneta testatur Schultingius.

IV. Controversiarum libri e Vaticano Codice primum editi sunt Venet. 1490. atque iterum 1503. graecis verbis, quae passim a Seneca adspersa erant, omissis, et latinis passim valde corruptis. Suasoriae primum adiunctae in edit. Frobeniana a. 1512. Hanc duplex Hervagiana editio secuta est, prior Erasmi, altera Coelii Secundi Curionis industria. Edidit quoque Gryphius Lugduni. Declamationum, hoc est, Controversiarum liber Tarvisii 1478. fol. prodiit, annexus Senecae philosophi operibus, item Quintiliani editionibus nonnullis, ut Parisiensi a. 1549. fol. liber primus, neque ille integer, cum commentariis inchoatis *Rudolphi Agricolae*, qui pro auctore perperam habuit L. Annaeum Senecam Philosophum. Illa Agricolae hypomnemata vulgata iam ante sunt Basileae a. 1529. apud Bebelium, et in tomo posteriore operum Agricolae, editorum iunctim, Colon. 1539. 4. *Ferd. Pintiani* in Controversiarum libros castigationes prodie-

d) Suasoriarum Senecae titulum qui non probant, et *laudabilia* inscribi malunt, auctorem arguunt, qui suum ipse librum sic appellavit, ut recte notatum P. Pithoeo Epist. ad Neveletum Dolscium, quam Declamationibus Quintiliani subnexuit pag. 459. Ibidem differit de distinctione declamationum in suasorias et controversias. Hi in utramque partem causae disceptabantur, unde ambigua laus adolescentis *sine controversia diserti* apud Gellium IX, 15. Confer Senecam prooem. suasoriar. Yvonem Villiomarum, sive Iosephum Scaligerum in locos controversos Rob. Titii p. 10. seq. Io. Clericum V. C. Artis Criticae lib. I. p. 481. seq. Suasoriae προτρεπτικὰ λογάρια M. Antonino lib. I. sect. 7. *Concionales* Fabio III, 4.

prodierunt Venet. 1536. quae recusae sunt in editione Operum utriusque Senecae Parisiensi a. 1603. fol. in qua habes etiam in Senecam Rhetorem notas Iani Gruteri et Francisci Iureti. Praeterea, elegantissimi Mureti lucubrationibus in has Senecae reliquias fato interceptis, optime de iis promeriti sunt *Nicolaus Faber* et *Andreas Schottus*, a quo Graecorum hiatus suppleti sunt e quatuor Codd. MSS. et Antonii Covarruviae atque Antonii Augustini excerptis, in editione operum utriusque Senecae Commeliniana 1604. et Parisiensi 1606. fol. in quibus et *Nic. Fabri*, *Francisci Iureti* et *Iani Gruteri* notae, et castigationes leguntur. Ea porro iterum recensita est a *Fr. Morellio* et eius Scholiis aucta a. 1613. Praeclaram quoque in Rhetore hoc, ut in Philosopho, illustrando emendandoque industriam posuit *Ioannes Frider. Gronovius* editis utriusque Senecae scriptis Lugd. B. 1649. 12. Voll. 4. in quorum ultimo sunt notae in utriusque scripta: sed propter MStorum Codd. inemendatam negligentiam adhuc Augiae stabulum se relinquere professus. *Ioannes Schultingius*, ut in Quintiliani declamationes, sic in huius Rhetoris scripta notas et emendationes scripserat: eae ineditae fuerunt, donec editioni Gronovianae insererentur. Quare praeferenda reliquis editio est, quae cum integris horum quatuor virorum, et selectis Gruteri, Iureti, aliorumque notis prodiit Amstelodami apud Elzevirum a. 1672. 8. et tomum tertium operum utriusque Senecae constituit. Vide etiam Dionysii Gothofredi librum quintum coniecturarum ac variarum lectionum in Senecam, Basil. 1590. 8. in quo toto Rhetor hic illustratur, et index occurrit Rhetorum Graecorum latinorumque, quos Seneca memorat.

Hodie exstant quoque *Controversiae Ennodii*, Christiani scriptoris et Episcopi Ticinensis, una cum eiusdem *dictionibus*, sive declamationibus. *Cascellium* quoque in libro *bene dictorum* olim non modo electa

iuris

iuris ex ICtis, sed etiam flores eloquentiae ex Oratoribus selegisse notat Cornelius van Bynkershoek in opusculis varii argumenti. Sed illa Cascellii συναγωγὴ hodie desideratur. Simili studio ex controversiis fori Parisiensis electa *e*) nuper Gallico sermone dedit Franciscus Petrus Gilletus. *Nicolai Triveti* Angli expositio declamationum Senecae, completa anno 1358. fuit in membrana, apud Marquardum Gudium V. C. *Ioannis Petreii* Toletani progymnasmata Rhetoricae, etiam scholia in Senecae declamationes iuncta habent.

V. INDEX RHETORVM ET SCRIPTORVM, IN SENECAE SVASORIIS ET CONTROVERSIIS MEMORATORVM.

Abronius Silo, Porcii Latronis auditor. S. 2.
Actius Posthumius. C. 21.
Addeus. C. 25. Graecus, ex Asianis, non proiecti nominis. C. 24.
Aemilianus. C. 24.
Aeschines non ille orator, sed hic ex declamatoribus novis *Graecus*. C. 8.
Agrotas Massiliensis. C. 14.
Pastor Aietius, Cestii auditor, apud quem dixit iam Senator. C. 3.
C. Albucius Silo, sive *Silius*. de eo praef. ad lib. 3. Controv. et ibi Nic. Faber. S. 1. 6. C. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 12. 13. 16. 21. 22. etc.
Alfius Flavus Cestii discip. C. 1. 7. 10. 14. Hic est cuius meminit Plinius indice libri IX. Hist. ad eum audiendum fama Senecam perduxit: praetextatus tantae opinionis fuit, ut Pop. Romano puer eloquentia notus esset. C. 1.
Amas. C. 4.
Andreas Graecus. S. 2. C. 7.

Anti-

e) Europe Savante 1719. Mai. p. 48.

Broc-

Demo-

Iuftus.

Pyla-

13. et ibi Nic. Faber. pag. 201.
Virgilius Maro. S. 3. C. 16. praef. lib. 3. excerpt.
Montanus Votienus, supra in *Montano.*
Zeno. C. 2.

Cum hoc indice confer *Dionysii Gothofredi* Nomenclatorem ad Senecam, cap. 8. et *Andreae Schotti* libellum de claris apud Senecam Rhetoribus.

VI. L. ANNAEVS SENECA, M. Annaei Filius, una cum Afranio Burro Rector Imperatoriae iuventae, postquam Senatoria dignitate, quaestura praeturaque, et aliis honoribus functus esset, et Stoicis, licet neget, *f*) addictus, inter Philosophos magnum sibi nomen comparasset, ab eodem Nerone, quem instituerat, vita excedere iussus, ferro sibi ipse venas exsolvit, balneumque ingressus obiit anno C. 65. Neronis 12. triennio post Burri mortem, *Morum vitiorumque publicorum* sui temporis *descriptor verissimus et accusator acerrimus*, Lactantio V, 9. *Optimus excultor morum, mentisque colonus*, ut bene vocatur ab Alano lib. I. Anti-Claudiani. Mores ipsius et vitam dogmatibus haud respondisse, innuit Dio lib. LXI. p. 694. qui magis audiendus est lib. LIX. p. 655. ubi Senecam ait omnes sui temporis Romanos multosque alios sapientia antecessisse: *ὁ Σεννέκας ὁ Ἄννιος Λούκιος, ὁ πάντας μὲν τοὺς καθ᾽ ἑαυτὸν Ῥωμαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους σοφίᾳ ὑπεράρας.* Nam ut Tacitus, severus et ipse morum censor XIV, 52. tradit, criminationes illae fuerunt invidorum, post Burri mortem ad deteriores inclinante Nerone, et bona Senecae consilia non amplius audiente, Senecam adorientium. Eius vitam praeter Lipsium et Andr. Schottum non indiligenter persecutus est M. Antonius Delrio, qui librum secundum prolegomenon ad Syntagma tragoediae latinae vitae Senecae describendae impendit. A *Petrarcha* scriptam Senecae vitam memorat

f) Epist. 45. et de vita beata cap. 3.

rat Thomasinus in Petrarcha redivivo p. 25. *Nicolaus Antonius* lib. 1. Bibl. veteris Hispanae cap. 7. seq. qui Io. Paulum Martyrem et Iannotium Mannetum de vita Senecae memorat: e recentioribus praeter citatos *Io. Schildius g*) in exercitationibus ad Taciti Anal. lib. XV. ubi extrema Senecae describuntur, Lugd. Bat. 1645. 12. *Franciscus Salvator* Florentinus *h*) in libro edito Romae 1674. 12. *il filosofo cortegiano, o vero la vita di Seneca*, Venet. 1675. 12. Aliis Christianus plane Theologus visus fuit Seneca, *i*) Atheus aliis, ita ut nimias alii laudes in eum congerendo, alii convicíis onerando et maledictis *k*) modum utrinque excesserint, vitio solenni ingenii humani, et fato haud infrequenti magnorum virorum, qui per encomiorum et obtrectationum sese mutuo conficientium certamina famam ingentem ad posteros propagant. Vt vero et doctrinae copia, et scribendi elegantia longe multumque omnibus obtrectatoribus suis praestitisse Senecam, vere mihi videtur affirmasse Muretus: ita non magis Atheum fuisse illum persuadeo mihi quam Christianum, nec magis contaminatum omnibus sceleribus hypocritam, quam ex Sanctis aliquem aut Angelum: sed non malae indolis, nec absurdi iudicii hominem, qui ex Philosophia Stoica tantum profecerit, ut in se descendere, et Providentiae Divinae consideratione sustinere animum, tum vanitatem ambitionis, avaritiaeque et voluptatis stultitiam agnoscere potuerit, etiam in affluentia omnium rerum, in negotiorum mole et aulae maximae luxu ac magnificentia: qui denique res secundas

g) Nic. Heinsii poëmata p. 263.

h) Giornale de' letterati di Roma a. 1674. p. 137. Journal des Sav. 1675. p. 271. Iulii Nigroni istoria de' scrittori Fiorentini pag. 218.

i) Criminationes variorum in Senecam Philosophum collegit Io. Henricus Meibomius in vita Maecenatis cap. 22. p. 132. seq. Consule etiam Sam. Basnagium ad A. C. LVIII. num. 4. les pensées du Comte d'Oxenstierna T. 2. pag. 41. seq.

k) Vide L. Annaeum Senecam ab Amando Fabio atheum proclamatum et a Iacobo Petro Huntero defensum. Ratisbonae 1651. 4. et quos de religione Senecae laudo infra §. IX.

das non minus, quam adverſas et mortem ipſam didicerit ferre fortiter, quod non verbis, ſed factis demonſtravit; facile etiam praemii loco laturus vitae et honorum propagationem, ſi eam obſequio qualicunque in Neronis effrenes cupidines, et funeſta Reip. conſilia redimere voluiſſet. Iuſtus Lipſius Centur. 1. ad Belgas Epiſt. 22. *Senecam commentari incepi: pergo ſedulo et in ipſo labore fructum eius capio, formari et emendari. Semper ille mihi magnus vir apparuit: ſed ut ſolent vere magna, magis magiſque inſpectus et tractatus ſe approbat, et crebro. Poſt ſacras litteras nihil in ullo orbe, in ulla lingua ſcriptum utilius meliuſque. Deus mihi det abſolvere. Hoc ſaltem brevi et operoſo commentariolo, (ita confido) aſſequar, ut quivis legere Senecam, et capere, qui modo Latinae linguae rudis non ſit, et ex illo campo meſſem legere poſſit ad vitae ſuae et morum tutelam. Me aut meam ambitionem hic non ſpecto etc.*

VII. Exſtant eius 1. *de Ira libri III.* ad Novatum fratrem ſub Caligula ſcripti. Hoc opus non integrum ad nos perveniſſe ex eo colligas, quod Lactantius in Lib. de ira Dei ex eo profert definitiones irae, quas fruſtra quaeres in his libris. Prodierunt ſeparatim ex recenſione Henr. Ernſtii, Sorae 1652. 12. Petrus Alcyonius de exilio lib. 2. pag. 200. *Seneca, ſi quid auctor iſte ad rem pertinet, ſuorum Stoicorum duritiam ſecutus, damnat in Ariſtotele irae laudationem, et affectionis eiuſmodi patrocinium, quae tamen utiliter a natura data nobis videtur, modo praeſcriptio et moderatio ea retineatur quam idem ipſe Philoſophus retinendam cenſet, hoc eſt, ut iraſcamur pro quibus debemus, et ut oportet, et cum debemus et quam diu: ſin minus, fatui et ſtupidi eſſemus, qui et ſenſu et dolore videremur carere.* Germanica verſione bona et eleganti donati hi libri ſunt a

 M. *Chri-*

M. *Christiano Friderico Weissio*, Dresdae 1732. 8. qui et Senecae Vitam praemisit.

2. *Ad Helviam l) Matrem, de consolatione liber*, scriptus, cum instinctu Messalinae in Corsicam insulam a Claudio Imperatore relegatus esset. Huic libro (qui seorsim prodiit ex recensione *Augusti Buchneri* Viteb. 1655. 8.) Iustus Lipsius *XII. Epigrammata* praefixit, quae sub Senecae nomine in vett. MSS. occurrunt. Sed Petro Scriverio iudice rectius inscribuntur *Epigrammata super Exilio L. Annaei Senecae*, quam, ut in Schedis Pithoeanis, *L. Annaei Senecae Epigrammata super exilio.* Apud Iacobum Magnum, auctorem Sophologii, pro *consolationibus ad Helviam* ridicule laudatur Seneca *in comessationibus ad Elivam*, ut notavit Nicol. Antonius. In Codice MS. Iacobi Durantii Casellii hic libro titulus praefixus: *L. Annaei Senecae liber ad Helbiam matrem suam de consolatione filii sui.* Vide eius Varias Lect. lib. 1. cap. 17.

3. *Liber de Consolatione ad Polybium* Claudii, cui a studiis fuit, libertum, et fratris morte afflictum, scriptus anno circiter exsilii tertio, sed hodie magna sui parte ab initio mutilus. In hoc libro huic Claudii Imp. liberto, fratris morte afflicto, ac per illum Imperatori blanditur. Vnde Dio in excerptis Peiresc. pag. 685. scripsit, Senecam Claudii libertis adulatum, ὥστε καὶ βιβλίον ἐκ τῆς νήσου πέμψαι, ἐπαίνους αὐτῶν ἔχον, *ut librum refertum eorum laudibus ex insula* (in qua exulabat) *iis mitteret, quem tamen pudore postea ductus stylo verso delevit.* Eodem spectat quod in Epitome Xiphilini pag. 694. legas, quod Seneca τοὺς ἐξελευθέρους ἐθώπευε, καί τινων καὶ ἐγκώμια συνετίθει.

4. *Liber*

l) Albina haec dicitur in quibusdam editionibus, ut in illa quae ex Lipsii recensione prodiit separatim Lovan. 1602. 4.

4. *Liber de Consolatione ad Marciam*, A. Cremutii Cordi a Seiano circumventi filiam, nati sui Metilii obitum lugentem. Editus et illustratus est a *Davide Chytraeo*, Rostoch. 1571. 8. cum S. Cypriani libro de mortalitate. Italice MS. fuit in Bibliotheca Rostgaardiana pag. 545.

5. *De Providentia liber* m) extrema, ut videtur, parte mutilus, ad Lucilium procuratorem Siciliae. Integer libri titulus fuisse videtur, qualis affertur a Lactantio V, 22. *quare bonis viris multa mala accidant, cum sit providentia*. Scriptus est Claudio Imp. iam defuncto. Prodiit separatim Germanice redditus a Iac. Stolterfotho animadversionibusque illustratus, Lubec. 1642. 8. cum Mureti Oratione, et notis Lipsii ac Io. Frid. Gronovii, curante Io. Henrico Ackero, n) Rudolstadii 1711. 8. Gallice interprete Angelo Capello, Paris. 1578. et Italice Florent. 1714. 4.

6. *De animi tranquillitate* ad praefectum vigilum Neronis, Annaeum o) Serenum. In hunc librum notae *Ioannis Chokierii* viderunt lucem Leodii 1607. 8. Petri Mulleri, Consiliarii tunc Stolbergensis, Ienae 1671. 12. cum Epistolis Senecae ad Paulum, excusus Lipsiae 1499. 4. Italice versum a *Thoma Segni*, Florentino, laudatur in Dictionario Academiae della Crusca.

7. *De Constantia sapientis* sive *quod in sapientem non cadit iniuria, ad eundem Serenum.* In hunc librum exstant dissertationes morales *Iusti Reiffenbergii*, e Lipsio magnam partem collectae, ut notatum Iacobo Thomasio τῷ μακαρίτῃ. Germanica versio elegans M. *Io. Friderici Maii* lucem vidit Lipsiae 1729. 8.

G 5 8. *De*

m) Confer Mureti Volum. 2. Orat. 3. et Eduardi Sherburne librum Anglice editum hoc titulo: *Answer to Lucilius his Quaere: Why good men suffer misfortunes?*

n) Acta Erud. 1711. p. 430.

o) De hoc Sereno Harduinus ad Plinii XXII. T. 4. p. 209.

8. *De Clementia*, ad Neronem Caesarem libros tres scripsisse videtur Seneca, ex quibus non exstat nisi *primus et pars secundi.* Libris integris videtur usus esse Hildebertus Cenomanensis, qui eos laudat lib. 1. Epist. 3. Gallice ea, quae ex illis libris supersunt, pridem vertit *Angelus Capellus* Paris. 1578. *Io. Calvini* commentarius cum vita Senecae primum vidit lucem Paris. a. 1532. 4. Praefationem exhibet Mich. Maettarius T. 2. annalium typographicor. p. 770.

9. *De brevitate vitae ad Paulinum*, Vxoris fortassis suae Paulinae fratrem, ut contendit Lipsius. Socerum Muretus mavult. Sed ad hunc non scripsisset c. XIX. *Nunc dum calet sanguis, vigentibus ad meliora eundum est.* Eum non diu post Caligulae necem composuisse se innuit ipse cap. 18. Prodiit separatim a. 1498. 4. ut videtur Lipsiae.

10. *De Vita beata* ad fratrem Gallionem sive Novatum. Liber in fine mutilus. *De vita beata* ad Senecae exemplum scripsit etiam S. Ambrosius libris duobus, in quorum prioris capitibus duobus, maxime postremis, docet, ea quae de beatitate sapientis disputant Stoici, verius dici posse de homine Christiano. Vide T. 1. edit. Benedictinor. p. 454. seq. *Renati Cartesii* animadversiones ad Senecam de Vita beata leguntur parte prima eius Epistolarum.

11. Pars libri *de otio aut secessu sapientis*, male olim annexa superiori libro.

12. *De Beneficiis libri VII.* ad Aebutium Liberalem, Lugdunensem, cuius mentio Epist. 91. In quibusdam editionibus *Eburtius* dicitur, ab auctore libri de vitis Philosophorum *Eusebius*. Videtur illud opus respicere Seneca Epist. 81. Epitomen eius latine concinnavit *Iacobus Sorgerus* Ien. 1611. 8. In gratiam Eleonorae, Cosmi I. Medicei coniugis Italice vertit *Benedictus Varchius* Florent.

rent. 1554. 4. repetita ſaepe verſio eſt Venet. 1561. 12. Florent. 1574. 8. 1584. 4. Gallice poſt *Saluerium Accuratum* (Saulueur Accaurat) Narbonenſem Pariſ. 1561. 8. *Franciſcus Malherbius*, inter cuius opuſcula ſaepius prodierunt, ut Auguſtobonae Tricaſſium 1635. 8. quae tertia iam eſt editio. Librum primum etiam vertit Gallice *Angelus Capellus*, Pariſ. 1580. In Codice quodam manu exarato Saeculi XI. hi libri non abſurde inſcribuntur *de dandis et accipiendis beneficiis*. Vide Henrici Pompoſiano in Monaſterio Clerici Epiſt. ad Stephanum, datam a. 1093. quam edidit Bernhardus Montfaucon in Diario Italico p. 86. *Federici Morelli* Scholia in hos libros exſtant in editionibus Senecae Pariſ. 1619. 1628. fol. cum Variorum notis.

13. *Epiſtolae CXXIV.* ad Lucilium *p*) Siciliae procuratorem, cui ex illis immortalitatem pollicetur Epiſt. 21. Codex harum longe veterrimus in publica civitatis Argentinenſis ſervatur Bibliotheca, vocibus ut plurimum inter ſe cohaerentibus exaratus, teſte Nic. Heinſio Epiſt. ad Io. Frid. Gronovium T. III. ſylloges Burmannianae p. 461. *Ramantini* Florentini Ord. Praed. commentaria in Senecae Epiſtolas circa a. C. 1350. iuſſu Clementis VI. compoſita memorat Iulius Niger in hiſtoria ſcriptorum Florentinorum p. 480. ſicut *Lucae Mantinelli* ex eodem Ordine eademque patria circa a. 1364. p. 384. *Dom. Peccioli* Piſani circa a. 1420. commentarium cum prologo apologetico, Iacobus Echardus T. I. Bibl. ſcriptorum Dominicanorum p. 771. Eas olim per libros diſtinctas fuiſſe conſtat ex Gellio, qui librum *q*) 22. Epiſtolarum moralium

p) Lucillum Balbum vocat auctor libri de vitis Philoſophorum. Parthenopenſis forte fuit. Vide Lipſium ad Epiſt. 53. Epicuri ſectam ſecutum colligas ex Epiſtola 23. et aliis. Scriptorum Lucilii elegantiam celebrat Epiſt. 19. et 46. Sed ex Lucilii huius ſcriptis nihil ad nos pervenit.

q) In Veneta a. 1492. et aliis antiquis Operum Senecae editionibus Epiſtolae eius CXXIV. diſtinguuntur in libros viginti duos, hoc pacto, ut liber 1. complectatur

lium Senecae citat lib. 12. cap. 2. unde etiam colliges, non paucas huius Philoſophi Epiſtolas periiſſe. In MS. Codice, qui in Rhedigeriana Bibliotheca Vratislaviae asſervatur, diſtinctae ſunt in libros XX. ut notatur in Ephemeridibus literariis Lipſienſibus Germanice editis a. 1710. ſect. IX. pag. 895. ſed non additur, duo poſtremi libri deſiderentur, an vero diverſa ſit diviſio ab antiquis editionibus, quae Epiſtolas Senecae diſtinguunt in libros XXII. In editione Lipſ. 1497. 4. ſunt Epiſtolae tantum LXXXIX. Epiſtolam XLVIII. editiones quaedam dividunt in binas, ut Mureto notatum et H. Stephano. Epiſt. LXXXVIII. quae in quibuſdam editionibus et in MSS. ut in Quedlinburgenſi Codice, de quo Tobias Eccartus in notitia illius Bibliothecae p. 18. fertur ſub titulo *libri de ſtudiis liberalibus* vel *de VII. artibus liberalibus ad Liberalem*, Hiſpanice pridem iuſſu Iohannis II. Caſtellae Regis verſam refert Nic. Antonius, lib. 1. Bibliothecae vet. Hiſpanae §. 148.

14. *Naturalium Quaeſtionum* ad eundem Lucilium, quem *Virorum optimum*, et III, 36. *cariſſimum* appellat, *libri VII.* qui magnam partem verſantur circa Meteorologica, illuſtrati primum emendatique a *Matthaeo Fortunato Pannonio*, Venet. apud Aldum anno 1522. 8. Lipſius

tur Epiſtolas primores 13. Liber II, 14. 19. III, 20-28. IV, 29. 35. V, 36. 44. VI, 45-50. VII, 51-57. VIII, 58-66. IX, 67-70. X, 71. 73, XI, 74. 82, XII, 83. 85. XIII, 86. 88. XIV, 89-94. XV, 95. XVI, 96. 100. XVII, 101. 103. XVIII, 104. 107. XIX, 108-112. XX, 113. 114. XXI, 115. 119. XXII, 120-124. Sed videtur haec diſtinctio facta a quodam recentiore, qui vigeſimum ſecundum librum a Gellio laudari viderat. Sane quae Gellius ex Epiſtolis Senecae illo in loco adducit, in editis Philoſophi Epiſtolis non exſtant. Haud praetereundum quoque, in iiſdem antiquis editionibus Senecae Epiſtolam duodenonageſimam inferius recurrere ſub titulo: *Liber de ſtudiis liberalibus ad Liberalem.* In Actis Eruditorum a. 1725. p. 429. memorari videas *editionem Epiſtolarum perveterem, ſi non principem, quae eo nomine MSS. anteferri poſſet, quod integras περιχοπὰς, opido elegantes, habet, quae in nullis editionibus occurrunt, a nemine etiam eorum qui MSS. tractarunt, indicatae ſunt.* Optandum erat, ut pericopae illae productae in medium vel ſaltim aliquae earundem ſpeciminis loco communicarentur cum viris doctis.

Lipsius cum vix in primum caput libri primi Scholia confecisset, morbo impeditus a scribendo abstinuit, et hoc opus una cum sequente aliis illustrandum reliquit.

15. Ἀποκολοκύντωσις, sive ludus *r*) in Claudium Imp. Satyra lepidissima *s*) Menippea, notis illustrata a B. Rhenano, Adr. Iunio, Iano Grutero, Nic. Fabro, Liberto Fromondo, Casp. Barthio, Io. Frid. Gronovio etc. *Mihi Caesar is unus propemodum Senecae pluris est, quam cuncti Caesares ipsius Caesaris Iuliani*, inquit Vavassor p. 246. de ludicra dictione. Primus in Germania *t*) reperit, ediditque et scholiis illustravit *Beatus Rhenanus* inter Senecae opera ab Erasmo recensita Basil. a. 1515. fol. et cum *Synesii* laude calvitiei, *Io. Phrea* interprete, *Erasmi* laude Moriae, *Gerhardi Listrii* illustrata notis, atque praeclara eiusdem Erasmi Epistola apologetica ad Martinum Dorpium, Basil. 1519. 4. et separatim 1521. 8. *Dan. Heinsii* dissertatio ad hunc libellum legitur post eius Orationes Lugd. Bat. 1627. 8. p. 608. seqq. Illustravit hunc Senecae librum etiam *Io. Schefferus* in Miscellaneis suis, sive libro Academicarum lectionum. Emendationes nonnullae C. V. *Christophori Augusti Heumanni*, exhibentur in Actis Erud. Tom. 6. supplementi p. 296. seq. Novissime cum notis G. C. B. prodiit hic libellus Lipsiae 1720. 8. *u*) addito Lipsii somnio et

r) Ludus, i. e. satira. v. Dan. Heinsium in libro de Satyra Horatiana.

s) Satyram Menippeam vocamus, quo genere scribendi primum inter Latinos usus est Terentius Varro, cum prosa oratio Satyrica passim versibus brevibusque velut carminibus tanquam interiectis gemmulis distinguitur. Porro titulus satyrae ἀποκολοκύντωσις exponitur a Dione lib. 60. extremo, innuitque ἀποθέωσιν Claudio partam per esum boleti sive κολοκύντυ, in quo cibi genere venenum is acceperat, unde boletos *Deorum cibum* Graeco proverbio collaudare solitum Neronem refert Svetonius c. 33. v. de titulo Satyrae Iunium Animadv. I, 17. Librum de morte Claudii vocat Guilelmus Malmesburiensis IV. de gestis Pontificum Anglorum p. 283. ubi ex Seneca refert Barbaros in Britannia et in honorem eius Civitatem aedificasse Glocestriam.

t) Vide Erasmum in adagio I, 3. 1. *aut regem aut fatuum nasci oportere.*

u) Acta Eruditor. T. 7. supplementi p. 521.

et Sardis venalibus Petri Cunaei. Nova *Gallica* versio x) elegans lucem vidit Paris. 1726. 8. in continuatione Memoriarum litterariarum a Sallengrio pridem vulgatarum T. 1. parte 2. p. 253. seqq. ab auctore erudito, qui notas etiam, vitamque et iconem Imp. Claudii promisit. Cum versione *Germanica* y) non incomta *Frid. Christophori Neubur*, brevibusque notis Lipsiae 1729. 8.

VIII. *Editiones* operum Senecae Philosophi diligenter enumerantur a Nic. Antonio in Bibliotheca veteri Hispana T. 1. p. 32. seq. cuius observatis nostra adiungemus. Quorundam Senecae Operum Neapoli sub Ferdinando Rege excusorum a. 1475. fol. quae exstant in Bibl. Regis Galliarum et in Barberina, meminit Labbeus Bibl. nova MSS. p. 338. et Mich. Maettarius pag. 115. Annal. typograph. Matthiam Moravum, qui hanc editionem excudit, Gabriel Carchanus Mediolanensis hoc decoravit hexasticho:

Iam paene abstulerat Senecae monumenta vetustas,
Vixque erat haec ullus cui bene nota forent
Tam bona: sed docti Matthiae *scripta* Moravi
Artificis non est possa perire manus.
Huic igitur meritas grates studiosa iuventus
Pro tam sublimi munere semper habe.

Eodem anno 1475. 4. Parisiis excusae Senecae Epistolae, quas servat Bibliotheca Mazariniana, et memorat Chevillerius p. 56. His adiectae etiam Epistolae ad Paulum Apostolum. Secuta Operum Senecae Philosophi Tarvisina editio, etiam Patris Senecae declamationes iunctas habet, per Bernardum de Colonia anno 1478. f. quam vidit Io. Frid. Gronovius, uti et Venetam Bernardini de Coris de Cremona a. 1492. fol. Neapolitanam a. 1484. f. habet

x) Bibl. Françoise a. 1726. Septembre p. 135. Journal des Sav. 1727. p. 147.

y) Acta Eruditor. anno 1729. pag. 229.

habet Bibliotheca Barberina. Prodiere iterum Venetiis a. 1503. fol. deinde Florentiae a. 1513. 8. apud Iuntam: Baſileae apud Frobenium cum adſcriptis margini notis *Eraſmi* a. 1515. fol. Dicavit hanc editionem Eraſmus Thomae Ruthallo Epiſcopo Dunelmenſi, teſtatus ſe uſum duobus Codicibus MSS. licet non optimis, et ad quatuor millia mendarum ſuſtuliſſe. Praefatio Eraſmi in Senecam legitur inter eius Epiſtolas 28, 12. Sequitur editio Veneta apud Aldum a. 1522. 4. ubi naturalium quaeſtionum libri a *Matthaeo Fortunato*, *Pannonio* caſtigati, et ἀποκολοκύντωσις a *Beato Rhenano* a. 1515. illuſtrata, qui, eodem Matthaeo iudice, *primus aliquam lucem in Senecam aperuit*, *ſpemque dedit poſſe illum emendari*. Iterum Baſileae apud Froben. ex ſecunda et accuratiore Eraſmi recognitione prodiere a. 1529. fol. cum *Rudolphi Agricolae* et *Sigiſmundi Gelenii* caſtigationibus, et *Senecae vita*, ſcripta a *Franciſco Petrarcha*. Illum enim auctorem eſſe, ex MSS. Codice, qui fuit Pignorii, alioque penes ſe exiſtente Io. Philippus Thomaſinus in Bibliothecis Patavinis MSS. pag. 86. et 138. affirmat. Incipit: *Cum permulta ſint vel ad mores vel ad inſtitutionem vitae* etc. Fallitur Rich. Simon, qui hanc Eraſmi editionem primam eſſe putat T. 2. Bibl. ſelect. p. 151. quod repetunt Memoriae Trevoltinae 1714. p. 1135. Venetiis porro a. 1536. ex officina Io. Auguſti a Burgo Franci, cum caſtigationibus *Ferdinandi Pintiani*, qui Codicibus quindecim uſus, ad quinquies mille maculas eluiſſe ſe dicit. Baſileae a. 1557. apud Hervagium, cum *Coelii Secundi Curionis* caſtigationibus, *Ferd. Pintiani* luculento de Seneca teſtimonio, *Vita Senecae* a *Xiccone Polentono* ex Tacito et Svetonio decerpta, et Rodolphi Agricolae in controverſias Senecae Rhetoris commentario. Sed H. Stephano iudice, Coelius Secundus Curio, caſtigare profeſſus, multis foediſſimis mendis Senecam conſpurcavit. Romae prodiere typis Barthol. Goraſſi,

anno

anno 1585. fol. cum notis *M. Antonii Mureti*, et indice Iulii Roscii Hortini, curante post Mureti, eodem anno prid. Non. Iun. defuncti, obitum, Francisco Bencio S. I. Quanquam vero praeclarae sunt Mureti in Senecam observationes, tamen non ab re illi vitio vertit Henricus Stephanus proodopoeia z) ad Senecae lectionem, edita a. 1586. 8. quod Erasmi operam Senecae impensam contemnit, et Pintiani vix bis meminit, cum utriusque saepe emendationibus usus fuerit. Vide interim, quae pro Mureto reponit Rich. Simon T. 1. Bibl. selectae cap. 13. Ista Senecae editio manu Iosephi Scaligeri notata exstat in Bibliotheca Academiae Leidensis. Basileae rursus anno 1590. 8. apud Episcopium, et Coloniae apud Ioannem Gymnicum anno 1593. 8. cum *Dionysii Gothofredi* coniecturis, Variis Lect. et locis communibus in utrumque Senecam, quae subiunctae etiam editioni Senecae Genevensi a. 1628. 1638. fol. Responsio autem Gothofredi adversus Gruteri suspicionum libros, edita separatim Francof. 1591. 8. cui Gruterus *a*) eodem anno opposuit confirmationem suarum suspicionum. Heidelbergae edita sunt a. 1594. fol. apud Commelin. cum notis *Mureti* et *Iani Gruteri* castigationibus, qui MSS. Codices Palatinos consuluit, addiditque disputationem a Mureto habitam, cum Senecae de providentia librum Romae interpretaretur, tum *Nic. Fabri* in apocolocyntosin et Marci Senecae Rhetoris libros eruditas notas. Repetita haec est editio Lugd. Bat. 1595. 8. Parisiis 1585. fol. apud Iacobum du Puis.

Praestantissimae Senecae editiones sunt, 1. *Parisina* a. 1602. fol. cum notis *Erasmi*, *M. Antonii Mureti*, ingenio subinde plusculum indulgentis, et *Ferdinandi Pin-*

z) Adiectae sunt Epistolae diorthoticae quorundam Senecae locorum ad Iacobum Dalecampium.

a) Dehortatur Gruterum ab illa litigatione Iust. Lipsius Centur. ad Germanos Epist. 6. *quid opus in Liberum* (Dionysium) *tam libere? Ego pro amico suadeo, desiste.*

Pintiani, bonis codicibus MSS. usi, et cum collectaneis notisque *Io. Obsopaei*, et in ἀποκολοκύντωσιν *B. Rhenani* et *A. Iunii*, in Senecam vero Rhetorem *Nic. Fabri*, et in utrumque Senecam animadversionibus excerptis *I. Gruteri* et castigationibus *Francisci Iureti:* item altera Parisina anni 1607. fol. cum *Mureti*, *Lipsii*, *Iureti*, *Gruteri*, aliorumque notis et observationibus: *tertia* 1613. *quarta* 1619. et *quinta* 1627. in qua accessere *Flor. Christiani*, *Lud. Dorleans*, *P. Scriverii*, *Pontani* etc. notae. 2. *Commeliniana* a. 1604. f. in qua praeter observata variorum iam memorata occurrunt *notae b*) quae

b) Post *Ennium*, qui vulgares notas 1100. invenit, auctore Isidoro, siglas istas, quarum mirabili compendio verba dicentis pari celeritate excipere, vel quaevis alia citissime in litteras mittere poterant notarii, *Tullium Tironem* Ciceronis libertum primum reperisse narrat Eusebius in Chronicis. Hoc liberti sui invento usus Cicero, Catonis Vticensis orationem in Caesarem a notariis excipi iussit, auctore Plutarcho in Catonis vita. Inde forte inductus Trithemius lib. 6. polygraphiae p. 599. affirmavit Ciceronem volumen de notis edidisse, filioque suo inscripsisse. Tironem deinde alii sunt insecuti, in his Aquila libertus Maecenatis, unde Dio lib. 55. Maecenatem γράμματα πρὸς τάχος sive siglas quasdam primum invenisse refert; et Persanius Philargyrus, ut legere est apud Isidorum Hispal. lib. 1. Originum cap. 21. Conf. Sam. Petitum lib. 1. Obs. cap. 1. p. 158. seq. Idem Isidorus addit, *Senecam*, contracto omnium digestoque numero et aucto, ad quinque millia notarum collegisse. At verisimile est, quae Lipsii lib. 1. Epist. 27. ad Belgas est suspicio, Senecam ab Isidoro innui non philosophum, sed M. Annaeum patrem. Etsi Philosophum malit Bernardus a Mallinkrot cap. 24. de natura et usu litterarum. Inter illas Senecae et Tironis notas exstant etiam *cifrae* sive notae numerorum, quas Arabibus vulgo imputant: sed longe antiquiorem earum usum fuisse ex his ipsis Senecae ac Tironis notis et Boethii Geometricis observat. Is. Vossius pag. 64. seq. ad Melam. Interiecto tempore *Caecilius Cyprianus* Carthaginiensis Episcopus notas tachygraphicas vocum Christianorum usibus necessarium adiecit, ut idem Trithemius narrat, quas licet etiam inter illas a Grutero editas cognoscere. Quanquam non me fugit esse, qui cum Raynaldo putent, illas Cypriano vitiose supponi, et ab editoribus Pamelio, Rigaltio, Ioh. Fello etc. iure ne quidem inter quisquilias Cypriani admissas esse iudicant. Porro Hygini poëticon Astronomicum talibus siglis scriptum vidisse se testatur P. Bembus in Epist. 8. lib. 5. ad Iulium II. Pontificem, qua eum hortatur, ut Ciceronianam illam, ut appellat per notas scribendi rationem restituat. Etiam totum Psalterium eiusmodi notis conceptum inspexit post Trithemium Ios. Scaliger, ut

quae veteribus ταχυγράφοις apud Romanos in usu fuerunt, *Tironis ac Senecae* nomine insignitae. Has

ut refert Epistola 418. Tamen a Codicibus legum abolendas sanxit Iustinianus Imp. praefatione Digestorum tit. 1. §. 13. adde Isidorum lib. I. Orig. cap. 23. et plura de siglis hisce sive notis tradentes, Lipsium Centur. 1. ad Belgas Epist. 27. Iul. Caesarem Bulengerum lib. IV. de Imperio Romano cap. 3. et 5. Sam. Petitum lib. 2. Observ. cap. 1. p. 159. et Wowerium cap. 5. Polymath. Iulianum Floridum ad Ausonii Epigramma 146. sive ultimum p. 80. Hermannum Hugonem de prima scribendi Origine cap. 19. Lambecium Tom. 1. Biblioth. Vindob. pag. 18. Boeclerum de rebus sec. IX. et X. p. 346. Bartholin. de libris legendis diss. 6. Balthas. Frid. Saltzmannum diss. 2. de antiquae scriptionis origine, etc. Ancilla notarum perita memoratur apud Ammianum XVIII, 3. Nostra aetate simile scribendi compendium apud Anglos excogitarunt Ioannes Willis, Ioannes Wilkius, Ieremias Rich. et Thomas Shelton, qui etiam omnes Novi instrumenti libros Psalmosque siglis a se repertis exscriptos publicae luci exposuit. Libellus autem, quo artem suam tradit, inscribitur *Zeiglographia or a newart of Short writing*. Lond. 1672. 8. Huic adde Tacheographiam Caroli Aloysii Ramsay, quam Sheltoni ut apparet vestigiis insistens, Germanis nostris utendam obtulit Lipsiae 1679. 8. Fundamenta huius artis breviter indicat Wagenseilius in pera librorum iuvenalium loculamento 2. pag. 50. et in libro Germanice edito de educatione Principis adolescentis, qui a studiis literarum abhorret pag. 44. Notae sive siglae σημειογράφων (ut vocat Plutarchus in Catonis Vita pag. 770.) quae huic editioni adiunctae sunt, et quibus multi a iunioribus addita esse notavit Vossius IV, 2. de vitiis sermonis latini, exstant etiam ad calcem thesauri Inscriptionum Gruteri, nuper nitide recusi Amst. 1707. f. Explicationes quasdam illarum siglarum non infeliciter emendavit in Codice suo Marquardus Gudius, quas eius observationes in Amstelodamensi editione omissas excerpsit amicus noster Christophorus Woltereckius, inserique curavit Actis Eruditorum Lipsiens. Tomo V. supplementi p. 31. seq. Liber *Petri Diaconi*, Monachi Casinensis, qui notas Tironianas ante annos amplius quingentos explicavit ad Conradum Imp. iam typis mandatus fuit antequam Gruterus ipsas proferret in lucem, ut notat Mabillonius de re diplomatica lib. 1. c. XI. §. 18. p. 52. De tachygraphis vide etiam Cangii glossar. in *cursores*, *notae*, *siglae*, et Montefalconi palaeographiam Graecam lib. V. p. 351. seq. ubi de siglis Graecorum tachygraphorum; Io. Chokierium Centur. 1. facis artium cap. 93. Guil. Pancirollum lib. 1. Var. Lect. cap. 30. et deperditor. tit. 14. atque ibi Henr. Salmuthum: Bernhardi Reinoldi observationes ad Ioannis Merceri conciliatorem iuris Civilis p. 24. seq. Gaufridus in poëtria nova, vulgata nuper a Clariss. viro Polycarpo Leysero in Historia poëmatum medii aevi p. 973.

Tradit imaginibus peregrinis Tullius artem
Quam meminisse decet. Sed se docet et sibi soli
Subtilis subtile suum quasi solus adoret.

Negligentiam excipientium in quaestum notariorum arguit Quintilianus VII, 2. p. 603.

Has *c*) non mediocri labore ex MSS. eruit, primusque in lucem e Ioan. Trithemii maxime Codice emisit *Ianus Gruterus*, subiectas etiam vasto et luculento inscriptionum veterum operi, quod circa eadem tempora vulgatum, et anno 1707. perquam nitide cum Gudii Graeviique notis in Belgio recusum est. 3. *Antverpienses* denique cum notis *Iusti Lipsii* a. 1605. *d*) 1614. 1632. 1637. 1652. fol. adiunctis *Liberti Fromondi* ad apocolocyntosin et quaestiones naturales observationibus.

Seneca ex recensione Gruteri anno 1604. 12. prodiit ap. Commelinum, additis Syri mimi sententiis, ope codicum Palatinorum et Frisingensis auctioribus, Genevae 1613. cum castigationibus Andreae Schotti in Senecam Rhetorem: Amstelodami et Lugd. Bat. a. 1619. 8. 2. Vol. praemissa Dan. Heinsii Oratione de Stoica Philosophia et ad Senecam Philosophum additis notis Mureti, Lipsii, Petri Scriverii, Io. Isaaci Pontani, et Io. Piscatoris observationum spicilegio, inque apocolocyntosin notis Rhenani, Nic. Fabri, et Hadr. Iunii, ad Rhetorem Senecam vero notis Andreae Schotti, et Io. Isaaci Pontani. In Genevensi a. 1628. f. quae Parisiensi proxima repetita est, accessere animadversiones *Iacobi Dalecampii*, Medici: sine notis Lugd. B. 1609. forma minore et 1640. 12. atque circa idem tempus Paris. 12. cum notis *Io. Frid. Gronovii* separato volumine excusis Lugd. Bat. 1649. 12. et Amstelodam. 1658. 12. apud Elzevir. typis nitidis.

Denique non praetereunda Senecae editio *Elzeviriana* cum integris *Iusti Lipsii*, *Ioannis Friderici Gronovii*, et selectis variorum commentariis, *Libertique Fromondi* in Quaestionum naturalium libros et ἀποκολοκύν-

c) Salmasius p. 101. Epist. illam siglarum collectionem qualis in praesenti exstat, factam esse coniicit ab homine Christiano circa tempora Gregorii Magni.

d) Pauli V. Pontificis Epistola qua Lipsio pro Seneca, quem ipsi dedicaverat, persolvit gratias, legitur tomo secundo sylloges Burmannianae p. 175. data a. 1606.

κύντωσιν notis et emendationibus, Amst. 1672. 8. duobus Voluminibus, tertium enim ut supra diximus, M. Annaei Senecae Rhetoris scripta complectitur, quae in Antverpiensi editione plane sunt omissa. Prodiit etiam Senecae editio non contemnenda ad usus iuveniles Lipsiae a. 1702. 8. cum notis brevibus, et e Lipsio, Gronovio, aliorumque doctorum virorum penu selectis. Edit. Venet. 1695. 12. tribus Vol. est repetitio Elzevirianae ultimae.

Dionysii Gothofredi Coniecturae, Variae Lectiones et Loci Communes, sive libri aureorum in Seneca, cum Nomenclatore vocum notabilium, nominumque propriorum seorsim prodiere Basileae 1590. 8. e) *Andreae Peccii* Eugubini scriptus circa annum 1433. in Epistolas Senecae Commentarius, et in easdem Commentaria *Casparini Bergomensis* servantur inedita in Bibl. Vaticana inter libros Ducis Vrbini Cod. 1022. et 1026. Seneca cum aliis scriptoribus Ethico Politicis collatus a *Zach. Lundio* fuit MS. Hafniae in Bibliotheca Iohannis Moth, Potentiss. Regis Daniae a Consiliis. Taciti vero et Senecae atque Epistolarum Plinii editiones, quas cum notis Variorum parabat *Io. Andreas Bosius*, viri doctissimi fato constat interceptas esse.

Senecae versionem *Gallicam* ab *Antonio Verderio* compositam excudi Lugduni a. 1584. scribit in sua Bibl. Gallica Crucimanius, qui pag. 287. etiam memorat versionem *Laurentii Primi* (le Premier) Paris. a. 1500. aliam dedit *Claudius Seysselius* Lugd. 1556. et *Guilelmus de la Teyssoniere*, Sebusianus. Epistolas plerasque vertit *Godfredus de la Chassagne*, Rothomag. 1574. 12. Paris.

e) Super hoc libro lites Gothofredo intercessere cum Grutero, qui Vitebergae a. 1591. illi librum suspicionum extraordinariarum opposuit, et eodem anno Francof. vulgavit Confirmationem suspicionum extraordinariarum contra Dionys. Gothofredi coniecturas et Varias Lect. in Senecam Philosophum.

Parif. 1582. Recentiores verſiones Gallicae operum Senecae exſtant auctore *Matthia de Chalvet*, Parif. 1607. 1638. 1647. fol. et *Petro Ryero*, Parif. 1659. fol. duobus Vol. et 1669. 12. XIV. Vol. Seneca *Germanice*, *Michaële Herr* interprete, Argentorat. 1540. 1545. fol. *Anglice* per *Thom. Logde*, Lond. 1614. 1620. fol. Epiſtolae, de vita beata, de ſeptem artibus liberalibus (ſive Epiſt. 88.) de providentia et de moribus *Hiſpanice* iuſſu Ioannis II. Caſtellae Regis, Hiſpali 1491. et Antv. 1551. 8. de providentia, de vita beata, de tranquillitate animi, de conſtantia ſapientis, de brevitate vitae, et conſolatio ad Polybium ac de paupertate, interprete *Petro Diaz* Navarrate, Ferdinando Hiſpaniae Infanti et Iſabellae Reginae a ſecretis. Mimos etiam vertit, et paraphraſi ſive gloſſis explanavit iuſſu Ioannis II. *Petrus Diaz* Toletanus: libros de clementia *Alphonſus de Rebenga*, eques Alcantarae: libros de beneficiis *Gaſpar Ruiz* Montianus, Benedictinus Monachus. *Italice* libros *de beneficiis* vertit *Benedictus Varchi*, Florent. 1554. 4. libros *de ira*, additis notis, *Franciſcus Lesdonatus*, Patav. 1559. et *Sanctus Conti della Rocca Contrada* Rom. 1659. ad Carolum Emanuelem II. Sabaudiae Ducem: *Epiſtolas* Io. Baptiſta Donus Florentinus, Venet. 1549. 4. In Bibliotheca Veneta, Thomaſino de Bibliothecis Venetis pag. 13. teſte, MSS. viſuntur Epiſtolae Senecae, Etruſco idiomate eleganter ſcriptae, nec non in Medicea tribus exemplaribus, ut Nic. Antonio notatum. Hanc verſionem una cum aliis Hetruſcae elegantiae et puritatis monumentis in Dictionario magno Academiae della Cruſca laudatis publicare inſtituerunt Florentini. Denique Epiſtolae cum libro de providentia excuſae Italice, *f*) Florentiae a. 1717. 4. *volgarizzamento dell' Epiſtole di Seneca, et del trattato della Providenza di Dio.* *Danice* Seneca lucem vidit Sorae 1658. fol. auctore *Brigitta Trottia*, foe-

f) Journal litteraire Tom. IX. p. 468.

foemina erudita, de qua vide, ubi lubebit, Albertum Thura in Gynaeceo Daniae litterato p. 116. seq. Diem obiit Sorae a. 1662.

IX. *Suppositi* Senecae sunt *liber de virtutibus cardinalibus*, alius *de moribus*, et tertius *de paupertate*, qui sub eius nomine cum *Epistola de assentatione vitanda ad Lucilium*, prodierunt Colon. 1529. 8. et alibi, Senecae etiam adscripti a Vincentio Bellovacensi libro IX. Spec. Historialis cap. 102. seq. Haec opuscula excerpta sunt ex Senecae et aliorum scriptis, cuius generis etiam esse puta, quae sub nomine *Proverbiorum* g) et *auctoritatum* Senecae aliquoties vulgata sunt, non diu post repertam typographiam. Lipsius quoque in calce suae editionis duplicia Excerpta subiecit, quorum priora illa ipsa sunt, quae edita diximus sub titulo libri de paupertate: posterioribus remedia in omni genere afflictionum ex Senecae Philosophia deprompta continentur, quae in editione Veneta Operum Senecae a. 1492. fol. 64. leguntur sub hac inscriptione: *Seneca ad Gallionem de remediis fortuitorum. Est oratio per dialogum sensus et rationis.* Prodiit etiam Lipsiae a. 1500. 4. Libellus *de quatuor virtutibus cardinalibus* prodiit et Daventriae 1512. 4. cum libro de moribus, et Lipsiae a. 1515. 4. cum commentariis latinis, et rhythmis metaphrasticis Germanicis, et sine illis Venet. 1586. 12. et in variis Codd. MS. sub Senecae nomine obvius est, sed verum auctorem habet *Martinum* Abbatem *Dumiensem*, et hinc Episcopum *Braccarensem*, qui circa a. C. 560. claruit. Vide Isidorum Hispalensem cap. 22. de scriptoribus

g) Proverbia Senecae versibus reddita sunt ab Eberhardo Bethuniensi circa a. C. 1120. Sed quae in editionibus antiquis feruntur sub proverbiorum Senecae titulo, parum differunt a Publii Syri mimis sive sententiis. Othlonus Monachus Sanctemmeramensis in prologo ad suum Proverbiorum librum: *Cum nuper illa quae dicuntur Senecae proverbia per alphabeti ordinem distincta legissem, primo quidem mirabar tantam cuiquam infidelium prudentiam inesse potuisse etc.*

ribus Eccleſ. et Vincentii Placcii catalogum Pſeudonymorum p. 256. Sub huius Martini nomine prodiit in Bibliotheca PP. T. X. p. 382. et Helmſtadii 1691. 8. cum Dominici Mancini libello de quatuor virtutibus Cardinalibus, edente V. C. Hermanno ab Hardt, ubi inſcribitur *formula honeſtae vitae.* Praefationem ad Mironem Svevorum Regem, quam huic libro Martinus praefixerat, edidit Lucas Dacherius T. X. Spicilegii, ante eum Boxhornius ad Ammianum p. 863. Doctiſſimus vero Baluzius ad Epiſt. 154. Lupi Ferrarienſis exiſtimabat, librum de quatuor virtutibus Seneca auctore ſcriptum, ſed a Martino abbreviatum eſſe. Germanicam Metaphraſin ſcriptam in membrana ſervabat Noribergae V. C. Godfridus Thomaſius. Impreſſa Lipſiae, incipit ſic:

Vier ſind der Angel Tugent
Domit getziert wirt die Iugent
Die uns vil naturlicher Leuthe
In vren Spruchen bedeuthen.

Gallice vertit *Angelus Capellus*, Pariſ. 1582. Caeterum apud Clariſſ. Montefalconum pag. 86. ſeq. Diarii Italici pro verbis: *a quodam Martyrio Epiſcopo ad Mitonem Regem*, legendum: *a quodam Martino Epiſcopo ad Mironem Regem.* Libellum *de moribus vitae humanae* ſeparatim editum Lipſ. 1499. 4. Trithemius vocat *de morum inſtitutione.* Incipit: *Omne peccatum actio eſt*, atque eundem Martinum habet auctorem. Exſtat et in Bibl. Patrum T. X. edit. Lugd. p. 385. Hunc et alterum *de paupertate* ex Epiſtolis Senecae excerptum illuſtravit *Leodegarius a Quercu*, Pariſ. 1556. 4. Liber *de artibus* ſive *de ſtudiis liberalibus* ad Liberalem haud diverſus eſt ab Epiſtola 88. ut iam ſupra notatum: Quid vero ſcripti ſit *Senecae de Cavalleria*, Ferdinando Mexiae apud Nic. Antonium lib. 1. Bibl. vet. Hiſpan. p. 32. allegatus, alius dicet, non ego.

His adde *Epistolas octo ad Paulum Apostolum*, quae non minus quam sex Pauli ad Senecam, spuriae sunt, etsi non heri vel nudius tertius, sed ante multa saecula *h*) sunt confictae, cum earum iam meminerit B. Augustinus et Hieronymus, ut Pseudo-Linum, commentitiumque Dextrum, et Ioh. Sarisberiensem iam omittamus. Editae sunt cum aliis Senecae Scriptis Neapoli 1484. fol. Venet. 1492. fol. et in edit. Erasmi Basil. 1529. f. sed praemissa censura, qua Paulo et Seneca indignae pronunciantur; praeterea cum libro de IV. virtutibus cardinalibus Lugd. 1523. 4. Venet. 1588. 8. et cum reliquis Pauli Epistolis, etiam Iacobi Fabri Stapulensis observationibus illustratae Paris. 1512. 1515. fol. Leguntur quoque in Bibl. Sancta Sixti Senensis lib. 2. sub titulo *Paulus*, in Mich. Waltheri officina Bibl. in B. Iosuae Arndii Lexico Antiquitatum Eccles. in locis communibus sententiarum Senecae ab *Huberto Schutteputaeo* digestis. Antverp. 1613. 12. in D. Georgii Henr. Goezii Schediasmate de supposititiis ac deperditis Pauli scriptis, ubi et Fabri observationes exhibentur Viteberg. 1688. 4. *Stephanus Praetorius* Germanica versione donavit, cumque ea edidit Hamb. 1595. 4. et cum Epistola Paulo supposita ad Laodicenses Latine et Germanice recusae sunt Bremae 1692.

h) Occasionem eas fingendi videntur dedisse verba Philipp. 4, 22. Vide Dan. Heinsium ad h. l. et quae notavi in Codice Apocrypho Novi Test. ubi has Epistolas integras exhibui adiunctis meis animadversionibus. Ad Veterum loca ibi praemissa addes haec Honorii Augustod. de luminaribus Eccles. *Lucius Annaeus Seneca Cordubensis Fotini* (leg. ex Hieronymo *Sotionis*) *Stoici discipulus et patruus Lucani Poëtae scripsit quasdam Epistolas ad Paulum Apostolum, et Apostolus quasdam rescripsit.* Censuris adiungenda sunt, quae habet Angelus Decembrius de Politia literar. lib. 1. p. 57. lib. 2. p. 121. Mottanus Vayerus de virtute paganorum T. 1. Opp. p. 660. seq. in fol. et Thom. Crenius ad T. 3. Methodor. de studiis instituendis p. 415. seq. Hinc porro Seneca quorundam iudicio audacter annumeratus Christianis, cui rei probandae miror homines adeo nasutos non produxisse haec Tertulliani cap. 3. Apologet. *Ego Lucium sapientem virum repente factum Christianum defero.* Sed fabulam de Seneca Christiano explodit Franciscus Modius Lect. novantiqu. Epist. 21.

1692. 4. Denique latine recudendas dedit D. *Io. Georgius Pritius* in introductione ad N. T. In iisdem Epistolis Pseudo-Seneca ait, se ad Paulum mittere *librum de copia verborum.* Et Thomasinus de Bibliothecis Patavinis p. 58. testatur in Bibl. monasterii S. Antonii urbis Patavinae exstare manu exaratum L. Annaei Senecae Cordubensis Stoici discipuli librum de copia verborum ad B. Paulum. Nugae, nugae, inquit Nic. Antonius haec narrans T. I. Bibl. Vet. Hispanae lib. I. cap. 8. pag. 31. Ceterum hae *Epistolae ad Paulum*, non modo cum Senecae scriptis saepius prodiere, ut Venet. 1503. fol. Basil. 1515. fol. etc. sed et iunctae scriptis Apocryphis Clementis, Martialis Lemovicensis, et aliorum Augustae Vindel. 1529. 8. Sed nolo de illis Epistolis iam verbum addere, cum satis de illis dixerim in Codice Apocrypho Novi Test. Senecae *de fortuitis remediis ad Gallionem libri II.* scripti in Bibl. D. Vffenbachii fuere, illi opinor, qui prodierunt Lipsiae 1500. 1503. 4. Librum Senecae *de matrimonio*, quem memorat Trithemius, non vidit ipse, ut puto, sed ex Hieronymi I. in Iovinianum nominavit. De iactato praeter rem huius Philosophi Christianismo exstat diatriba D. Aegidii Strauchii, Viteb. 1668. 1706. 4. quamquam multa sunt in Senecae scriptis, quae hominem Christianum haud dedeceant, quorum partem collegerunt Iosephus Hallus, et Io. Baptista Schellemberchius Iesuita in Seneca Christiano, et M. Iustus Siberus in Seneca divinis oraculis quodammodo consono, Dresdae 1675. 12. quibus iungendi praeter Nic. Hardschmidii diss. de Senecae notitia Dei naturali, Io. Andr. Schmidius diss. de Seneca eiusque Theologia Ien. 1668. 4. et Io. Ianus Svaningius in Theologia naturali contemplativa ex Senecae scriptis in locos communes digesta, Hafniae 1710. 4. *i*) cum praefat. erudita D. Severini Lintrupii: Io. Philippus Apinus diss. de reli-

i) Acta Eruditor. T. VI. supplem. p. 335.

gione Senecae Viteb. 1692. 4. Io. Henr. von Seelen, in diss. de scriptoribus gentilibus falso in Christianorum ordinem relatis, et de frustra quaesitis in Virgilio rebus divinioribus, Flensburg 1714. 4. Io. Gottlieb Heineccius de Philosophis semichristianis, Halae Sax. 1714. 4. Iacobus Henricus Lochnerus in schediasmate de scriptoribus nonnullis, qui aliis pagani, aliis Christiani audiunt, Brem. 1716. 4. et ante hos D. Christianus Kortholtus in diss. de Philippi Arabis, Alexandri Mammaeae, Plinii iunioris et Senecae Christianismo, Kil. 1666. 4. tum auctor libelli, *der Christliche Seneca*, oder Richtschnur eines tugendhaften Lebens aus denen Episteln L. Annaei Senecae gezogen, Lips. 1712. forma minore.

Moralis Philosophiae collectanea digesta per titulos, et ex Senecae scriptis selecta a *Lud. Granatensi*, exstant in huius operibus iunctim Latine excusis Andrea Schotto curante tribus Voluminibus in fol. Colon. 1628. Tom. I. p. 643. seqq. Non pauca etiam ad verbum e Seneca repetita in *Ioannis Bonae* manuductione ad Coelum, quam ipse profitetur medullam continere Sanctorum Patrum, et veterum Philosophorum. *Petri Brinch* admiranda Senecae Ethica, et Politica in locos communes ordine literarum digesta, et summariis ac notis illustrata, necdum lucem viderunt, quod sciam, etsi iam ad praelum parata memorantur in Novis literariis maris Balthici, et Sept. a. 1703. p. 134. *Dionysii Gothofredi* Loci Communes e Seneca, qui eius Coniecturis et V. L. in Senecae libros subiecti sunt, ut supra indicavimus, hoc ordine sunt digesti: 1) Theologica sive de Deo et rebus Divinis, 2) Iuridica ad ordinem Pandectarum, 3) Ethica, 4) Oeconomica, 5) Politica, 6) Grammatica, Rhetorica, Historica, 7) Dialectica, 8) Physica, Medica, et Mathematica, 9) Similium librum, et 10) Nomenclatorem adagiorum, et nominum propriorum per varias classes digestorum. L. Annaeo Seneca illustrando en blasones politi-

politicos y morales por *Juan Bannos de Velasco*, Madrit 1670. 4. prodiere.

X. *Deperdita Senecae scripta* a veteribus memorantur haec, notante praeter alios Lipsio *k*) in vita Senecae cap. 10. cuius observatis nonnulla adiunxi. Liber, s. dialogus, *de superstitione*, Tertull. cap. 12. Apologet. Lactant. V, 9. et Augustin. VI, 10. de C. D. memoratur etiam a Diomede Grammatico lib. 1. Idem eodem libro praeterea Senecam *de officiis* laudat. *Epistolarum ad Novatum fratrem liber X.* allegatur a Prisciano lib. 1. de ponderibus et mensur. *Epistolae ad Maximum Caesonium* Martial. VII, 44. nisi de aliis libris Caesonio inscriptis intelligendus. *De fortuitis* sive *remediis fortuitorum ad Gallionem fratrem* Tertull. Apologet. *De providentia*, maius opus scribendum suscepisse se innuit Seneca cap. 1. libri, qui de hoc argumento exstat. *De terrae motu* lib. 6. natural. quaest. c. 4. *De immatura morte*, Lactant. III, 2. et auctor Sophologii Iacobus Magnus III, 1. et VII, 7. *De natura rerum* idem Sophologii auctor, nisi libros naturalium quaestionum respexit. *Exhortationum* libri Lact. lib. I. c. 4. et 7. III, 15. VI, 24. et 27. *Moralium libri*, quibus de omni materia ad Philosophiam morum spectante fusius disputaverat, ut innuit ipse Epist. 106. 108. et 109. Vide et Lactant. lib. I. c. 16. II, 2. VI, 17. *De matrimonio*, Hieron. adversus Iovinian. lib. 1. *Liber de India*, Plin. VI, 17. et Serv. in IX. Aeneid. Liber *de situ et sacris Aegyptiorum*, ex quo nonnulla depromsit Lucanus. Vide Grotium ad Lucani X, 313. Salmasium ad Solin. etc. Memorat idem opus Servius in VI. Aeneid. Liber *de forma mundi*, Boeth. 2. Geo-

k) De scriptis Senecae deperditis differit etiam M. Ant. Delrio prolegom. ad Senecae Tragoedias libro 2. qui est de vita Senecae cap. ult. et Nic. Antonius Bibl. vet. Hispanae §. 117. seq. nam plurima composuerat, atque ut Quintil. X, 1. *tractaverat omnem ferme studiorum materiam, nam et orationes eius, et poëmata et Epistolae et Dialogi feruntur.*

Geometr. p. 15. 37. et Caſſiodor. memoratur etiam a Rabano Mauro III, 25. de inſtitutione Clericorum Tom. 6. Opp. p. 44. Guil. Malmesburienſis lib. 1. de geſtis Anglorum p. 23. *pulcherrime Seneca* in libro de cauſis *commemorat*, Catonem *Oratoris officium definientem dixiſſe:* Orator eſt vir bonus dicendi peritus. Intelligendum forte opus quaeſtionum naturalium.

E Lactantii VII, 15. colligit Lipſius, Hiſtoriam quoque, ſive Hiſtoriae Rom. compendium, a Seneca ſcriptum fuiſſe. Sed hoc non firmiore tibicine nititur, quam quod alii ex eodem loco colligere voluerunt, auctorem compendii Hiſt. Romanae, quod ſub Flori nomine habemus, non eſſe Florum, ſed Senecam. Nam uti hanc opinionem recte confutavit Voſſius lib. I. de Hiſt. lat. cap. 30. ita non neceſſe eſt ſingulare opus Hiſtoricum Senecae comminiſci, quoniam potuit ſane Seneca obiter in quodam ſcripto vel epiſtola Romani populi tempora diſtribuere in quatuor aetates, cuius diviſionem partim imitatus eſt, partim immutavit, aut forte haud inſpecto Seneca ſimile quid et ipſe cogitavit Florus. Dio lib. LXI. pag. 690. auctor eſt, Senecam ſcripſiſſe, *l*) quae Nero Imp. diceret ad milites, et quae in Senatu recitaret: quo pertinet epiſtola ad Senatum, qua Agrippinae necem defendit, cuius ſummam tradit Tacit. XIV, 11. Annal. quaedam ex ea laudat Quintilian. VIII, 5. 18. Atque haec Senatui aliquando tanti viſa, ut decerneret, eam columna argentea inſculpi, et quotannis, cum novi Coss. Magiſtratum inirent, legi. Omitto quod idem Dio pag. 694. refert, Senecam non modo reginis et libertis adulatum, ſed et encomia quorundam compoſuiſſe, et Tacitus XIV, 52. Annal. inducit obiicientes, *eloquentiae laudem uni ſibi adſciſcere, et carmina crebrius factitare,*

l) Confer quae de Orationibus eiuſmodi, quas Imperatores ab aliis ſibi faciendas curarunt, et ipſi in Senatu vel alio loco ſolenni recitarunt, annotavit Baelius in Lexico ubi de Hadriano Imp. agit nota F.

ditare, postquam Neroni amor eorum venisset. Idem Tacit. XV, 63. de Seneca moriente: *et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis, invertere supersedeo.* At Dio pag. 713. D. nihil de Seneca, sed Paulina: *οὐ μέντοι πρότερον ἑαυτῆς ἥψατο, πρὶν τό τε βιβλίον, ὃ συνέγραψεν, ἐπανορθῶσαι, καὶ τἄλλα (ἐδεδίει γὰρ μὴ καὶ ἐς τὸν Νέρωνα ἐλθόντα φθαρῇ) παρακαταθέσθαι τισί:* modo sanus sit locus, et non potius legendum fuerit *αὐτῆς* ut intelligatur Seneca, et quae ipse scripsit. Quintilianus quoque X, 1. Inst. ubi pulcherrimum de Seneca et eius ineptis imitatoribus fert iudicium, testatur omnem fere studiorum materiam a Seneca pertractatam. *Nam et Orationes eius*, inquit, *et Poëmata, et Epistolae et Dialogi feruntur.*

XI. De Senecae scriptis non male Menagius Tom. 2. Menagianor. sub init. *Il y a dans les ouvrages de Seneque des choses admirables, mais il perd beaucoup quand on le manie, et quand on l'approfondit. Il est meilleur à citer dans la chaleur de la conversation, qu'à lire dans le silence du cabinet. Il veut briller, quelque sujet il traite. C'est ce qu'il est fort souvent faux. Cependant le Pere Malebranche m) à mon gré à dit trop mal de lui. On ne sçauroit contester à Seneque d'avoir eu de l'esprit infiniment. Quintilian dit un bon mot la dessus:* Velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. *Le Cardinal Palavicin dit aussi admirabilment bien de Seneque:* Profuma i suoi concetti con ambra, e con un Zibetto, che a longo andare danno in testa. *C'est dans ses considerations sur le stile.* Senecae elegantiam, interdum *frivole* ut ait Gellius *argutam*, cum prae-

m) Malebranche de inquirenda Veritate lib. II. cap. 4. Confer si placet Opuscula varia Evremoniana p. 32. seq.

praeclara Ciceronis eloquentia conferunt *Gedoyni* praef. ad Gallicam Quintiliani versionem, et Io. Antonius Bernardus singulari diss. Consule memorias Trevoltinas a. 1717. pag. 1898. Journal des Savans 1718. Octob. pag. 451. seq. Dominicum Bohursium in libro, la maniere de bien penser, dialog. 3. p. 226.

XII. CASP. BARTHII INDEX SCRIPTORVM A SENECA PHILOSOPHO LAVDATORVM,

ad paginas editionis Amst. et Lugd. Bat. 1619. 8. 2. Volum.

Priore tomo habentur Libri de beneficiis, Epistola, Lib. de otio Sapientis, de Providentia et Quaestiones Naturales.

Athe-

Dorus

T. Li-

XIII. Iam dicendum est *de decem Tragoediis*, quae sub *Senecae* nomine ambulant, et Philosopho tribuuntur a Francisco Petrarcha, Petro Crinito, Daniele Caietano, Martino Delrione, etc. Alii, ut Balth. Bonifacius lib. 15. cap. 7. Historiae ludicrae, audacter pronunciant, autorem habere Marcum Senecam nepotem, Philosophi ex priore uxore filium, sed praematura morte exstinctum, cuius mentio in Consolat. ad Helviam cap. XVI. Sed ex eodem

eodem loco constat, admodum puerum et paullo ante Patris exsilium obiisse. Aliis, ut Ioh. Boccatio, saltem dubium est, utrum filius L. Annaei, vel frater, vel ex fratre nepos, M. Annaeus Lucanus, eas scripserit. Elias Vinetus putabat, esse nescio cuius L. Annaei Senecae, qui sub Traiano floruerit. Senecam Philosophum a Tragico distinguit quoque Sidonius Apollinaris Carm. IX. vers. 231. Idem faciunt alii: a quibus tamen recte, ut puto, dissentiunt Nic. Antonius lib. 1. Bibl. veteris Hispanae cap. 9. et Barthius ad Statium T. 1. p. 251. Certum quidem est, et Senecam Philosophum carmine valuisse *n*) et aliquas tragoedias ad eum recte referri. Sed et de hoc fere convenit inter eruditos, decem has, quas habemus, non esse unius autoris.

1. *Hercules furens*, ex Dan. Heinsii sententia, autorem habet M. Annaeum Senecam Philosophi patrem. Versus ex hoc dramate, sub Senecae nomine, afferuntur a Terentiano Mauro lib. de metris. Imitatus est Seneca Herculem furentem Euripidis, ad quem vide si placet, quae notavit Iosua Barnes V. C. ad vers. 140.

2. *Thyestes* Senecae tribuitur a *Luctatio* *o*) Statii Scholiaste ad lib. IV. Thebaid. Haec eidem M. Annaeo Senecae ab Heinsio adscribitur.

 3. *The-*

n) Vide Senec. Epist. CVII. et CXV. et Lipsium ad Tacit. XIV, 52. cuius et Quintiliani locum paulo ante adduxi.

o) Sub eiusdem *Luctatii* nomine periochas, sive *argumenta singularum tragoediarum* in MS. reperit ediditque Georg. Fabricius. Petrus autem Scriverius testatur, se vidisse MS. quo argumentum *Herculis furentis* paucis admodum verbis immutatis referebatur ad *Albertinum Musatum*, Patavinum Historiographum. Ianus Gruterus passim quoque memorat *Veterem Scholiasten Palatinum in tragoedias Senecae*. Cum vero idem testetur, illum sua inscripsisse Iohanni Botticellae, apparet, eum non esse valde antiquum. *Primus quod sciam*, inquit Nic. Antonius in Bibl. Vet. Hispana, *tragoedias Senecae glossis illustravit Nicolaus Treveth Dominicanus, saeculo post Christum natum XIV. quae scriptae occurrunt in Bibl. Ferdinandi Coloni Eccles. Hispalensis.* Hunc Anglum Dominicanum suspicor latere sub corrupto *Francheti* nomine

3. *Thebais* siue *Phoenissae* reliquis praefertur a Lipsio, Florente Christiano et Iano Bernartio: sed eadem indigna Seneca, minimaque tragoediarum est iudicio Ios. Scaligeri, Dan. Heinsii, Petri Scriverii. Ad Senecam Philosophum referendam esse, nec Lipsius dixerit, qui temporibus Augusti vindicare malebat. Nescio quale sit Henrici Chiffellii *supplementum ad Thebaidem Senecae*, Rom. 1625. 8. quod memoratur in Catalogo Bibl. Barberinae. Cum Q. Septimii Florentis Christiani notis prodiit Thebais Paris. 1588. apud Fed. Morell.

4. *Hippolytus*, si Troadas excipias, nulli Latinarum secunda est, et Philosophum Senecam autorem agnoscit, iudice Daniele Heinsio. Porro versus, quem ex *Phaedra p)* Senecae affert Priscianus libro IV. in hoc dramate occurrit. Etiam in MS. optimo Florentino, quo usus est Io. Frid. Gronovius, haec Tragoedia *Phaedra* inscribitur. Comparationem inter Hippolytum Senecae et Euripidis edidit Ioh. Henr. Boeclerus Argentor. 1651. 4. et T. II. diss. Acad. vide et Sam. Petitum lib. 1. Obs. c. 2. qui cap. 1. suspicatur, Medeam et Hippolytum a Seneca Philosopho in exsilio scriptas esse, utpote in quo *levioribus se oblectasse studiis* testatur in consolat. ad Helviam cap. IV.

5. *Oedipus*, adumbrata ex Sophoclis Oedipo Tyranno, auctore M. Annaeo Seneca Philosophi parente, ut eidem Heinsio videtur.

6. *Troa-*

mine apud Nic. Antonium lib. I. §. 173. *Triveti* huius siue *Trevethi* in quasdam tragoedias scholia MSS. exstant Vratislaviae in Bibl. Rhedigeriana. Eadem in aliis etiam occurrunt Bibliothecis, ut eidem Antonio §. 177. observatum.

p) Thomas Phaedrus eloquentiam Romae sub extremum saeculi XV. cum summa laude professus, ita ut aetatis suae Cicero haberetur, Phaedri cognomen tulit, quod personam Phaedrae in hoc dramate eleganter repraesentasset. Vide Erasmi Epist. XXIII, 5. ubi male Petrus pro Thoma appellatus.

6. *Troades* Senecae tribuuntur a Priſciano et Valerio Probo, ſed idem bis *Hecubam* vocat. Ceterum Philophi eſſe, et Euripidis Troadas longe vincere, iudicabat olim Heinſius. Troadem perperam appellant Lipſius et alii, qui etiam contemnendi et ignobilis auctoris eſſe exiſtimant, cum, Ioſ. Scaligero iudice, ſit princeps Latinarum Traegoediarum. Cum Euripidis Troadibus et Hecuba confert Sam. Petitus lib. I. Obſerv. cap. 3. qui poſt reditum ab exſilio ſcriptam hanc Tragoediam in aula a Philoſopho exiſtimat cap. 1. Germanicis verſibus reddidit notaſque additit Poëta egregius Martinus Opitius parte 2. poëmatum, inſcripſitque Aug. Buchnero.

7. *Medea* ſub Senecae nomine allegatur a Quintiliano lib. 9. cap. 2. et Philoſopho tribuitur ab omnibus, quamquam vetus Lucani ſcholiaſtes affectam fuiſſe etiam a Lucano Medeam tragoediam teſtatur. In hanc *Medeam* commentarius Matth. Raderi prodiit Monachii 1631. 12.

8. *Ex Agamemnone* verſiculum ſub Senecae nomine laudat Priſcianus libro 6. *Gallice* Agamemnonem e Seneca compoſuit *Carolus Tuſtanus* Pariſ. 1566. 4. Anglicam metaphraſin dedit *Blackmorius*, parte 2. poëmatum miſcellaneorum Lond. 1718. 8.

9. *Hercules Oetaeus* ex Sophoclis Trachiniis adumbratus eſt, ſed longe infra Graecum ſubſidet, ſermoque arguit, longe poſt reliquas hanc tragoediam ſcriptam eſſe. *Cuius auctor ſi tam corruptus eſt et vitioſus elocutione, quam rebus et ſententiis turgidus et inflatus, nihil eſt, quod illum audire magnopere velimus,* inquit Vavaſſor lib. de vi et uſu quorundam verborum latinorum.

10. *Octavia* et ipſa Seneca Philoſopho non indigna, ſi Scaligerum *q*) ſequimur, etſi prae reliquis humi ſerpit, et

q) Fuit tamen cum Ioſephus Scaliger non Senecam exiſtimaretque auctorem eſſe huius tragoediae, ſed Scaevum Memorem, de quo Voſſ. p. 48. de Poët. latin.

et Iusto Lipsio visa verbere eruditorum excipienda, non plausu. Ea autem non est in MS. optimo Florentino, quod ipsum eam suspectam facere potest. *L. Annaeo Floro* eam tribuit Voss. p. 164. de Hist. lat. qui Instit. Poët. lib. 2. pag. 76. eam omnium ineptissimam vocat et opus plane scholasticum. Neque Octaviae mortem potuisse memorare Senecam, a Nerone prius exstinctum. In editis vulgo postremum locum occupat, nisi quod in prima edit. Lipsiensi, et in aliis quibusdam praemissa est Herculi Oetaeo. Sed notum est, quanta sit tam in editis, quam in MSS. varietas in ordine harum tragoediarum. Iustus Rycquius ad Taciti XIV, 63. scriptam putat a Seneca anno V. C. 713. Ioan. Frid. Gronovius autem non esse Senecae recte iudicat.

Iul. Caesar Scaliger non dubitat Senecae tragoedias etiam ultra Graecarum vim et elegantiam extollere: plerisque tamen hodie aliter videtur, qui nimium Philosophicas esse, et contra leges tragoediae passim peccare iudicant. Vide Vossium patrem in Institutt. Poëticis, et Rapini aliorumque iudicia collecta a Bailletto T. 2. iudiciorum de Poëtis. *Dionysii Thusci* de Rubertis e Burgo S. Sepulchri et *Thomae Aquinatis*, qui a quibusdam memorantur, commentarii, lucem certe haud viderunt. MS. Codex non contemnendus Tragoediarum Senecae servatur Gothae in Bibl. Serenissimi Ducis, ut in Cypriani Catalogo MSS. illius Bibl. p. 106. notatum est.

XIV. Quam primam omnium editionem harum tragoediarum faciunt Delrio et Nic. Antonius, quamque Herbipolensem appellant, ea est excusa Lipsiae literis Langobardicis apud Martinum Herbipolim, sine notatione temporis in 4. eandemque emendatissimam vocat Delrio: falli tamen existimo, qui pro prima habent. Apud eundem Antonium p. 38. et 39. Bibl. veteris Hispanae plures videre licet tragoediarum Senecae non modo editio-

editiones, ſed verſiones quoque, et interpretes. Sed nos noſtro modo rem agemus.

Prodierunt Senecae tragoediae Venet. 1482. et 1510. f. cum comment. *Gellii Bernardini Marmitae* Parmenſis; et 1493. 1498. 1505. f. cum iiſdem et *Dan. Caietani* Cremonenſis commentariis, qui male dicitur ſubinde etiam in titulo, *Galetanus*. Eam ſecutae Florentina a. 1513. 8. apud Phil. Iuntam, ex recenſione *Benedicti Florentini*: Pariſienſis a. 1514. fol. ex recenſione *Hieron. Avantii et Philologi*, cum *Eraſmi*, *Gerardi Vercellani*, *Aegidii Maſerii*, *Bernardini Marmitae*, *Danielis Caietani*, et *Iodoci Badii Aſcenſii* notis et commentariis. In eadem urbe a. 1511. fol. in lucem emiſſae erant *Iacobi a Cruce*, Bononienſis, annotata in Ovidium, Virgilium, Perſium, Lucanum, Papinii ſilvas, Senecae tragoedias, Horatium, Martialem, Silium Italicum etc. *Avantius*, ex cuius caſtigatione, cum eius diſſertatione de generibus carminum apud Senecam, tragoediae editae ſunt apud Aldum ſive Aſulanum Venet. 1517. 8. tria fere millia erratorum eluiſſe ſe gloriatus eſt. Iterum viderunt lucem Venet. 1522. fol. apud Bernardum de Vianis, cum commentariis Bernardini Marmitae et Dan. Caietani: Baſileae 1529. 8. apud Henricum Petri, Lugduni 1538. apud Gryph. curante *Lud. Carrione:* Lipſiae 1566. apud Voegelin. cum *Georgii Fabricii* variis Lect. et Epiſtola de tragoediarum uſu, ac de generibus carminum apud Senecam. Prima *M. Antonii Delrionis* editio, qui Senecae tragoedias egregie illuſtravit, excuſa eſt cum fragmentis Senecae et aliorum Tragicorum vett. Antverp. 1576. 4. apud Plantin. tum 1594. 4. et Pariſ. 1607. 1620. 4. Cum *Iuſti Lipſii* animadverſionibus ex veteri libro bonae notae, ac celebri illa cenſura de tragoediarum ſcriptore, ad Raphelengium, et *Franciſci Raphelengii* notis, Lugd. Bat. 1588. et apud Commelin. 1589. 8. Cum notis *Iani Gruteri* ibid. 1600. 8. Cum Caſtigationibus


Ios. Scaligeri et *Dan. Heinsii*, cuius etiam diss. de tragoediarum auctoribus adiuncta est, Lugd. Bat. 1611.

Editio *Scriveriana* ex castigatione *P. Scriverii*, cum integris Iusti Lipsii (Lugd. Bat. 1588.) Francisci Raphelengii, et qui Thebaidem illustravit, Septimii Florentis Christiani, Hieronym. Commelini, Ios. Scaligeri, Iani Gruteri, Dan. Heinsii, Isaaci Pontani, addita Georgii Fabricii, Avantiique diss. de carminum apud Senecam generibus facta est, Lugd. Bat. 1621. 8. Idem Scriverius Veterum Tragicorum Latinorum fragmenta post Delrionem accurate collegit, quae infra libro quarto recensemus. Post Scriverium Senecae tragoedias cum selectis variorum suisque animadversionibus vulgavit *Antonius Thysius* ibid. 1651. 8. et qui in primis praeclare de Seneca meritus est, *Io. Frid. Gronovius* adhibito optimae notae MS. Florentino anno 1661. 8. e quo permultis locis textus est correctus, interdum tamen etiam per coniecturam. Eiusdem Gronovii notas in Tragicum, ex chirographo auctas, et a filio Iacobo digestas, cum Variorum notis Senecae additis, locupletissimoque indice, recuderunt Amstelodamenses 1682. 8. Nec contemnenda editio instructa notis *Thomae Farnabii*, Lond. 1623. 12. et Amstelod. 1713. 12. etiam Francof. 1625. 8. Venet. 1688. 12. in usus tironum. Novissime *Io. Casp. Schroederus* Rector Scholae Delphensis Tragoedias Senecae ad MS. Traiectinum recensitas edidit Delphis 1728. 4. cum notis integris *Io. Frid. Gronovii*, et selectis *Iusti Lipsii*, *M. Antonii Delrii*, *Iani Gruteri*, *Hieron. Commelini*, *Ios. Scaligeri*, *Danielis* et *Nic. Heinsiorum*, *Thomae Farnabii* aliorumque, et observationibus nonnullis *Hugo Grotii*, et notis atque animadversionibus suis, nec non Indice novo luculento verborum et phrasium Senecae fere omnium auctore *Io. Philippo Grimsehlio*. vid. Journal des Sav. 1729. Aout. p. 435. et Act. Erud. Lat. a. 1728. p. 448. ubi durius de Schroederi studio iudicium, cuius auctor *Gottlieb Korte*,

adver-

adverſus quem eodem a. 1728. Delphis prodierunt Schroederi *notarum et animadverſionum ad Senecae Tragoedias Vindiciae a diſtortionibus et calumniis alicuius ex editoribus Actorum eruditorum Lipſienſium.* Vide ſis etiam Diarium Amſtelodamenſe, Bibliotheque raiſonnée T. 7. pag. 141. ſq. ubi de lite, quae Schroedero intercesſit cum V. C. Carolo Andrea Dukero, quem ille praeter rem pro auctore habuerat ſiniſtrae cenſurae, quae de illius Seneca erat vulgata in Diario Belgico Traiectino, et repetita ex Novis litterariis Lipſienſibus. Inde dolendum eruditisſimo Dukero anſam datam ſcribendae acerbae apologiae et in Schroederum invectivae in praefatione in Thucydidem a ſe editum. Cum verſione Gallica *Michaelis de Marolles* prodierunt Senecae tragoediae Pariſ. 1660. 8. duobus volum. Thyeſten *Italice* vertit *Ludov. Dulcis*, neſcio an caeteras etiam Tragoedias. Vniverſas Italicis reddidit verſibus *Hyacinthus Nani* Senenſis. Agamemnonem *Anglica* Metaphraſi donavit pridem *Io. Studley* 1566. 8. Medeam *Eduardus Sherburne* Lond. 1648. 8. atque inde quoque reliquas. Troadas *Hiſpanice* Ioſephus Antonius Gonſalez de Salas, addita Nova idea Tragoediae et Exercitatione ſcholaſtica de theatro Madrit 1633. 4. Omitto *Gallicam* Metaphraſim Agamemnonis, auctore Carolo Touſtain, Pariſ. 1556. 4. Ambroſiana Bibliotheca pulcherrimum habet tragoediarum Senecae codicem cum argumentis *Albertini Muſſati* Patavini, ut teſtatur Nic. Antonius p. 39. Bibl. vet. Hiſpan.





CAPVT X.

DE

LVCANO,

POETA.

I. *Lucani aetas.* II. *Pharsaliae libri.* III. *Editiones et Versiones.* IV. *Carmen ad Pisonem Lucano tributum.* V. *Scripta deperdita.*

I. M. Annaevs lvcanvs *a*) Cordubensis Hispanus, filius M. Annaei Melae, quem Senecae Philosophi fratrem fuisse diximus, Eques Romanus et ab Imp. Nerone variis auctus honoribus, sed postea, grave eius odium incurrens, quod in Poëtica, cuius Principatum Imperator ambiebat, *b*) excellere cuperet. Itaque implicitus Pisonianae coniurationi, et deprehensus, exireque vita iussus, venis solutis obiit anno C. 65. vix annos natus 27. Genethliacon eius celebrat Statius lib. II. Silva 7.

II. Exstant eius *Pharsalia*, sive de bello civili Caesaris atque Pompeii, quod pugna ad Pharsalum, Thessaliae urbem, qua Pompeium Caesar vicit, finitum est, *Libri X.* Carmine Heroico. Quantum ex praesenti opere gloriae sibi promiserit auctor ipse, patet ex his eius verbis IX. 983. seq.

Invi-

a) Praeter vitam Lucani, quae ad Svetonium auctorem refertur, aliam ineditam laudat Scaliger ad culicem Virgilii, illam fortassis, quae editioni Schrevelianae praemittitur, edita a Ioanne Britannico. Adire praeterea iuvabit Martinum Hanckium de Rom. rer. scriptoribus c. XI. Nic. Antonium lib. I. Bibl. Vet. Hispanae cap. 10. et Gaddium de Scriptoribus non Ecclesiast. Tom. I. pag. 269.

b) Tacitus XV. 49. et 79.

Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae.
Nam si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnaei c) durabunt Vatis honores,
Venturi me teque legent, Pharsalia *nostra*
Vivet et a nullo tenebris damnabitur aevo.

Tumorem Lucani reprehendit Iul. Caesar Scaliger et Caussinus III, 10. de eloquentia sacra et profana. Non minus reprehendas, nisi velis per ironiam dictum admittere, quod mirum in modum adulatur Neroni, usque adeo, ut cum multis verbis bellorum civilium atrocitatem et miseriam exaggerasset, subiungat lib. I. vers. 44.

Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quod tibi res acta est — —

Astronomiae peritiam in Lucano desiderabat Iosephus Scaliger prolegom. ad Manil. et alibi, eumque secutus Grotius ad lib. I. vers. 54. et Barthius LIII, 6. Adversar. Sed defendit Lucanum Franciscus Insulanus, procurator Parisinus, in Apologia pro Lucani Mathematica adversus Scaligerum, versibus edita Paris. 1582. 4. quam impugnat Scaliger Epist. 3. ad Mamertum Patissonium. *d*) Aliam Lucani Apologiam Scaligero opposuit Iacobus Palmerius Grentesmenilius editam post auctoris mortem a Iano Berkelio Lugd. Bat. 1704. 8. Conferendus etiam Io. Baptista Bellus in diatriba de mense et die *e*) victoriae Pharsalicae Tolos. 1637. 8. recusa T. VIII. thesauri antiquitatum Romanar. Graeviani, et separatim iterum cura Henr. Leonhardi Schurzfleischii V. C. Viteberg. 1705. 4. Laudat Lucanum praeter alios, ac frequenter imitatur Guilielmus Brito, ut observatum Reinesio est pag. 561. et 404. Var. Lect. Clarissimo Burmanno iudice, ut eloquentiae corruptela Senecae Philosopho recte adscribitur, ita

c) Homerum intelligit.

d) Confer Menagii Anti-Baillet. T. I. p. 370.

e) 26. Iun. anno V. C. 706.

ita ſanctiſſimam et divinam artem poëſin primus contaminare, et heroicum carmen ad declamatoria acumina demittere aggreſſus eſt fratris eius M. Annaei Melae filius, Lucanus. Ineptiuntque maxime, qui eum Virgilio comparare annituntur, in quo omnia caſtigata, limata, et naturalia: cum Lucanus, ut effraenis equus, impetu ſemper maximo feratur, neque habenas audiat, ſed indulgens ingenio, neque modum neque rationem ſervet carminis, iudicio non recte uſus, cum ubique oſtentare vim ſuam et vehementiam, etiam ubi convenit minime, conetur. *f*) Poteſt tamen cum fructu legi, cum eius dictio ſit ſatis latina, puraque, et deſcriptiones, quas immiſcet operi, haud inelegantes. Characteres eius quoque egregii, in qua arte proximus eſt Velleio Paterculo, et rerum civilium minime rudis. Lucanus perſtringitur a Petronio cap. 118. his verbis: *Ecce libelli civilis ingens opus quiſquis attigerit, niſi plenus litteris, ſub onere labetur. Non enim res geſtae verſibus comprehendendae ſunt, quod longe melius Hiſtorici faciunt quam Poëtae* etc. Confer Iani Douſae praecidanea ad Petron. lib. 2. cap. 12. Tamen Caſp. Barlaeus Tom. I. poëm. p. 417. ex perſona Lucani:

Cui minus Hiſtoricus credor, minus eſſe Poëta,
Me minor eſt vates, me minor Hiſtoricus.

Atheiſmi crimen Lucano impactum ab eo removet auctor Epiſtolarum Italice editarum Bononiae a. 1708. 8. pag. 32. 242. Acta Eruditorum Lipſ. T. 4. ſupplementi p. 62. ſeq. Memoriae Trevolt. 1706. pag. 570. In antiquis Codicibus hoc de Lucano Hexaſtichon legitur:

Corduba me genuit, rapuit Nero, praelia dixi
Quae geſſere pares hinc ſocer, inde gener.
Continuo nunquam direxi carmina ductu,

Quae

f) Adde Barth. LIII. 6. Adverſar.

Quae tractim serpit, g) plus mihi coma placet.
Fulminis in morem quae sunt miranda citentur.
Haec vero sapiet dictio quae feriet.

Vitam Lucani a Svetonio scriptam, ad Casaubonum a. 1596. misit Theodorus Canterus. Vide Epistolas Casauboni edit. Almelovenianae p. 646. ubi notatur, aliunde assuta esse haec verba postrema: *Poëmata etiam eius praelegi memini, confici vero ac venalia proponi non tantum operose ac diligenter, sed inepte quoque.* Svetonio haec vita vindicatur a Barthio VII, 3. XI, 21. Adverſ. Exstat in Graevianis et aliis recentioribus Svetonii editionibus. Alia vita est, quae ex Commentario antiquissimo repetita fertur in variis Lucani editionibus et incipit: *M. Annaeus Lucanus patrem habuit M. Annaeum Melam.* In *Io. Fr. Wichmanshausenii* diatriba in Lucani Pharsaliam, Viteb. 1712. 4. et in *Iacobi Mosanti Briosii* (de Brieux) Epistolis, editis Cadomi a. 1670. 8. p. 112. seqq. ad Iacobum Palmerium, multa in Lucani laudem congesta lector reperiet, et pag. 130. seqq. nonnulla Lucani emendata vel illustrata. Illustrat etiam plura Lucani loca et castigat Franciscus Modius in lectionibus novantiquis, nec non Guilielmus Canterus in Novis lectionibus. Nimium Lucano tribui a Statio, cum patriam eius ipso nato *plus quam Senecam dedisse Mundo* scripsit, ita profitetur Barth. ad lib. 2. silv. 7. p. 251. ut adulationem appellet paene abominabilem. Nimis tamen et ipse in Lucanum iniquus, quando subiungit: *Quid enim totus Lucanus, tamen meliore parte suorum scriptorum superstes, ad Senecae vel unam Epistolam aut tractationem?* Idem assen-

g) Alii rectius: *quae tractim serpant: plus mihi comma placet.* Comma est incisum, breve, argutum. Nimium quaesita acumina in Lucano reprehendit Dominicus Bohurius, libro la maniere de penser pag. 237. Quod vero *plus historicus quam Poëta* dicitur Iornandi cap. 5. de rebus Get. atque inde Freculfo lib. 2. Chron. cap. 16. ad fidem potius putem pertinere, quam ad scribendi characterem.

assentitur Francisco Florido Sabino, qui lib. 2. subseciv. lection. c. 20. nihil unquam putavit prolatum stultius, quam cum Statius Homero superiorem, parem Virgilio Lucanum celebravit Poëtam his versibus:

Graio nobilior Melete Baetis,
Baetin Mantua provocare noli.

et ad Guil. Britonis haec IX, 731. seq. quibus Statio Lucanum anteponit, Virgilio confert:

O nunc Lucani ruat in me sive Maronis
Spiritus, aut saltem Thebani vatis imago.

Barthius in notis pag. 631. *Persuasione praesumta et ex ipsius Papinii non nimis subtili hac de re iudicio, longe Lucano Papinium postponit, ausus Lucanum etiam Maroni componere, quo delirio delirius nullum unquam Poëtam delirasse arbitror.*

Foeminis quae, ut Polla Lucanum, maritos suos in studiis adiuverunt, addenda Claudia Statii Poëtae, de qua Gevartius III, 13. Papinianar. lect. p. 195. seq.

Libri decimi pars posterior et forte plures insequentes cum aliis Lucani Poëmatis perierunt. Nec ultimam manum *h*) addidisse iis, quos habemus, libris putatur a nonnullis. Fuerunt etiam, qui Poëtis *i*) accensere Lucanum

h) Libros tres priores emendasse aiunt *Pollam Argentariam*, Lucani uxorem, quae deinde Statio Poëtae nupsit, ut ipse docere videtur prooëmio lib. 2. Silvar. Hinc Sidonius: *Polla dat Poëtas.* Haec, auctore Bapt. Fulgoso, *tanto ingenio doctrinaque fuit, ut coeptos a viro permultos versus ipsa eadem stili gravitate atque elegantia perficeret, atque epigrammata etiam peritissime conscriberet.* lib. 8. cap. 3. Plures foeminae maritos suos, vel amasios in studiis adiuvantes celebrantur a Sidonio lib. II. Epist. 10. ad Hesperium: *Sisque opido meminens, quod olim Martia Hortensio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Pudentilla Apuleio, Rusticiana Symmacho legentibus meditantibusque candelas et candelabra tenuerunt, — — reminiscere, quod saepe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo.*

i) Vide Martialem XIV, 194. Isidorum VIII, 7. Orig. et Servii loca,

canum dubitarent, quod hiſtoriam, quam verſu perſequitur, non tot fabulis inquinaſſet more aliorum Poëtarum. Marbodum Andinum Rhedonenſem Epiſcopum, fama eſt, ut Patriae gratificaretur, hos de Meduana et Ligeri verſus Lucano inſeruiſſe lib. I. v. 438. ſeq.

In nebulis, Meduana, tuis, marcere peroſus
Andus, iam placido Ligeris recreatur ab amne.

Sane in omnibus MSS. Codicibus antiquis non comparent, vel ipſo Grotio teſte, qui eos in ſua ἐκδόσει edendos curavit. Haec Menagius p. 27. ad Laert.

Scholiaſtes Lucani antiquus commemoratur a Grotio ad Lucan. et a Barthio ad Statium ac Britonem. Arnolphi Aurelianenſis ſcholia MSS. fuere in Bibl. Gudiana; Lucanus cum commentariis MSS. Zoni Florentini in Bibliotheca Regis Galliae, teſte Labbeo. Alius Scholiaſtes MS. in Bibl. Vaticana memoratur a Nic. Antonio in Bibliotheca Vet. Hiſpana p. 47.

III. Editio Lucani princeps eſt Romana a. 1469. fol. curante *Io. Andrea* Epiſcopo Alerienſi vulgata, nuncupata Paulo II. Pontifici. In ea haec de Lucano Pomponius Infortunatus: *Pharſaliam non finivit, cuius primos tres libros cum uxore correxit, quos inſcitia depravatos cum reliquis ſeptem Ioannes Andreas Antiſtes Alerienſis diligentiſſime noſtro tempore emendavit, rogantibus Conrado et Arnoldo, qui ne lingua Romana pereat, libros laudabili inventione imprimunt.* Ab eo tem-

loca, Iornandis ac Ioan. Sarisberienſis apud Voſſ. de natura poëticae p. 7. Nimirum, ex Ariſtotelis praeceptis, vati non eſt quaſi res geſta verſibus tradenda, ſed per ambages Deorumque miniſteria, et fabuloſum ſententiarum tormentum debet liber ſpiritus praecipitari, ut loquitur Petronius. Verum Eraſmus Epiſt. ad Andream Ammonium pag. 216. *Sunt*, inquit, *qui poëma non putent, niſi Deos omnes e coelo, mari, terraque ſubinde advocas, niſi ſexcentas infulcias fabulas. Mihi ſemper placuit carmen, quod a proſa ſed optima non longe recederet.* In hanc ſententiam multa Palingenius, ſcriptor lectu digniſſimus, initio libri VI. Zodiac.

tempore prodiit Venetiis 1475. fol. cum *Omniboni Leoniceni* Comm. In fine ſcriptum eſt Dodecaſtichon, cuius verſus ultimi ſunt:

Non in Lucanum quicquam quod dignius extet,
Ex hoc ni rapiant ſecula noſtra dabunt.
Addidit auctorum Coradinus nomina, nilque
Suſtulit, Omniboni quo minuatur honos.

iterumque a. 1477. fol. per Guerinum. Poſt Parmae 1483. f. quae editio fuit apud Graevium. Secuta eſt Veneta a. 1486. fol. et eodem anno Brixienſis per Io. Britannicum: in qua editione eſt Commentarius *Omniboni* correctus a *Io. Taberio* Brixiano, cuius et epiſtola praefixa eſt: in qua ita illum Commentarium vitioſum factum dicit, ut dedecori fuerit auctori. v. Specim. literat. Brix. P. I. p. 116. ſeq.

Memorantur deinde editiones Mediol. 1491. cum *Io. Britannici* Comm. Venet. 1493. fol. cum *Io. Sulpicii*, et *Omniboni:* item 1498. f.

Seculi ſequentis primam ſcimus *Aldinam* a. 1502. 8. repetitam 1515. in cuius textu uſum ſe dicit Aldus libro vetere et correcto, ab Mauroceno accepto. Sequutae ſunt aliae *Venetae* 1505. fol. 1511. fol. *Pariſienſes* 1506. 1514. f. 1512. 8. cum adnotatione familiari et pellucida, ut habet titulus, *Petri de Ponte, Caeci*, Brugenſis. *Mediolani* cum *Sulpicii*, *Beroaldi* et multorum aliorum notis, ex recognitione *G. Vercellani*, 1508. item 1525. ad edit. Pariſ. 1514. *Argentorati* ex recenſione *Hyacinthi.* Arpini 1509. 4. cum *Sulpicii* Comm. et ſine eo 1520. 8. Ad haec tempora prima ſeculi pertinet etiam editio Lipſienſis 4. ſine anni nota. Sed ceteras huius ſeculi per lancem ſaturam dabimus.

Prodiit igitur inde Lucani poëma Baſil. 1514. f. Lugduni 1534. 8. et 1551. 8. apud Gryph. et 1569. forma minore. Venet. 1537. 8. apud Iac. Iuntam. Coloniae 1537. 8. apud

apud Ioh. Gymnicum. Parif. apud Simonem Colineum et 1545. 8. apud Rob. Stephanum, additis in calce Variis Lect. Lugd. 1547. forma minore apud *Seb. Gryphium*, et 1542. 8. Bafileae apud Henr. Petri 1550. 8. cum *Ioan. Sulpicii* et *Henr. Glareani* notis, et 1578. fol. cum commentariis haud contemnendis, pro illa, qua fcripfit, aetate, *Lamb. Hortenfii* et *Io. Sulpicii*, Parif. 1554. 8. apud *Rob. Stephanum*. Ex *Theodori Pulmanni* recenfione, Antverp. apud Plantin. 1564. 12. 1577. et 1592. forma minore. Lipfiae cum fcholiis *Gregorii Berfmanni*, 1584. 8. et 1589. 8. cum *Iac. Micylli* in difficiliores locos, et *Berfmanni* fcholiis, Variifque lect. *Theodori Pulmanni*, et in librum I. animadverfionibus *Ioach. Camerarii*, addita etiam *Epiftola ad Calpurnium Pifonem* per *Hadr. Iunium* emendata, et illuftrata a *Iofepho Scaligero*. Idem *Iunius* Lucanum ad vetuftiffimi exemplaris fidem caftigatum tradidit typographo, ut conftat ex eius Epiftolis p. 225. datis circa a. 1552.

A. 1612. ex Raphelengii officina prodiit forma minore. Cum *Pulmanni* Variis lect. et notis *Hugonis Grotii k)* Antv. 1614. 8. cum *Pulmanni* Variis lect. et *Grotii* notis auctioribus Lugd. Bat. 1626. 8. cum notis *Thom. Farnabii*, Lond. 1618. 8. Francof. 1624. 8. Lond. 1634. 8. et Amftelod. 1643. 1665. 12. additis etiam *Hugonis Grotii* animadverfionibus, Amftelod. 1651. apud Elzevir. forma min. cum eiufdem *Grotii* notis. His accedunt denique editiones *Amftelodamenfes*, cum eiufdem *Grotii*, *Thomae Farnabii*, et aliorum notis vulgatae a *Corn. Schrevelio* 1658. 1669. 8. in quibus etiam fubiicitur Lucani fupplementum, libris VII. a *Thoma Maio* Anglo non infeliciter

k) Grotium edito Lucano et fe et omnes fanos a fimili conatu deterruiffe fcribit Rutgerfius lib. I. cap. 12. Var. Lect. Tam impenfe porro Poëta illo delectatus eft Grotius vir fummus, ut eum femper in finu geftaverit vix die intermiffo, quo non aliquid eius legeret, ut narrat in Epiftolis Guido Patinus.

liciter elucubratum; quod ſeparatim prodiit Lugd. 1630. et alibi, etiam ad calcem ed. Lucani Amſt. 1713. Laudat id N. Heinſius Poëmat. pag. 274. Caeterum Variarum lectionum libellus ex Codd. quibus Pulmannus et Berſmannus uſi ſunt, adiectus Grotianis editionibus Antverp. et Lugd. Bat. 1614. 1619. 1626. 8. et Schrevelianis, 1658. 1669. cum Varior. notis, ab Grotio non eſt, neque ea habet, quas diu ante ſuae eleganti editioni adiecit Robertus Stephanus. Omitto editiones in Corpore Poëtarum latinorum, de quibus infra lib. IV. cap. 1.

Lucanum etiam expolire inſtituit *Caſpar Barthius*, magni pretii exemplari uſus, cuius patrocinio id aggreſſum ſe teſtatur ad Statii Thebaid. VI, 89. et IV, 409. et praeſtantiſſimus vir *Nicolaus Heinſius*, in quam rem diligenti ſtudio Varias lectiones e Variis Codicibus MSS. collegerat, de quibus mox dicetur. Etiam Ezech. Spanhemius novam editionem cum Commentario moliebatur. Commentarium autem *Laurentii de Cellieres* in Lucanum laudat Dominicus de Colonia Tom. 2. hiſt. literariae Lugduni p. 722.

Noſtra aetate eodem fere tempore quatuor viri doctiſſimi novam editionem huius poëtae curare inſtituere, quae et accuratiſſime emendatum textum, et res quoque explicatas bene illuſtrataſque haberet. Primus fuit *Rich. Bentleius*, de cuius conſilio narrat *P. Burmannus* in praefatione editionis ſuae. Sed vel ſponte conſilium abiecit, cum idem agi a *P. Burmanno* cognoviſſet, vel morte irritum factum eſt. Praeter hunc autem et Burmannum idem agebant *Fr. Oudendorpius*, e diſciplina Burmanni, et *Gotlieb Cortius*. Primus deſtinata abſolvit *Oudendorpius*, cuius editio praela reliquit Lugd. B. a. 1728. 4. Habent huius editionis exempla *Scholia antiqua*, et notas variorum ſelectas antiquiorum et recentiorum editorum, ut *Omniboni*, *Sulpicii*, *Micylli*, *Berſ-*

Bersmanni, *Grotii* etc. et ſuas ipſius; in quibus et criſin modeſtam exercet, et res ac verba explicat, nec copioſus nimis, nec brevis: additis etiam inter textum et notas var. Lect. MSS. et edd. vett. quibus multis uſus erat. Nam vix alius poëtae latini tam multa exempla ſcripta extant, quam Lucani, cuius rei cauſſam ſupra demonſtravimus. Neque tamen haec editio *Cortium* ab inſtituto opere avocavit, qui et ipſe magnam copiam librorum et ſcriptorum et editorum typis habebat: ſcriptorum quidem ad ſexaginta, itemque lectiones codicum ab aliis excerptas, item notas doctorum virorum quorundam ineditas. Atque ille textum a ſe ex iſtis copiis formatum dedit Lipſiae 1626. 8. cum variis lectionibus: maius opus ipſum in lucem non potuit proferre, etſi abſolutum paene: reliquit tamen in manibus librarii, qui eius editionem ſuſceperat: ſed id etiam propter nimiam magnitudinem (erat enim vir ille doctus, ut editio Salluſtii ab ipſo facta docet, nimis liberalis in copiis ſuis profundendis) non auſus eſt prelis ſubiicere. Erat autem criſis illius viri recta et modeſta; ſed aptior aliis ſcriptoribus, quam poëtis, nam et interdum lectiones praetulit, quae per metri leges verae eſſe non poſſunt.

Sed haec *Oudendorpii* et *Cortii* inſtituta etſi *Burmannum* ab opere inſtituto non abſtraxere, tamen retardavere, et, ut modum et formam operis ſui paullulum mutaret, fecere, remque omnino ſic moderaretur, ut ſua editio ne Oudendorpianae obeſſet. Nam aliorum notas praetermiſit, et ſuas unius addidit textui a ſe e MSS. et edd. vett. conſtituto. Ceterum ei largiorem materiam notarum praebuere et Heinſianae notae ineditae, quas ſuis fere intexuit, et Oudendorpianae notae, etiam textus a Cortio factus. Nec vero dubium eſt, quin haec editio ceteris ſit praeferenda: cui ſi Oudendorpianam quis addiderit, nempe propter notas variorum inprimis, nihil

nihil amplius desiderare poterit. Inprimis vero et praefatio laudanda est, quae post explicatam rationem instituti sui, eruditissime et accuratissime exponit de Lucani ingenio et poësi, doctrina etiam et meritis, quam legere debent omnes, qui de carmine Lucani, eius virtutibus et vitiis, immo omnino de Poëmatum Epicorum natura et lege, et iis, quae a veteribus et recentioribus scripta sunt poëmata talia, recte et ex arte iudicare velit. Ceterum haec editio facta est Lugd. Bat. 1740. 4.

Cum versione prosaria *Gallica* Michaelis de Marolles lucem vidit Lucanus Paris. 1654. 8. Metaphrasis *Gallica* Brebovii, versibus scripta, quam archetypo ipsi *l*) haud dubitant praeferre nonnulli, saepius edita est, Paris. 1657. 8. 1663. 12. et Rothomag. 1665. 12. Contra in ea non modo turgidum dicendi genus reprehendit Nic. Bolaeus, (Boileau de Despreaux) in arte Poëtica p. 160. sed etiam aliquando longe infra Lucani vim et dignitatem subsidere arguitur ab Euremonio Tom. III. p. 190. ubi confert versum Lucani, *Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni*, cum hoc frigido Metaphrastae, *Les Dieux servent Cesar, et Caton suit Pompée.* Lucanum, Svetonium et Sallustium *Gallice* editos Parisiis a. 1500. memorat Labbeus pag. 339. Bibliothecae novae MSS. Argumentum idem Gallica prosa persequitur *Quartierius* S. I. Paris. 1688. 8. Lucani Pharsalia *Anglico* reddita carmine ab Arturo Gorgesio prodiit Lond. 1614. 4. Alia Thomae Maii, ibid. 1679. 8. *Italicae* Metaphrases, post antiquiorem illam Anonymi Florentinam (Zuchari Bencivenii) circa a. C. 1310. ut videtur Nic. Antonio compositam, complures exstant. Octonario rhythmo quidem Lucanum vertit L. Cardinalis de Montichiello, Mediolan. 1492. 4. versibus solutis, sive libere desinentibus

Iulius

l) Vide Parrhasiana T. I. p. 107. et Vignolium Marvillium Tom. I. Misc. historico-litterar. pag. 25. cui Metaphrasis illa dicitur *Lucano ipso Lucanior.*

Iulius Morigius, Ravennae 1587. Alberti Campanae Florentini interpretatio prodiit Venet. 1540. 12. Pauli Abriani ibid. 1668. 8. Andreas quoque Valfredus his accensendus, cuius versionis exordium inter flores Bibliothecae Aprosianae edidit Angelus Aprosius: nam ipsa nondum, quod sciam, vidit lucem. Denique P. Gabrielis Mariae Meloncelli *m*) e Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum Metaphrasis vulgata est Romae 1708. 4. *Hetruscis* versibus Lucanum reddiderant Albertus Campana Dominicanus, et Ioannes Maria Vantus, teste Gaddio: sed neutra Metaphrasis lucem vidit, quod sciam. *Hispanica* prosa Lucanus redditus fuit a Martino Lasso de Orepesa, *Lucano Poëta y Historiador antiguo*, Antv. 1585. 8. et Burgis 1588. f. Versus est et ab Hieron. a Porres Medico, sed cuius interpretatio, perinde ut fratris annotationes, adhuc in scriniis latet: et a Ioanne de Xanregui, Hispalensi Madrit 1683. 4. Metaphrasis *Germanica* Viri praestantissimi, Viti Ludovici a Seckendorf, sine *n*) rythmis homoeoteleutis, at servato hexametri versus numero adornata, una cum notis et observationibus eius, paullo post eius obitum in lucem emissa est Lipsiae 1695. 8.

IV. Inter catalecta veterum Poëtarum exstat *Carmen Panegyricum ad Calpurnium Pisonem*, quod Virgilio ab aliis, ab aliis Ovidio perperam adscriptum, ad Lucanum fere referunt eruditi, ut supra in Ovidio dictum est. vide et, quae in Virgilio dixi supra, et Barthii notas ad Statium T. 1. p. 254. et 456. ubi *Statio* illud tribuit, et ad Claudianum lib. 1. de laude Stiliconis v. 38. ubi *Calpurnio*. Est autem eodem Barthio iudice XLIX,

 7. Ad-


m) Journal des Savans 1709. Febr. pag. 171.

n) Simili ἀρύθμῳ carminis genere Gallis uti docuere, Ioh. Antonius Baifius, Stephanus Iodellus, Rapinus, Passeratius, Italos Leo Baptista Albertus, Th. Campanella et Lud. Ariostus, et Bernardus Philippinus, Anglus Iohannes Miltonus.

7. Adverſar. *poëma ἀτέλεςον, et in libros aliquot fuiſſe diviſum videtur, vel ex ſolo fine: adeo alioquin cultum et eruditum, ut malim aliis tertio prolixioribus tanto carere quam iſto.*

V. Deperdita Lucani ſunt *Catacauſmos Iliacus, Catalogus Heroidum, Hectoris lytra, Orpheus, Saturnalia, Silvarum libri X. Medea tragoedia* imperfecta, *Hypomnemata* proſa oratione, in *Octavium Sagittam*, et pro eo *Declamationes, Epiſtolae* ex Campania, *Satyricae fabulae* XIV. etc. Vide Scaligerum ad Catalecta vett. Poëtarum p. 279. ſeqq. Voſſium de Hiſt. lat. lib. I. cap. 26. et Colomeſium ad Gyraldum p. 239. Sed videndus inprimis Nicol. Antonius lib. 1. Bibliothecae vet. Hiſpanae pag. 42. ſeq. Barthius XXIII, 3. Adverſar. et ad Statium Tom. 1. p. 254. ſeq. qui de *Medea* Lucani etiam videndus Tom. 1. pag. 246. uti de *Orpheo* eius; Ioannes Fridericus Gronovius diatrib. ad Statii lib. 2. ſilv. 7. ante quem *decem libros ſilvarum* a Lucano ſcriptos Nicolaus Antonius contendit.

Haec de Lucano dicta ſufficiant, quem Virgilio non comparatum, ſed plane praelatum a Petro Cornelio, ſicut a Franciſco Malherba Statii clangorem et crepitacula, refert et indignatur Huetius de rebus ad ſe pertinentibus pag. 24. 314.



CAPVT



CAPVT XI.

DE

T. PETRONIO ARBITRO.

I. *Petronii aetas.* II. *Satyrici fragmenta prima.* III. *Traguriana.* IV. *Nodotiana.*

I. T. PETRONIVS *a*) ARBITER Massiliensis, equestri genere natus, Vir Consularis et inter familiares Neronis Imp. Sed artibus aemuli Tigellini invisus ei redditus, iussusque ab eo mori, incisis venis, lascivam animam efflavit a. C. 67. Sed ab hoc Petronio diversum, et antiquiorem facit Auctorem libri, de quo dicturi sumus P. Burmannus, in praef. ed. suae putatque iam Claudii temporibus scripsisse, et huius libertorumque eius vitia notari. Statilius autem etiam post Severi tempora scripsisse putabat, nec Neronem, sed suae aetatis neoplutos perstrinxisse. Enimvero nimis omnia conveniunt seculo Neroniano. *Petronius*, Barthius scribit, ad Claudium p. 28. *Neronianarum libidinum arbiter, qui de scriptis etiam voluit suis summam prudentiam, exquisitissimam sapientiam et elegantissimam eloquentiam inter propudiosissimas libidines elucere, illudens utique dictis scriptisque vanitati curarum humanarum, homo volupta-*

a) Apud Tacitum praenomen Petronii *Caius* est, sed *Titus* apud Plutarchum et Plinium. Idem Tacitus auctor est, Petronium Neroni *elegantiae arbitrum* fuisse, *ut nihil amoenum et molle affluentia putaret, nisi quod ei Petronius approbavisset.* Hinc crediderim factum esse, ut *Arbiter* vulgo appellaretur, quo nomine etiam occurrit apud Terentianum Maurum libro de metris. Equidem Henr. et Hadr. Valesii, fratres doctissimi, auctorem Satyrici ab illo Taciti Petronio distinguunt, & Antoninorum aetate vixisse opinantur, sed argumentis ducuntur parum exploratis. Quare receptae sententiae subscribere satius esse putavi.

voluptatibus corpore, animo virtuti deditus, ut docet omnis ſcena Satyrici illius. Singulare hoc elogium: ſed qui corpore voluptatibus, et ſimul animo virtuti bona fide deditus eſſe poſſit, per eundem iungentur ante ſaeva ſideribus freta, et ignis undae, tartaro triſti polus. Huetius in Epiſtola ad Graevium: *b*) *De Petronio non ita ſentio ut vulgus doctorum ſolet. Iudicio uſus eſt in literis valde limato et ſubtili: ſtilo deteriore, affectato, fucato, interpolato: ut plus ei ad exiſtimationem profuiſſe putem obſcoenitatem rerum, quam ſermonis elegantiam.* Nec valde pugnem, alienum ipſum fuiſſe a moribus, quos perſtrinxit: arduum certe eſt, in his tam prolixe, et tam ad vivum ac nequiter percenſendis et docendis ſe alere, ne dicam, tam exquiſitam notitiam talium habere, qui ſit illis ἀμύητος. Vtinam vero unus eſſet vel fuiſſet Petronius, qui flagitia inſectaretur, quibus ipſe ſe volutaſſet. Habet hoc frequenter ſcelerata vita, ut ſuo etiam ſe teſtimonio condemnet atque execretur. Sed Monachis nimium tribuere videtur, qui illorum turpi diligentiae nos debere ait, quod illae tantum Petronii laciniae ad nos venerint, quae illis laſciviae et proterviae manifeſtiſſimis argumentis blandirentur. Vnde enim quaeſo conſtat, caetera fuiſſe pudiciora? et quovis potius alio quam iudicio Monachalis laſciviae conſignata, vel ſervata illa fragmenta apparet. Salmaſius praefat. ad Ampelium: *Conſueverunt multi ſtudioſi, ſi quem auctorem legerent, retento lectionis ordine, quicquid ex eo iudicarent excerpendum, in Codicem ſuum regerere, et ſibi ſervare. Vnde factum ut haec, in Bibliothecis privatorum reperta, ſaepe a librariis pro integris auctorum operibus deſcripta fuerint, ac ad poſteritatem aliis ſubinde ea excipientibus ac deſcribentibus propagata. Ita conſervatus eſt elegantium nequitiarum curioſis Petronius Arbiter.* Conradus

b) In Tilladeti collectione T. 2. pag. 264.

dus Rittershusius ad Phaedri IV, 13. coniicit, Petronii opus ita truncatum et laceratum ab aliquo pio exscriptore, qui loca obscoena omiserit. Sed unde quaeso tot nupta verba, tot obscoeni sales in illis, quae supersunt, fragmentis? Non magis credibile est, quod coniiciebat Bervillius, Eumolpi nomine a Petronio perstringi Senecam, quod merito reiicit Evremonius in iudicio de Seneca Tom. 2. Opusc. Idem in iudicio de Petronio ostendit, hunc scriptorem exponere et commendare potius, quam satyrico sale perfundere libidines vitiaque aulae, in qua versabatur.

II. Scripsit *Satyricon*, sive *libros Satyricon*, ut mavult appellari Graeca forma P. Burmannus, nec improbabiliter, analogia iuvante similium titulorum, ut Ovidii *Metamorphoseon*, Hygini *Poëticon Astronomicon*, Fulgentii *Mythologicon*, Solini *Ponticon* etc. libri. In his libris nequissimos mores eius aetatis omni procul pudore, etsi dictione tersa et eleganti, descripsit. Passim quoque, exemplo satyrarum Varronis Menippearum, versus interposuit, inprimis carmen de bello civili, quod testatur, eum non invitis Musis ad Poëmata componenda accessisse. Burmannus putat, per Codicillos, quibus exoletorum et foeminarum stupra ac libidines sub mortem consignasse Petronium refert Tacitus XVI, 19. hoc satyricon opus intelligi non posse. Nihil sane codicilli testamenti, quos obsignatos Neroni misit moriens Petronius, habent commune cum libris hisce ac voluminibus ad omnium notitiam in vulgus editis.

De editionibus fragmentorum huius operis (MSS. e L. XV. et XVI. esse tradunt) accuratissime scripsit *P. Burmannus* in praefatione editionis suae: unde et nos accuratius de iis tradere poterimus. Sunt autem illa fragmenta primum, quod quidem constet, edita cum multis lacunis, sed tamen interdum rectius, quam posthaec,

Venet. a. 1499. per Bernhardinum de Vitalibus Venetum. Hinc Lipſiae anno 1500. per Iacobum Thanner, Herbipolenſem, cura *Hermanni Buſchii* Paſiphili, Monaſterienſis. Ibidem carmen de luxu Romanorum 1500. 4. ſeparatim excuſum. *c*) Pariſiis porro a. 1520. curante *Reginaldo Chalderio*, ad cuius editionis paginas, ſuas obſervationes et caſtigationes a. 1562. direxit *Adrianus Iunius* ſive *Theod. Beza.* Cum caſtigationibus porro *Io. Sambuci*, Antverp. 1565. 8. apud Plantin. Lugd. 1575. 8. apud Ioh. Tornaeſium, qui duobus editis, et totidem ſcriptis Cuiacii et Dalecampii libris adiutus, et opera uſus *Dionyſii Lebei Batillii*, ICti celeberrimi. Petronium recenſuit, eique Variarum lectionum libellum adiunxit; videturque primus auctiora illa fragmenta dediſſe e ſuis libris Pariſ. 1575. 12. ap. Patiſſonium. Sequuntur *Iani Douſae* patris praecidaneotum in Petronium libri III. Lugd. Bat. 1583. 8. editi primum ſunt, poſtea Petronio adiuncti a. 1585. ibid. 8. et Pariſ. 1585. 8. ap. Guil. Linocerium et 1587. 12. apud Patiſſonium, quae editio et nitidiſſima, et ſuperioribus omnibus emendatior eſt, additis etiam notis *Richardi* Biturigis, et ſpicilegio *Dupeiratii.* Cum notis eruditis *Io. Wowerii*, Hamburgenſis, *d*) Lugd. Bat. 1596. et 1604. et Amſtelod. 1624. forma minore. Pariſ. dein 1601. 12. ex officina Chriſtophori Beys, prodiit cum notis *Pithoeorum* et *Douſae*, et veterum Poëtarum Catalectis. *Melchioris Goldaſti* editio Helenopoli ſive Francofurti 1610. 8. curata, et Lugd. 1618. apud Frellonium et Francof. 1621. in officina Wechel. et Genevae curante Thoma Iuges 1629. 4. repetita, variorum notas et caſtigationes partim ad id tempus

c) Huius praeclari viri ac nobilis Buſchii memoriam et merita in litteras tum renaſcentes egregia digno ſtudio ſtiloque celebravit clariſſ. Vir Iacobus Burcardus in vita Buſchii, eius vallo humanitatis praemiſſa, Francof. 1719. 8.

d) Fallitur Mich. Piccartus, qui notas in Petronium tribuit Wowerio Antverpienſi, cap. 14. peric. Critic.

pus ineditas, complectitur, *Buschii*, *Ad. Iunii* (diversas ab iis, quas Sambuco ante miserat Pulmannus, an Aurati vel Aemari Ranconneti, aut Bezae?) *Sambuci*, *Francisci et Petri Danielis*, *Christoph. Richardi*, *Francisci et Petri Pithoeorum*, *Dousae* patris, *Conr. Rittershusii*, *Iani Dousae* filii spicilegium, notas *Wowerii*, et *Casparis Barthii e*) tum quorundam Anonymorum et *Georgii Erhardi* Franci, sub quo nomine *Goldastum* latere patet ex Parei et Althusii versibus volumini praemissis, quibus Goldasto de editione Petronii gratulantur: atque servant etiamnum vasta Goldasti in Petronium collectanea MSS. Bremenses, in quibus omnia illa et longe plura, quam in Erhardi notis editis exstant, legi, Burmannus annotavit. Eidem editioni adiuncta *Catalecta f*) *Petroniana* et Epigrammata, cum *H. Stephani* emendationibus, *Claudiique Bineti* Bellovacensis, *Germani Colladonni* IC. et *Herm. Buschii* notae in carmen de bello civili, *Petri Guirandi* Epistola de Petronio, et elogia Petronii a Lundorpio collecta. Ad *Bineti* collectam, Pictav. 1579. 4. editam, conferenda Dousae praecidanea III, 5. seq. Vsus Goldastus est Codice membranaceo Bongarsii, quem Pithoei fratres etiam inspexerant. Petrus Daniel in notis suis p. 91. seq. observat, ex Baptistae Pii annotatt. posterior. apparere, illum quoque vidisse plura editis Petronii fragmenta. Petrus Pithoeus Codicis sui, editis locupletioris, copiam Erico Mesmio sive Henrico Memmio fecisse se testatur lib. I. Adversar. subseciv. cap. 2. ubi locum ex illo producit. Alium ex Memmii exemplo describit Lambinus ad verba Horatii Epod. V. *lunam-*

e) Vide Crenii animadverf. T. 5. pag. 31.

f) Ibidem habes fragmenta P. Petronii Rhetoris, Petronii Grammatici, Petronii Afranii, Petronii Indici, M. Petronii Venusiani, Petronii Antigenidis Pisaurensis, et C. Petronii Hilari Pisaurensis, Petronii Apollodori Pontificis et XV. viri Romani, et Petronii Levitae. Fuit etiam Petronius Bononiensis Episcopus, quem cum Arbitro confundunt Vincentius Bellovac. in speculo, et Antoninus in summa historiali.

lunamque coelo deripit, teſtatus id fuiſſe Petro Ronſardo, Antonio Baifio, Remigio Bellaqueo et ſibi commodatum. Ex Codice Britannico verba quaedam Petronii emendat Ianus Mellerius Palmerius ſpicileg. T. 4. Lampadis artium Gruterianae p. 693. Cum notis eruditis et gloſſario *Io. Bourdelotii*, prodiit Pariſ. 1618. 12. 1645. et 1677. 12. et edente atque interpolante *Mich. Hadrianide*, cuius etiam praefatio praemittitur, Amſtelod. 1663. 12. *Non habeo fidem Burdelotio*, inquit p. 527. Burmannus, *qui audaciſſime ſaepe locos ſanos tentat, et neſcio quos codices crepat.*

Eodem anno, quo Petronius cum ingenti, ſed nullius pretii *Io. Petri Lotichii* g) commentario lucem vidit Francof. 1629. 4. prodiere iunctim additae eadem forma notae virorum doctorum in Petronium, *Io. Alexandri Braſſicani*, quas paulo ante obitum (a. 1540.) ad Io. Oporinum cum Petronio a ſe emendato, ut ederentur, miſiſſe teſtatur Conr. Geſnerus: *Io. Aurati* a. 1562. (eaedem, quae ſub Hadr. Iunii nomine in edit. Goldaſti exſtant) *Henrici Memmii*, Senatoris Regii, *Alphonſi Delbenii* Epiſcopi Albienſis, a. 1563. *Claudii Puteani* a. 1570. *Iac. Bongarſii* a. 1584. (eaedem, quae ſub titulo Anonymi auctoris leguntur in editionibus *Goldaſti* poſt obſervationes Franciſci Danielis) *Mamerti Patiſſonii*, et *Petri Pithoei* a. 1586. *Io. Wowerii* a. 1595. *Caſp. Sciopii* Sire-

g) Eiuſdem Lotichii libros quaeſtionum in Petronium ineditos ſervat Francofurti ad Moenum nobiliſſ. D. Zacharias Conradus ab Vffenbach. Capitum elenchum habes in Maſſoni Hiſtoria Critica Reip. literariae T. XIV. p. 319. ſq. Goldaſtus Epiſt. ad Caſp. Hofmannum 7. Cal. Octobris 1631. *Mitto tibi Lotichii commenta in Petronium cum aliorum notis, — Vide quantum abs tuo inſtituto ac iudicio Lotichius diſſideat. Volebam hominem amicum hac occaſione ad lectionem veterum Medicorum deducere. — Sed iudicio deſtitutus, nec in bonis auctoribus verſatus nobis undiquaque compilavit, quae ad grandiendum librum convaſere ex cornu copiae Calepino, Textoris officina, Eraſmi Chiliadibus et conſimilibus ſcriptis poterat, ut tandem monſtroſum horrendum et inſanum magnum iſtud commentum pareret. Adeo ſibi philautia placet, ut etiam ſordes ſuas putet vera olere cinnama.*

Sirenes Petronianae, ſive elegantiores phraſes ex Petronio excerptae a. 1597. *Io. Weitzii* a. 1614. *Renati Morelli* quaeſtiones Medico Phyſicae in Petronium anno 1629. Praeterea *Laur. Pignorii* diatribe de Magnae Deum matris Idaeae et Attidis initiis, *Iani Douſae* ſchediaſma ad Sulpiciae ſatyram, *Petri Pithoei* et *Iuſti Lipſii* in pervigilium Veneris et Floridum de qualitate vitae in idem pervigilium notae *Iani Douſae* filii et *Ioannis Weitzii*. Praemiſſa ſunt teſtimonia de Petronio veterum ac recentiorum, collecta a Goldaſto, Lundorpio, et Lotichio, et Barthii diſſertatio ex XLIX, 11. Adverſar. His addenda Lilii Gyraldi, Guirandi Aloſcani et Roberti Titii *h*) loca de Petronio, quae in Editione Goldaſti leguntur. Prodiit eodem anno 1629. Petronius Francofurti 4. ſed charta minore cum commentario eximio *Ioſephi Antonii Gonſalii* de Salas, et *Scioppii* ſymbolis criticis. In Bibliotheca Wittiana pag. 257. memoratur etiam editio Gonſalii a. 1633. 4. Denique cum notis ſelectis Variorum et praeludiis edidit *Simon Abbes Gabbema*, Traiecti ad Rhen. 1654. 8. nil novi boni habens.

III. Novum Petroniani operis *fragmentum*, integram coenae Trimalcionis fabulam complectens, et *Tragurii* in Dalmatia, in *Nicolai Cippii* Bibliotheca repertum, primus, inſcio, qui a. 1662. in codice, Catulli, Tibulli ac Propertii carmina continente, et ſcripto *i*) circa a. C. 1423. repererat, *Martino Statilio*, vulgavit Patavii *Paulus Frambottus* a. 1664. 8. quam editionem cum MS. collatam Perizonius legavit Bibliothecae publicae Leidenſi, recuſum eodem anno 8. Pariſiis, praefixo de ſtili ratione iudicio. Cum vero *Hadrianus Valeſius*,

h) Haec eſt Rob. Titii Apologia pro Petronio, quae in Bibliotheca Barberina memoratur.

i) Vide Iacobi Sponii Itinerarium in Graeciam etc. parte I. fol. 20. b. verſionis Germanicae, et librum alio auctore editum Noribergae 1718. 8. cui titulus: Alter und neuer Staat des Königreichs Dalmatien. T. 2. p. 139.

lesius, et *Io. Christoph. k) Wagenseilius* testati fuissent, illud sibi fraudis suspectum videri, quorum tamen opinioni pauci eruditorum subscripserunt; *Petr. Petitus*, sub *Marini Statilii* I. V. D. nomine, apologiam edidit: hunc enim verum illius scripti auctorem esse, auctor est Claudius Nicasius in Epistola de obitu et scriptis Petri Petiti ad Cl. Io. Georg. Graevium, non *Stephanum Gradium*, Bibliothecarium Vaticanum, ut *Tennulius* ad Front. et *Theod. Ryckius* ad Tacitum A. XVI, 19. habent. Itaque cum *Caii Tlibomeni*, sive, qui sub illo anagrammate tegitur, *Iacobi Mentelii* coniecturis et *Statilii* apologia, fragmentum idem recusum Paris. 1666. 8. atque iterum cum eadem Apologia Amstelod. 1670. 8. Etiam cum notis *Io. Scheferi*, Vpsaliae 1665. 8. ac cum observationibus *Thomae Reinesii*, additis iisdem *Scheferi* notis, Lips. 1666. 8. et cum *Mentelii* coniecturis, *Hadr. Valesii* et *Io. Christoph. Wagenseilii* dissertationibus Epistolicis et aliorum iudiciis ad Christoph. Arnoldum, Norib. 1667. 8. In Ephemeridibus litterariis Romae a. 1668. p. 106. a Francisco Nazario relatum memini de codice illo MS. ex quo dictum fragmentum expressum est, eum videri scriptum ante 300. annos, et in Bibliotheca Vaticana extare librum alium manu exaratum Petrarchae, qui cum hoc tum chartae genere et forma, tum charactere literarum ex asse conveniat, ut ab omni fraudis suspicione editor certe sit absolvendus. Confer. Valer. Chimetellum de honore bisellii pag. 119. et Io. Mabillonium T. Musei Italici p. 202. seq. In iisdem Ephemeridibus

k) Cl. Wagenseilium ab eo tempore non poenituit iudicii sui, uti patet ex synopsi Historiae universalis parte 2. p. 181. Tom. IV. perae librorum iuvenilium, ubi probat Ioh. Lud. Praschii sententiam, ex eius roseto, sive praeceptis stili latini, qua tanquam barbarum et absurdum reiicitur illud fragmentum. Cum Wagenseilio fecisse etiam Io. Frid. Gronovium narrat vir Cl. Vincentius Placcius in Pseudonymorum catalogo pag. 267. qui haud obscure innuit se quoque de fragmento illo an genuinum sit addubitare. Item Fr. Vavassor Epigr. II, 81.

ridibus literariis Romae a. 1670. 4. vulgatis p. 31. laudatur Statilii Apologia *l*) pro γνησιότητι fragmenti Petroniani Traguriensis. Iam plerique quidem eruditi fragmentum illud Petronium habere auctorem haud ambigunt, etsi agnoscunt, in eo quaedam putida, et affectata ac sordida inesse: sed ea Petronium de industria inseruisse, digna nempe personis, quas loquentes inducit. Notis *Io. Scheferi* addendum supplementum, quod exstat inter eius Miscellanea, sive lectiones Academicas, vulgatas Hamburgi 1675. 8. Denique fragmentum Tragurianum suo loco insertum textu, et cum selectis variorum commentariis vulgatum est a *Mich. Hadrianide* Amst. 1669. et 1687. 8. quae elegantissima praestantissimaque tum Petronii editio fuit, additis etiam variorum auctorum Poëmatis eroticis, aliisque, quae, ut dixi infra, recensebuntur.

Sed accuratissimam et praestantissimam novissime editionem dedit Vir ingenii, et doctrinae laude florentissimus *Petrus Burmannus*, Vltraiecti 1709. 4. in qua contextus scriptoris e libris scriptis et edd. emendate constitutus, et in capita distinctus, singulis paginis substrata habet integra virorum doctorum plerorumque commentaria: et notas antea ineditas *Nicolai Heinsii* et *Guil. Goesii*, et frequentes ac pereruditas, ad Tragurianum praecipue fragmentum, ipsius Burmanni. Subiuncta deinde volumini praecidanea *Iani Dousae*, et *Gonsalii de Salas* commentarius, variaeque ex prioribus editionibus praefationes, et de fragmento Traguriano dissertationes atque Epistolae, et locupletissimus index verborum Petronianorum. Praefatio denique eruditissima de edd. Petronii, quae potest esse magistra huius generis differendi, praeposita est. Haec autem editio repetita est post mortem viri excellentis, cura filii, *Caspari*, L. B. a. 1743. 4. in qua tamen Corrector sibi plus sumsisse visus est Burmannis, quam deberet:

l) Exstat post Petronium Burmanni p. 324.

deberet: ſuper quo publica querimonia fuit, indicatis locis, in quibus id feciſſe videbatur. *Burmanni* ipſius notae caſtigatae et auctae ſunt, acceſſeruntque notae *Dupeyratii.* Textus huius exempli repetitus eſt Lipſiae a. 1731. 8. Obtrectator quidam nominis Burmanniani edidit a. 1738. 8. *Chreſtomathiam Petronio-Burmannianam*, in qua voluit errorum graviorum arguere Burmannum, ipſe, dum reprehendere voluit, graviſſime ſaepe lapſus, riſum praebuit.

Carmen pulcherrimum *de bello civili* ſeparatim edidit cum verſione gallica, et notis illuſtravit celeberrimus ille Curiae Divionenſis et doctiſſimus Praeſes *Buherius* (*Bouhier*) a. 1737. Amſt. 4. additae ſunt duae Ovidii epiſtolae et coniecturae in Pervigilium Veneris.

IV. Famam, quae olim increbuerat, Petronii Satyricon plenius, et locupletius exſtare apud Muretum, denique falſam deprehenſam fuiſſe, leges in Ephemeridibus, Pariſ. a. 1666. 12. April. Falſum quoque id, quod Scioppius, *m*) ſtrenuus ille maximorum nominum calumniator, narrat, a Baudio Pariſiis daemonem de theſauris reconditis conſultum, inprimiſque de Petronio, utrum is alicubi integer exſtaret. Quanquam Leo quoque Allatius inter alia, quae de eruditis daemonem conſulentibus in limine libri de patria Homeri congeſſit, narrat, neſcio quem nefariis ſacris ex impuro ſpiritu eſſe ſciſcitatum, an Petronii opus, et ubi integrum ſupereſſet? Non multo quidem poſt fuit, qui *integrum* ex codice anno 1688. Albae Graecae reperto, edere ſe, fuit profeſſus, *Franciſcus Nodotus* Pariſiis, ac mox Roterd. 1693. 8. Equidem aſſentior viris eruditiſſimis, qui fraudem nimis apertam eſſe dicunt: cuius ſententiae auctores fuere, celeberrimus Leibnitius in litteris ad W. E. Tentzelium, et Io. Fr. Cramerus in Vindiciis nominis Germanici contra quoſdam

m) In Amphotidibus Scioppianis p. 116.

dam obtrectatores Gallos, Iac. Perizonius in Curtio vindicato pag. 53. seq. Rich. Bentleii diss. Anglice scripta de Epistolis Phalaridis pag. 10. et auctor Observationum in Petronium Albae Graecae repertum, Gallice *n*) editarum Paris. 1694. 12. Equidem auctori Observationum respondit Nodotus in Anti-Critica Petroniana *o*) itidem Gallice vulgata, sed ingenii plus prodit in castigando adversario suo, quam pro tuendo pseudo-Petronio suo iudicii vel solidorum argumentorum. Etiam vir doctus, qui cum vita Petronii, et Gallica versione elegantissima, ac clavi verborum, nominum, quae sub fictis illis personis Satyricus perstrinxerit, satyram, qualis a Nodoto edita fuerat, vulgari curavit Paris. 1694. 8. quin, an tota genuina sit, ne dubitat quidem: sed erunt haud dubie, qui dicant, vel Nodotum ipsum vel Nodoti amicum hunc laborem in se suscepisse, quo maiorem novo foetui gratiam auctoritatemque conciliaret. Petronium hunc Nodotianum merito etiam, ut subdititium, reiecit Burmannus in praefat. et in notis pag. 92. 217. 316. etc. adeoque nullam illius in sua editione habuit rationem.

Recusus tamen iterum iterumque Nodoti Petronius est, etiam cum Gallica versione a. 1709. 8. addita, quae separatim antea prodierat, Anti-Critica adversus censorem Gallum. Occurrunt etiam Nodotiana supplementa in Petronio cum notis *Io. Boschii*, et ad Tragurianum fragmentum animadversionibus *Reinesii Scheferi*que vulgato a. 1700. Amstel. forma minima, apud Ioannem Molters.

Ienae

n) Titulus libri: *le tombeau du faux Petrone du Belgrade.*

o) Integer titulus ita se habet: *la Contre Critique de Petrone, ou reponse aux observations sur les fragmens trouvez à Belgrade en 1688. avec la reponse à la lettre sur l'ouvrage et la personne de Petrone* à Paris 1700. 8. Auctor ipse sibi promittit, lectores, qui Petronii studio ducantur, in hoc libro cum voluptate contemplaturos esse *le triomphe des nouveaux fragmens.*

Ienae anno 1700. 12. prodiit Petronius ab omni obscoenitate liberatus, cum brevibus notis excerptis et postumis *Ioanni Andreae Bosii.* In hac editione ratio etiam habetur fragmentorum Nodotianorum, sicut et in editione Lipſ. 1731. 8. cui addita quoque Priapeia.


Denique in Clariſſ. Io. Georgii Eccarti excerptis litterariis menstruis a. 1701. menſe Decembri p. 13. traditur, *Nicolaum Venetteum* paraſſe verſionem Gallicam Petronii, cum notis et lexico, cui ſubiungeret *Poëma* eiuſdem, hactenus ineditum. *de mutatione Reipublicae Romanae*, ex recenſione *C. Granarti.* Vereor tamen, ne illud ipſum poëma intelligatur, quod de hoc argumento exſtat, atque incipit: *Orbem iam totum victor Romanus habebat.* Narrationem Petronianam de matrona Epheſia, quae cap. CXI. exſtat, atque Flaviano etiam auctore laudato, Io. Sarisberienſis e Petronio repetit VIII. cap. 11. Policratici, Gallica proſa expreſſit Euremonius in Opuſculis Miſcell. Tom. 2. pag. 27. Gallico carmine Fontanus fab. 242. Hebraico R. Berachias in Miſchle Schualim. Belgice narrat P. Rabus in Diario Roterodamenſi, Boekſaal van Europe a. 1695. Tom. 2. pag. 75. Germanice B. D. Carpzovius, Conc. funebr. Tom. IV. pag. 132. Epheſiae huic in maritum pietatis, perfidiam Thomae Inckli, qui amaſiam ſuam vivam ac ſpirantem Indis vendidit, opponit Spectator ille, Gallice etiam verſus ex Anglico, Tom. 1. diſſ. IX.


Subiiciuntur editionibus quibuſdam *Errores Venerei*, ſive varia Epigrammata et Poëmatia incertorum auctoeum, a *P. Pithoeo* edita et *Ioſ. Scaligero.* De iis dicetur infra L. IV.

Ineditos quoſdam interpretes memorat Lotichius, de quibus dicere nihil attinet. Burmannus tradit, ſe habuiſſe duas Epiſtolas *Hieronymi Aleandri* a Iuſto Fontanino

canino acceptas, quibus Petronii loca quaedam illuſtrarentur, eaſque ſe voluiſſe edere inter alios libellos editioni ſuae ſubiectos, ſed ſibi ablatas eſſe.

Quidam cum in Itinerario Italico legiſſet, Bononiae Petronium integrum aſſervari, eum ſibi, cum illa in urbe verſaretur, oſtendi rogat. Deductus igitur in templum eſt, monſtratumque ibi S. Petronii cadaver. Vide Menagiana Tom. 3. pag. 112. ſeq. et de illo S. Petronio Martyrologia 4. Octobr. et Tillemontium Tom. XV. memor. pag. 30. ſeq. Alius Petronius Probus ProCos. et praefectus, in vetere inſcriptione Graeca apud Turnefortium itinerar. p. 25. edit. in 4. Petroniorum ſive Petrunculorum nomine caeteroqui venit genus canum venaticorum, de quibus Thom. Fullerus in opere de viris illuſtribus Angliae (the Hiſtory of the worthies of England, Lond. 1662. fol.) ubi de Provincia Lincolnienſi Tom. 2. pag. 150. ibi etiam de vertagis ſive veltragis et moloſſis Britannicis.





CAPVT XII.

DE

PERSIO ET SILIO ITALICO.

I. *Persii aetas.* II. *Editiones atque interpretes.* III. *Index Scriptorum a vetere Scholiaste Persii laudatorum.* IV. *Aetas Silii.* V. *Poëma de bello Punico.* VI. *Eius Editiones.*

I. A. Persius a) flaccus natus Volaterris, b) Eques Romanus, aequalis Lucani Poëtae, et una cum eo Annaei Cornuti, c) Philosophi Stoici, auditor, vix duodetriginta annos natus, obiit anno Imperii Neronis nono. Reliquis Persii poëmatis iuvenilibus iussu Cornuti post auctoris mortem abolitis, utpote indignis luce, solus ad nos pervenit *liber sex satyrarum d)* doctus

a) *Persii*, dubito an nostri, effigies in marmore apud Fulv. Vrsinum pag. 46. elog. in thesaur. Antiqu. Graecarum Gronoviano T. 3. aaaa. Fuit et *Caius Manius Persius* homo doctissimus, de quo Cicero de Orat. II, 6. et de fin. I, 3. refert Lucilium dicere solitum: *Persium haec legere nolo, Laelium Decimum volo.* Alius *Iulius Persius* in Apuleii Floridis.

b) Ita plerisque persuasum est auctore Eusebio in Chron. et scriptore vitae Persii, licet ipse se poëta Ligurem, e Tigulia prope portum Lunae, innuere videtur, Sat. VI. vers. 6. seq. Vide Caspari Massae, et Ludovici Aprosii dissertationes Italico idiomate scriptas de patria Persii, quae recusae leguntur ad calcem libri Raphaelis Soprani de scriptoribus Liguriae, Gregorium Leti in Italia regnante parte IV. pag. 373. Adde August. Oldoinum in Athenaeo Ligust. p. 80. seq.

c) Cornutum suum multis laudat Persius Satyra V. quae ridicule inscribitur etiam in Schreveliana editione, *ad Magistrum Equitum Cornutum*, pro eo, quod legi debebat, *ad Magistrum Annaeum Cornutum.* De Cornuto et eius scriptis dixi lib. III. Bibl. Graecae cap. 15. p. 398. seq.

d) P. Pithoeus testatur, in antiquo MS. singulas paginas hanc inscriptionem prae se tulisse: *Thebaidorum Persii Satyra*, et in extremo: *Explicuit Persii Thebaidorum Satyra feliciter.*

doctus et argutus, sed cum acerbis *e*) salibus plenus, tum ita obscurus, ut propterea aliquibus abiiciendus esse videretur.

II. Vt hodie illustratus est Persius, etiam a mediocriter doctis legi et intelligi potest. Cum vero multorum industria in eo interpretando versata fuerit, praeter ceteros, optime de eo meruisse dicendus *Petr. Pithoeus*, qui *vetera Scholia f*) utilissima in Persium, ex vetere codice cum notis suis publicavit Paris. 1585. 1590. 8. Heidelb. 1610. 8. tum *Isaacus Casaubonus*, cuius eruditiss. atque, uti Iosepho Scaligero videbatur, divinus commen-

e) Hinc *Severi* appellationem Persius tulit, ut Lucilius a Iuvenale dictus est *ardens*, Catullus *doctus* ab Ovidio, Horatius a Persio *vafer* dicitur, Lucretius a Lucano *difficilis*. Confer Baelii Lexicon in Persio, qui propter singularem carminum obscuritatem non dubitat Latinorum Lycophronem appellare. Neque ignotum est, quod passim narratur de S. Hieronymo, qui non capiens eius tenebras, *intellecturis ignibus illa dedit*, abiectoque libro *si non vis intelligi*, dixit, *non debes legi*. Minus praeclare de Persio sentit et Vavassor libro de ludicra dictione p. 239. seq.

f) Scholia antiqua ante Pithoeum ediderat Rob. Stephanus 1549. 8. Locupletiora Elias Vinetus, Pictavis 1563. 4. sed magis selecta sunt, quae Ios. Scaligero Eclogario ex MSS. P. Pithoeus vulgavit. Neque haec tamen, neque illa, qualia hodie exstant, vel *Cornutum* vel *Probum* habent auctorem, sed ex diversae aetatis et eruditionis interpretum notis sunt conflata. Christiani scriptoris non esse probat Pithoeus ex iis, quae ad sat. 5. v. 184. leguntur. Henr. Ernstius lib. 1. cap. 7. Obs. fide codicis antiqui Mediolanensis tribuere ea non dubitat *Helenio Acroni*, quod nec Vincentio Placcio improbabile videtur p. 179. catalogi Pseudonymorum, item Io. Rhodio ad Scribonium Largum pag. 133. At longe abest, ut credam, viris doctis in mentem venisse, integra et sincera Acronis in Persium commentaria scholiis illis contineri. Ianus Parrhasius p. 15. Epist. ait, se alios genuinos *Probi* commentarios in primam Persii satyram manu exaratos legisse, longe maiori cura ac ingenio compositos. Alia scholia vetera in Persium profert Barthius lib. 56. cap. 2. lib. 11. c. 27. Adversar. Scholiastes vulgatus ei p. 129. ad Claudianum, videtur esse *Cornutus* Grammaticus, (qui in Virgilium a Gellio, Charisio, Servio allegatur,) sed interpolatus ad sequiorum temporum captum atque usum. Ex locupletiore Bonavent. Vulcanii Codice quaedam producit Paulus Merula ad fragmenta Ennii pag. 67. referens et ipse scholia illa ad *Annaeum Cornutum*. In Bibliotheca Goldasti fuit vetus Persii interpres *Saebius Ianens* MS. in membrana. Vide Erhardum, sive ipsum potius Goldastum, limine notarum ad Petronium.

mentarius additis antiquis scholiis, vulgatus est Paris. 1605. 1615. et auctior Londini 1647. 8.

Ex reliquis Persii editionibus hae nobis innotuerunt. Prima, ut opinamur, est Romana sine anni nota; quam secutae sunt proxime Brixiensis 1473. cum Iuvenali, facta iubente Presbytero, Petro Villa, sine notis: deinde Ferrariensis et Mediolanensis ap. Zarotum, utraque a. 1474. notata. Haec a. 1476. ibidem repetita est. Proxima est Lovaniensis 1475. fol. per Ioannem de Westphalio, *arte quadam characterisandi modernissima*, ut in fine dicitur. Hanc excepit Brixiensis a. 1481. f. cum *Io. Britannici* commentario, per Magistrum Gabrielem Tarvisinum et Paulum filium eius curata, item tertia Brixiensis 1486. f. cum eodem commentario. v. Specimen literat. Brixiens. P. I. p. 125. seqq. Britannicus in praef. fatetur, se hunc Commentarium festinantius scripsisse. Extat et Daventriensis a. 1482. f. ex hac eodemque anno Veneta duplex: altera per Baptistam de Tortis, altera per Renaldum de Noviomago Teutonicum: atque iterum 1484. 1495. et apud Petrum Ioannem de Quarengis 1492. fol. in qua editione Persius cum commentario *Fontii* et *Io. Britannici*, Brixiani, extat, Iuvenalis vero cum commentario Georgii Vallae et Domitii Calderini. A. 1499. autem Venetiis apud Io. Tacuino de Tridino Persius editus est cum Commentariis cura *Cornuti* Philosophi, *Io. Britannici* et *Barth. Fontii*. Quo nos exemplo utimur. In capite est epistola *Io. Bonardi*, sacerdotis Veronensis ad Angelum Marcellum, Patricium Venetum; in qua se dicit *Cornuti* Comm. diu lacerum et valde depravatum operosa industria sua in pristinum candorem restituisse, et Tacuino typis exprimendum dedisse.

Seculo sequente Persius sine notis apud Aldum anno 1501. 8. cum Iuvenali; Lipsiae 1507. fol. et sine anni nota in 4. Paris. 1523. fol. apud Iodocum Badium Ascensium,

ſium, additas habens praeter eiuſdem Badii notas, *Ioannis Baptiſtae Plautii*, *Io. Britannici*, *Aelii Antonii Nebriſſenſis*, *Io. Murmelii*, Ruremundenſis. et *L. Io. Scoppae.* Cum notis *Nebriſſenſis* prodiit etiam Perſius Pariſ. 1527. 8. apud Rob. Stephanum, et Lucronii in Hiſpania 1529. 8. Perſius ſine notis apud Sim. Colineum, Lugd. 1528. 8. Cum ſcholiis *Io. Murmelii* Ruremundani et *Herm. Buſchii*, Pariſ. 1531. et 1538. 4. et apud Chriſtianum Wechel 1533. 8. item Magdeburgi 1537. Cum Plautii, Cornuti, Britonis ſive Britannici Brixiani et Fontii commentariis Auguſtae Vindel. 1544. fol. Prodiit et Perſius cum Iuvenali Venet. 1530. 12. 1535. 8. apud Bernardinum Stagninum; Lugd. 1534. 8. apud Gryph. et Pariſ. apud Rob. Stephanum 1544. 8. Cum notis *Ioannis Murmelii*, et *Eraſmi* Colon. 1538. 8. Baſil. 1551. f. cum notis Badii, Britannici, Murmelii, *L. Ioannis Scoppae*, *Io. Baptiſtae Plautii*, *Aelii Antonii Nebriſſenſis*, et *Coelii Secundi Curionis.* In hac tamen editione notae Nebriſſenſis non ſunt integrae.

Cum *Antonii Foquelini* commentario prodiit Pariſ. 1555. 4. cum Scholiis antiquis et commentario *Eliae Vineti* Pictav. 1563. 4. cum Iuvenale *Theod. Pulmannus* edidit, additis notis ſuis Antverp. 1565. 8. *Nicodemi Friſchlini* Paraphraſis edita eſt Baſil. 1582. 4. Francof. 1596. 4. *Feder. Ceruti* autem, Venet. 1597. 8. editam notaſque *Phil. Engelberti* Baſil. 1580. 4. et *Theod. Marcilii* Pariſ. 1600. 8. Lipenius commemorat. Editionem Perſii Amſtelodamenſem a. 1595. 8. cum paraphraſi et notis *Eilhardi Lubini* Crenius parte III. animadverſ. p. 17. *Steph. Claverius*, qui in Martialem et Claudianum ſcripſit, Perſium quoque illuſtravit Pariſ. a. 1607. 8. de quo vide Barthium ad Statium T. 1. pag. 432. Cum ecphraſi ſive paraphraſi et ſcholiis *Franciſci Sanctii*, Brocenſis, Salmanticae 1599. 8. cum notis *Vineti*, *Petri Pithoei*, *Theod.*

Theod. Marcilii, *Ioannis Tornupaei*, et ſcholiis veteribus Cornuti, ſive quicumque illorum eſt auctor, Pariſ. 1601. 4. apud Morellum. Cum notis et paraphraſi *Eilhardi Lubini*, Hanoverae 1607. 8. et 1619. Iuvenalis et Perſius ex recenſione *Nicolai Rigaltii* editi Pariſ. 1616. 12. *Aſterii Manlii* in 1. et 2. Perſii Satyram Commentarius et notae, Parmae 1621. 4. Perſium cum commentario *Dav. Wedderburni* Scoti, Abredonenſis, poſt auctoris mortem edidit frater *Alexander Wedderburnus*, Amſtelod. 1664. 12. De ed. in uſum Delphini et *Henninii* dicemus in Cap. de *Iuvenale*. Anno 1765. Noribergae Perſii Satyras edidit quidam *Sebaldus* tabulis aeneis expreſſas 8. in qua editione Variae lectiones Codicis ſcripti e Bibliotheca Ebneriana adiectae ſunt. Editiones cum notis *Ioan. Bond*, et *Farnabii*: tironibus factas ſaepius, mittimus, ut et alias minores, quas docti viri non curant.

Codicem Perſii ſcriptum antiquiſſimum in Bibliotheca Praedicatorum Vindobonenſium memorat, ex eoque verſum affert Vadianus in Epiſtola ad Rud. Agricolam, qua Melae ſuo praefatur. Iuvenalis et Perſii autem codex ſcr. in Bibl. Gerſdorfia in Ephemerid. literar. Lipſ. 1710. memoratur itemque *Ludov. Ceudratae* notae MSS. in Sat. 1. et 2. in Bibliotheca Rhedigeriana: in Labbei autem Bibliotheca nova MSS. p. 68. comment. in Perſium *Cantalycii* e Sec. XIII.

Prologum Perſii *Graeca* Metaphraſi donavit, praeter Ioſephum Scaligerum, Dionyſius Petavius lib. 2. Epiſt. 29. Gemma Bacchanalis, cuius icon exſtat in fronte commentariorum Iſaaci Caſauboni ad Perſium, illuſtratur ab eodem Caſaubono in libro de Satyra, et pulcherrimis imitationibus clariſſimae artificis Haiae (Madame le Hay) locum dedit. Vide Memorias Trevoltinas a. 1717. p. 1840. ſeq.

Gallice,

Gallice, ut antiquam Metaphrasin *Abelis Foulonii* Paris. 1514. editam omittam, verterunt Persium *Quercetanus*, Paris. 1607. 8. *Marollesius* ibid. 1653. 8. Sylvecanus, additis notis ibid. 1693. 12. et carmine liberiore nuper, latinis ex adverso positis, vulgavit *Nobilius*, Satires du Perse traduites en vers François, et accommodées au gout present par Mr. *Noble*, Amst. 1706. 8. Cum prosaria luculenta paraphrasi *Tarteroni* Persius et Iuvenalis saepius prodiit, ut Paris. 1706. 12. *Italice* post *Io. Antonii Vallini* expositionem, *le oscurissime satire di Persio con la chiarissima spositione di Giovanni Antonio Vallone*, Neapoli 1576. 8. et post Metaphrasin *Francisci Stellati*, cum commentariis editam Romae 1630. 4. Amst. 1706. 8. novissime *Camillus Sylvester g*) Nobilis *Rhodiginus* satyras Iuvenalis et Persii Hetrusco carmine expressas cum notis, et dissertationibus, antiquitates varias illustrantibus, prelo subiecit Patav. 1711. 4. Nam metaphrasin eruditissimi Viri, *Ant. Mariae Salvini*, cui versionem Casauboniani libri de Satira adiunxit, *h*) adhuc desideramus. *Anglice* cum commentario Iuvenalem et Persium edidit *Bartenius Holyday*, Oxon. 1616. 8. 1673. f. Et ante paucos annos prodiit Persius ex Metaphrasi praestantissimorum poëtarum *Diepneyi*, *Drydenii*, *Creechii* et *Congrevii*, cum notis, et dissertatione de natura origine ac progressu Satyrae. *Germanica* Metaphrasis *Io. Samuelis Adami* lucem vidit Dresdae 1674. 8. qui in praefat. etiam praelectionum ineditarum *Friderici Rappolti* in Iuvenalem et Persium meminit. *Hispanica* Didaci Lopez Valentini Burgis 1609. 8. Versionem quoque *Bartholomaei Melgareii*, sed ineditam memorat Nic. Antonius.

g) Journal des Savans 1713. Aout. p. 231.

h) Giornale de letterati d Italia Tom. XIV. p. 133. Mem. de Trevoux 1729. p. 2090.

III. INDEX SCRIPTORVM A VETERE SCHOLIASTE PERSII, DVPLICIS EDITIONIS LAVDATORVM.

Editio Pithoei notatur per numeros maiores ſatyrarum, et minores verſuum: Eliae Vineti 1601. 4. per numeros paginarum.

Gallo-

IV. C. SILIVS ITALICVS, ex Italica civitate Pelignorum, consulatum *i*) Romae gessit anno fatali Neronis Imp. a. C. 67. quo honore an deinde bis iterum functus sit, incertum est, aliis adfirmantibus, aliis negantibus. Ciceronis et praesertim Virgilii ingens cultor fuit, et in utroque scribendi genere, etsi passibus non aequis, imitator, in Campania cum morbi lentitudinem inedia praevertisset annos natus 75. decessit, primis annis Traiani Imperatoris. Praenomen eius apud Modium in novantiquis lect. et Glandorpium in Onomastico, non *Caius* est, sed *Publius*: illud verius. *Italici* cognomen consecutus est vel quacunque *k*) alia de causa, vel quod ipsius aut unius e maioribus ipsius patria fuit Italica Pelignorum, aut Italica Baeticae, (sequioribus saeculis

i) Vide Plin. Epist. III, 7. *Est res rara quidem; Poëta Consul*, inquit Iac. Duportus de Silio agens p. 264. poëmatum.

k) Spartianus in Hadriani vita cap. 12. *Italici sunt Itali genere, in provinciis negotiantes, vel fixa etiam sede ibi commorantes.* Alius Silius Propraetor, ad quem Ciceronis Epistolae libro XIII.

culis *Talca: l*) dubium enim illud eſt viris doctiſſimis Nic. Antonio Bibliothecae Hiſpanae vet. lib. 5. pag. 85. ſeq. et Chriſtophoro Cellario in diſſ. de Silio Italico, edita Halae Sax. 1694. 4. et in diſſertationibus eius Academicis iunctim excuſis Lipſ. 1712. 8. diſſ. IV. et in prolegomenis Arnoldi Drackenborchii ad Silium recuſa.

Alia de Silio et ad eius defenſionem Nic. Hieronymus Gundlingius in Gundlingianis parte XII. c. 1. et Nic. Antonius in Bibl. vetere Hiſpana lib. 1. cap. 18. Eruditiſſimum Poëtam appellat Thomas de Pinedo pag. 262. ad Stephanum Byz. non ſine cauſa ille quidem, *m*) ſed fallitur Claudius Dauſqueius, qui notis ad Silium p. 641. in deſcriptione Virtutis et Voluptatis Philoſtratum Silii oculis obſervatum eſſe, cum ſcriberet, ſtilique imitatione ſibi expreſſum perſuaſit. Nam Philoſtratus ille poſt Silium ſcripſit. Io. Antonio Vulpio iudice p. 113. notis ad Catullum, ubi Statium cum Silio conferre placuit, Statius acrioris ingenii et ad excogitandum promtioris utique videtur, ſed *alter ille perpetuo languidus, Virgiliani poëmatis compilator, et plane ad aliorum imitationem compoſitus.*

V. Exſtat eius Poëma Heroicum ſub *Punicorum* nomine, de bello Punico ſecundo, quod aetate provectus, *n*) ſub Domitiano Imp. uſque ad Scipionis Africani triumphum deſcripſit *libris XVII.* Hiſtorici magis partibus functus, quam Poëtae ingenio ſuo indulgentis: unde maiori cura, quam ingenio ſcripſiſſe affirmat Plinius iunior lib. 3. Epiſt. 7. Inventum eſt Silii Poëma a Poggio Florentino in turri quadam, una cum aliis libris, durante Concilio Conſtantienſi, ſi fides Vgolino Verino, e cuius

l) Acta Eruditorum 1719. pag. 178.

m) *Vbique in Silio Graecae eruditionis veſtigia, ubique elegantiae.* Dan. Heinſius ad II, 626.

n) Martial. VII, 62.

e cuius Florentiae illustratae libro 2. narrat Colomesius ad Gyraldi dialog. IV. de Historia poëtar. p. 240. et ante Colomesium Vossius p. 550. de Hist. latin.

Quin etiam solers (Poggius) *Germanis eruit antris*
In latium altiloqui divina Volumina Sili.

Sed Vadianus in Dedicatione Melae, scribit Abbati S. Galli, in huius monasterii Bibliotheca a Poggio inventum et inde depromtum fuisse.

Alius Codex antiquus, de quo Philippus Rossius in libro, cui titulus: *ritratto di Roma antica* p. 83. ubi de Bibliotheca Vaticana: *Fù portato di Spagna il libro di Silio Italico con l'imagine di Annibale, il quale hoggi si ritrova nella predetta libraria.* Versus octoginta lib. VIII. 143. seq. primus e vetusto codice restituit Franciscus Asulanus: de quo post, cum de edit. Aldi dicetur.

De Silii Codice MS. aliisque aliorum praeclarorum scriptorum antiquorum lucubrationibus per Poggium in Germania a. 1416. tempore Concilii Constantiensis repertis et feliciter ab interitu vindicatis, vide etiam, si placet, infra cap. 15. in Quintiliano.

VI. Prima editio Romae facta per Conr. Schweinheim et Arnoldum Pannartz, a. 1471. fol. studio *Io. Andreae* Aleriensis in Insula Cyrno Episcopi. Illius excusa sunt exempla non plura quam CCLXXV. ex quibus unum nactus Bibliothecae publicae Leidensi legavit celeberr. Perizonius. Hanc secutae sunt Romanae 1474. et 1480. fol. Mediolanensis a. 1481. fol. typis Antonii Zarotti, ex *Petri Iustini Philelphi* recognitione, et Parmensis 1481. fol. Quae in Silium elucubrarunt *Petrus Montopolita*, *Pomponius*, et *Domitius Calderinus*, neminem

minem novi, qui typis exſcripta viderit. Cum commentariis *Petri Marſi* prodiit Silius Venet. 1483. fol. per Baptiſtam de Tortis, et in eadem urbe 1492. fol. opera ingenioque Boneti Locatelli, nec non Pariſ. 1512. fol. ex aedibus Nicolai de Pratis, Lipſiae 1504. fol. cum *Hermanni Buſchii* argumentis, per Martinum Herbipolenſem, et cum eiuſdem Buſchii ſcholiis in margine adiectis Baſil. 1522. 8. apud Thom. Wolfium, et 1543. 8. apud Henricum Petri, et Pariſ. 1531. 8. apud Simonem Colinaeum. Silius ſine notis prodiit Pariſ. 1508. 4. Lugd. 1514. 8. per Damianum Beneſſam, et Florent. apud Philippum Iuntam 1515. 8. ex caſtigatione *Ambroſii Nicandri*, Toletani, ſed quem inconſiderata mutandi prurigine plurimis locis Silium miſere corrupiſſe, Clariſſ. Drakenborchius fidem facit. Tamen Nicandri veſtigia legunt Silius ex Aldi officina 1523. 8. et Antverpiae ap. Phil. Nutium 1567. 12. ad Aldinam ſive Franciſci Aſulani editionem expreſſus. Verſus libri octavi, ab 145. ad 225. *a vetuſtis abſunt exemplaribus. Qui nunc leguntur, eos primus Andreas Aſulanus, Aldi Manutii ſocer, in editionem ſuam anno 1523. procuſam invexit, depromtos, ut opinor, ex collectaneis* Iacobi Conſtantii, *editis Fani, anno 1508. qui eos ad Baptiſtam Guarinum e Galliis fuiſſe miſſos affirmat cap. 92. An Silii ſint, multum ambigo.* Haec Nicolaus Heinſius notis ad Silii VIII, 145.

Recuſus inde Silius Lugduni apud Sebaſtianum Gryphium 1547. 1551. 12. Lugduni 1578. 12. et 1598. 12. apud Antonium Candidum. Ex Codice MS. antiquiſſimo Colonienſi et optimae notae (Caroli Magni, ut volunt, aetate exarato) ſed in quo dimidium libri ſexti decimi et totus ultimus deſideratur, multa Silii loca feliciter reſtituit *Ludov. Carrio*, in emendationum et antiquarum lectionum libris, editis Antverp. 1576. 8. et Pariſ.

rif. atque recufis in Lampade artium Gruteriana Francof. 1604. 8. Tomo III. plura etiam *Francifcus Modius* in novantiquis lectionibus Francof. 1584. 8. et in Lampade Gruteri Tomo V. etfi Silius Modii, quem cum Homero et Virgilio collatum, ac locis innumeris emendatum, edere voluit, nunquam in lucem prodiit. Totum Silium poftea ad eafdem membranas recenfuit, notifque, fub *Crepundiorum Silianorum* titulo, adiunxit *Daniel Heinfius*, tunc natus annos nondum viginti, Lugduni Bat. 1600. apud Chriftoph. Raphelengium, forma minore. Codicis MS. Oxonienfis Collegio Reginae excerpta a Grutero nactus *Cafpar Barthius* o) Silio emaculando et illuftrando multa capita tribuit in Adverfariorum libris excufis Francof. 1624. fol. nono anno poft Silium a *Claudio Daufqueio* Sanctomario, Canonico Tornacenfi, cum eruditis commentariis editum Parifiis apud Davidem Douceur, 1615. 4. cuius eiufdem editionis exempla quaedam annum 1618. praeferunt. Quamvis non femper Daufqueius optimam amplexus eft lectionem, et in Modium, Heinfiumque, invehitur iis quandoque in locis, ubi fequi eos fatius fuerat.

Ceterae Silii editiones, notis illae quidem deftitutae (ut omittam Corpora illa Poëtarum Lugdun. 1603. 1616. 1627. 4. Genev. 1611. 1640. 4. et Lond. 1713. fol.) funt: Antverpiae apud Gislenum Ianfenium 1601. 12. Lugduni apud Ioannem Pillehote 1603. 12. et 1614. 8. Genevae apud haeredes Iacobi Chouet, 1607. 12. Lugdun. Bat. 1611. apud Chriftophorum Raphelengium, forma minore: Amftelodami apud Guilelmum Ianfonium 1620. et 1627. forma minore, cum praemiffa Silii vita per Hermannum Bufchium. *Danielis Heinfii* crepun-


o) Confer Crenii animadv. Philolog. XI. p. 15.

crepundiis Silianis in editione Cantabrigiensi 1646. 12. a Rogero Daniele addita est eiusdem Heinsii dissertatio de verae Criticae apud veteres ortu, progressu, usuque, tum in caeteris disciplinis, tum in sacris: et de religione Aegyptiorum, Graecorum, Latinorumque ex Oriente repetenda origine. Denique *Christophorus Cellarius* Silium de integro recensuit, notis succinctis, tabulis Geographicis et indicibus illustravit, usus etiam Nicolai Heinsii libro, quem a Friderico Benedicto Carpzovio acceperat, viro ad iuvandas litteras nato, Lipsiae 1695. 12. in quo *Nicolaus Heinsius* enotaverat emendationes *Ios. Scaligeri.* Caeterum idem Heinsius peculiare studium, uti Virgilio, Ovidio, Valerio Flacco, Lucano, aliisque, etiam Silio impendit, praeter alia subsidia, usus Codice Puteano, minus bonae notae illo quidem, minime tamen contemnendo, qui in Bibliotheca Regia Parisiensi hodie asservatur, multa ad hunc Poëtam annotavit, quae cum, una cum Codicis MS. Oxoniensis lectionibus, Burmanni beneficio pervenissent ad *Arnoldum Drakenborchium*, hic novam et praeclaram Silii editionem curavit Traiecti ad Rhen. 1717. 4. in qua, Poëtae verbis accurate emendatis, subiiciuntur copiosae et eruditae Drakenborchii ipsius observationes, Modii, Barthii et utriusque Heinsii notis adtextae. Spes etiam Tigurini et Guelpherbytani codicis facta Drakenborchio fuit, sed nec illos, neque alios, qui in variis Bibliothecis exstant, recentiores tamen omnes, ut sunt unus in Bibliotheca Regis Christianissimi, in Medicea quinque, unus in Bibliotheca Em. Cardinalis Ottoboni, consulere ei licuit. In Catalogo MSS. Bibliothecae Senatoriae Lipsiensis, pro Statio, Silii MS. nomen irrepserat. Similiter frustra aliquis quaerat Silium cum commentariis Pii, qui in Bibliothecae Barberinae Catalogo memoratur editus Venetiis 1495. fol.

Anglica Metaphrasi hunc poëtam donavit *Thomas Ross*, Eques et Regiae Bibliothecae praefectus, Lond. 1656. et 1672. cum iconibus aeri incisis, fol. Idem continuavit poëma Silii a Scipionis triumpho ad Hannibalis usque necem. Non omittendus etiam *Franciscus Petrarcha*, qui Silium aemulatus, in Africa sua, libris novem, carmine Heroico Latino, bellum Punicum secundum insecuta et Scipionis Africani res descripsit: quod credunt facturum non fuisse, si tum Silii carmen notum fuisset. vid. Apostoli Zeni Dissert. Voss. I. pag. 3. Cum Virgilio Silium contulit integro lib. I. Virgilii triumphantis Alexander Rossaeus, secundo Lucanum. Multa quoque in Silio emendavit, atque illustravit praeclarus Ioannes Fridericus Gronovius in libris Observationum.



CAPVT



CAPVT XIII.

DE
PLINIO MAIORE, IVLIO SOLINO, ET PLINIO VALERIANO.

I. *Plinii Maioris aetas.* II. *Historiae naturalis libri.* III. *Scripta deperdita.* IV. *Scripta varia ad Plinium pertinentia.* V. *Editiones.* VI. *Versiones.* VII. *Interpretes partium quarundam.* VIII. *Index Scriptorum in Hist. naturali.* IX. *Aetas Solini.* X. *Eius Polyhistor.* XI. *Ponticon fragmentum.* XII. *Index Scriptorum a Solino citatorum.* XIII. *Plinius Valerianus.*

I. C. Plinivs secvndvs, Veronensis, an Novocomensis fuerit, a multis disputatum est, initio facto per Ioannem Presbyterum, Ecclesiae Veronensis Mansionarium, qui eum Veronensem fecit: quos longa serie enumerat *Rezzonicus* V. Ill. Disquis. Plinianar. L. I. ipse pro Novocomo, recte, ut nobis videtur, decernit. Natus sub Tiberio, a. C. 23. ut eidem videtur: nam nec in hoc consentiunt: sub Claudio stipendia fecit in Germania, sub Nerone et Vespasiano varia munera publica administravit, procurator primum in Hispania, deinde Praefectus Classis Misenensis. Nec minus omnibus liberalibus disciplinis insigniter excultus, Epicureus, dogmate, non moribus, diligentia incredibili et eruditione admiranda, post elaborata plurima immortalitate dignissima volumina, cum Miseni agens ad Vesuvium *a*) montem

a) Vide Plin. iunioris Epist. VI, 16. et 20. ad Tacitum et auctorem vitae, nec non Baptistam Fulgosum memorabilium VIII, 7. p. 605. Similiter de Francisco Nigro, Platiensi Siculo, Medico ae

tem, fumum et ignes evomere incipientem, cognoſcendae rei cupiditate propius acceſſiſſet, ex fumo nubis, e monte ortae, ſpiritu obſtructo, clauſoque ſtomacho, obiit ſub Tito Imp. anno aetatis ſexto et quinquageſimo, a. d. VIII. Kal. Sept. Vitam et res Plinii poſt Plinium Iuniorem plures ſcripſere. Omnes vicit longe et obruit nuper Vir Ill. *Ant. Ioſephus Comes a Turre Rezzonici*, in Opere eruditiſſimo Diſquiſitionum Plinianarum, i. e. de Vtriuſque Plinii patria, rebus geſtis, ſcriptis, Codicibus, editionibus atque interpretibus, cuius T. I. Parmae a. 1763. T. II. 1767. in f. prodiit, promiſſo etiam T. III, quem cupide exſpectamus. Vtramque Plinii iun. epiſtolam de eo conſtituit et illuſtrat T. I. p. 110. ſqq.

II. Ex ſcriptis Plinii ſolum ad nos pervenit opus, quod Plinius Iun. l. c. *Hiſtorias naturae*, vocat, ipſe auctor *Hiſtoriam naturalem*, in praefatione: male libri quidam editi et ſcr. *Hiſtoriam mundi* (Ill. Rezzonicus T. I. p. 194.) item *Hiſtoriam mundi naturalem*, opus, ut recte ait idem Plinius Iunior, *diffuſum*, *eruditum*, *nec minus varium*, *quam ipſa natura*. Conſtat *libris XXXVII.* eoque ex voluminibus ultra bis mille ſcriptorum Graecorum Latinorumque univerſam naturae varietatem complecti conatus eſt. Series operis et rerum explicatarum haec eſt: Poſt praefationem, cuius locum tenet Liber primus ad T. Veſpaſianum fil. Imp. *Libro II.* agit de Vniverſo, coelo et terra, unde eum librum Melanthon et alii ſeparatim edidere, ut lectionibus ſcholaſticis inſerviret: inde de terra proprie et Geographicis rebus L. III. IV. V. VI. Hinc ad incolas terrae venit et primum Libro VII. de homine et rebus humanis copioſe eleganterque diſſerit: qui liber in primis dignus eſt lectu: tum de ceteris animalibus eorumque variis generibus

ac Philoſopho traditur, hunc a. 1537. dum nimis curioſe Aetnae incendia ſpeculatur, uno ex ingentibus lapidibus quos montis vorago in caelum emittebat, ad caput eius delapſo, miſere peremtum. Anton. Mongitor Biblioth. Siculae T. I. p. 231.

ribus, ut de terrestribus, id est, quae in terra incedunt, L. VIII. de aquatilibus, L. IX. de volatilibus, L. X. de insectis — XI. Ab XII. libro incipit exponere, quae terra eduntur, arbores, plantas, gramina, segetes, rem rusticam omnem, et cetera eorumque usus in vita humana per artes ab hominibus inventas. Ad extremum in ipsam terram descendit L. XXXI. agitque de metallis, initio ab auro facto, eorumque varietate, usibus etc. ceterisque rebus, quae e terra eruuntur; et desinit tandem L. ultimo XXXVII. in artibus pulcris, quibus materia subministratur e terrae visceribus, ut statuaria, pictura similibusque. Librum *primum*, suppositum Plinio, et ab interpolatoribus adtextum contendit, bene meritus alioqui de Plinio *Ioannes Harduinus* Chronolog. V. T. p. 152. quem late refellit Ill. Rezzonicus, sed ut tamen de Indice auctorum concedat ac defendat p. 200. Plinius ipse testatur opus hoc exegisse se a. V. C. 830. Tito Vespasiano sextum consule, a. 230. post captam Carthaginem, et Corinthum, obitumque Catonis, a. 90. post obitum Virgilii. de quo v. plura apud Rezzonicum T. I. p. 172. sqq. Cum vero plurima e Graecis petierit scriptoribus in illorum sensu assequendo non semper feliciter versatus videtur viris doctis. *Neque vero novum est*, inquit Iosephus Scaliger sive Yvo Villiomarus in locos controversos Titii pag. 14. *Plinium in reddendo Aristotele aut Theophrasto offendere, cum sexcentis locis hoc commiserit. Quod utiqe non Plinii inscitiae attribuendum, sed eorum negligentiae, qui excerpta ex auctoribus mala fide descripta ad eum deferebant, ut in ordinem ab eo digererentur. Ita enim opus suum eruditissimum magna ex parte composuit vir ille nunquam satis laudatus. Quare errores in Plinio notamus, qui non sunt Plinii, sed amanuensium.* Innumera eiusmodi observata Salmasio ad Solin. cuius Salmasii videndum etiam iudicium de Plinio homonymis hyles Iatricae

praemissum; ut omittam Budaei, Allatii, et aliorum loca adducta a Crenio in limine partis VII. animadvers. quibus illum Naturae, ut vocabat Lansius, Orat. pro Gallia pag. 126. Protonotarium hallucinatum annotarunt. Addam haec Vignolii Marvillii personati scriptoris T. 2. Misc. p. 42. *L'Histoire naturelle de Plinie est un edifice d'une parfaitement belle structure, mais dont les dedans ne sont pas toujours assez bien meublez pour de si beaux dehors. Le dessein en est magnifique, les prefaces qui ent font les entrées sont tres justes, la Morale qui en est le solide, est admirable, et il y a des ornemens qu'on ne sauroit payer. Telle est la description du Rosignol dans son dixieme livre. C'est dommage que ce grand homme se soit trop appuié sur des Ecrivains peu seurs, et que ne choisissant pas assez ses lectures, il n'a pas été lui même toujours fidele à traduire les temoignages, qu'il en a tirez.* Profecit etiam e Latinis, tum iis, qui adhuc extant, ut rei rusticae scriptoribus, in quibus interdum iniquiorem esse Columellae notavit Gesnerus ad Colum. II, 9, 8. V, 6, 20. — Epitomen operis confecit Sec. XII. extremo *Robertus Girkeladiensis*, quam Adrian. Relandus commemorat in Palaestina p. 439. Eius exemplum fuit nuper in Bibliotheca Vffenbachiana. Aliam esse Oxonii in Bibl. Balliolensi, cuius auctor fuerit *Rainoldus* quidam, tradit Vossius de Hist. latinis: sed in Catalogis MSS. Angliae nulla est eius mentio. — *Excerpta* autem e Plinio et Solino in membranis scripta, sub nomine *Diguillii* Grammatici, vidisse se testatur Salmasius ad Solin.

Absolvit Plinius opus suum paullo ante obitum, circa annum V. C. 830. ut non uno innuit loco: et quintum Consulatum Titi memorat lib. 2. cap. 25. quem ille gessit anno V. C. 828. C. 76. Incendium Vesuvii, quod speculatus Plinius occubuit, describitur a Dione libro

LXVI.

LXVI. p. 755. ſeq. ad a. V.C. 831. Titi primum. Plinius in praef. *Viginti millia rerum dignarum cura, quoniam ut ait Domitius Piſo,* Theſauros oportet eſſe non libros, *ex lectione voluminum circiter duum millium, ſequorum pauca admodum ſtudioſi attingunt propter ſecretum materiae, exquiſitis auctoribus D. b) includimus triginta ſex voluminibus, adiectis rebus plurimis, quas aut ignoraverant priores, aut poſtea invenerat vita.* Volumen ſecundum citat Plinius 6, 29. ſeptimum 33, 3. Nonnunquam etiam libri non numerum, ſed argumentum, ut 9, 35. *ut diximus in circuitu Mundi,* reſpiciens ad volumen ſecundum et ſeq. Et 33, 1. *ſicut dicemus in gemmarum volumine,* reſpicit enim ad librum 37.

Praeter naturalium, quam titulo ipſo promittit atque ubertim pandit, rerum notitiam, diſcordiam concordiamque, uſus et effectus: praeter hiſtoriam inventorum humani ingenii, laboris luxuſque, et variarum artium, paſſim graviſſimas adſpergit ſententias, et iudicium de vanitate rerum humanarum, mortaliumque ſtultitia, ſpeciatim de perditis Romanorum per opes moribus, nec minus de mira ſapientia ac provida arte, fidemque omnem ſuperante vi naturae, per quam Numen intelligi voluit. Itaque licet Epicuri immerſus erroribus, tamen ab Atheiſmi ἐγκλήματι abſolvitur, iudice Vlrico Zwinglio lib. de Providentia T. 1. Opp. 356. A Georgio Agricola praefat. ad libros X. de natura foſſilium arguitur, quod *interdum haud obſervarit, a diverſis ſcriptoribus unam rem duobus vel pluribus vocabulis appellari, interdum contra res duas vel plures uno vocabulo.* Talium hallucinationum plenum eſſe ait Salmaſius pag. 258. qui paſſim etiam illas notavit exercitationibus in Solinum. vide pag. 298. 302. 303. Ioſephus Scaliger in Scaligerianis

b) Ita legendum non C.

Scaligerianis primis pag. 85. *accuratus Plinii lector deprehendet, ipsum Plinium omnia, quae ex variis auctoribus excerpebat, ordine literarum sive Alphabetico in sua digessisse adversaria, neglecto ordine naturali qui potior erat.* Confer et Reinesium III, 5. Var. Lect. Alia in diligentissimo illo viro notata vide, si placet, in Dan. Guil. Molleri diss. de Plinio Secundo pag. 20. seq. Non in omnibus obstringere se fidem suam, potiusque ad auctores relegare plus simplici vice prae se fert Lib. VII. cap. 1. *qui dubiis*, inquit, *reddentur omnibus, modo ne sit fastidio Graecos sequi, tanto maiore eorum diligentia vel cura maiore.* Adde VIII, 22. *Sint ista, ut rerum Naturae libuit*, inquit II, 52. *aliis certa, aliis dubia, aliis damnanda: nos caetera, quae sunt in his memorabilia, non omittemus:* et II, 98. *ut nihil, quod equidem noverim, praeteream.* Hinc aequius de Plinio nostro iudicat Io. Raius Epistola ad Io. Listerum, c) ne alios iam memorem, quorum testimonia, congessit Iac. Pontanus lib. V. φιλοκαλίας cap. 1. pag. 142. et lib. 6. cap. 10. p. 195. Sane reprehendi non raro Plinium immerito, ac praeter rem mendacii argui, ubi quae tradit verissima esse comperiuntur, pulchre notatum est a Casparo a Reyes, qui erudite illustrat locum lib. VIII. c. 50. *atque etiam morbus est aliquis per sapientiam mori.* Sed de reprehensoribus et cavillatoribus Plinii videndus Ill. *Rezzonicus* T. I. Lib. VII. qui de iis copiose ibi dixit et accurate.

III. Deperdita Plinii scripta haec enumerantur a Plinio iuniore Epp. III, 5. *de iaculatione equestri* liber unus: *de Vita (L.) Pomponii Secundi* libri II. *Bellorum Germaniae* libri XX. *Studiosus* libri III. Voll. VI. *Dubii Sermonis* L. VIII. *Historiarum* XXXVII. *a fine Aufidii Bassi. Electorum* CLX. non in libris scriptis numeran-

c) Bibl. Angloise Tom. IV. pag. 10.

merandi. Fuere enim tantum Loci excerpti e ſcriptis lectis ad uſus varios vel cogitandi vel ſcribendi. De his omnibus diligenter ſcripſit ſaepe laudatus *Rezzonicus* T. I. L. V. Ipſe Plinius, auctor, hos libros interdum tangit, ut H. N. VIII, 42. librum de *iaculatione equeſtri*, XVI, 4. de *Vita Pomponii d*) in Praefat. libros *dubii ſermonis:* item ibidem *libros Hiſtoriarum* et II, 53. 83. Alios praeter hos alii, ut *de bellis Germanicis* Tacit. A. I, 68. Symmach. IV, 18. Libros *dubii Sermonis*, Grammatici, Diomedes, Chariſius et alii.

IV. *Exempla* Operis huius *ſcripta* adhuc extant permulta; quorum magnum numerum diligenter enarrat et recenſet Ill. *Rezzonicus* Comes T. II. p. 218. Pleraque ſunt recentioris aetatis: et circa tempora reſtitutarum literarum, quaedam etiam Sec. XV. ſcripta. Nam propter copiam doctrinae celebratam multi cupiebant exemplum libri habere, unde et poſt tam frequentes editiones factae. Inprimis antiqua et clara ſunt exempla: *Ricardianum* Florentiae, quod nono ſaltem ſeculo ſcriptum putatur; *Toletanum*, quo Pintianus et Schottus uſi ſunt, et *Eſcorialenſe* e ſeculo eodem nono, nondum collatum, cum edd. *Pariſienſe* tempore Caroli Calvi ſcriptum, et pauca alia. Exemplar *Gottorpienſe* quoque celebratum eſt a nonnullis: idque conferri cum edito exemplo optat Illuſtris *Rezzonicus*. Sed de uſu Codd. ad conſtituendum textum Plinii poſt recenſitas editiones aliquid monebimus. Valde inter ſe variare ſcriptos libros, omninoque valde vitioſos eſſe, non eſt mirum, in tanta magnitudine operis, et multitudine rerum vulgo non notarum, cum etiam in iis libris, quorum populare argumentum eſt, tanta vitiorum copia irrepſerit. Nec illa vitioſitas eſt nova. Nam *Symmachus* iam de eo malo queſtus eſt,

 Epiſt.

d) *Pomponius* hic *Veronenſis* an *Novocomenſis* fuerit, pariter, ut de Plinio ipſo diſputatur. Novocomenſem fuiſſe defendit idem Comes Rezzonicus Tom. I. pag. 150.

Epist. I, 24. Similia alii tradunt. *Guibertus* ait, *Robertum* quendam, Abbatem Montis S. Mich. incidisse in exemplum Plinianae hist. valde vitiosum; id eum correxisse feliciter. Qualem illam hominis, illo tempore, correctionem fuisse putemus? Apud Decembrium autem Polit. liter. p. 44. Lonellus ait, se multa Plinii exempla e remotis etiam nationibus conquisivisse, ut adiutoribus Guarino et Victorino correctissimum haberet. Et omnino, non modo ante, sed et post inventam typographiam in editis exemplis, ut Stephanus ait, in Epist. de typogr. sua, p. 42. Plinium coniecturis omnium tanquam scopum misere expositum fuisse.

V. Editiones Plinii omnium plenissime et accuratissime recensuit idem R. Vir illustris. Primam omnium Veronensem a. 1468. ferunt; sed eam extare uspiam dubitarunt multi: nunc quidem, commentitiam esse, planum factum est ab eodem Viro T. II. Disq. Plin. p. 277. Prima omnium igitur est Veneta 1469. per Ioannem Spirensem, Germanum, charta nitida et marginibus amplioribus: quam pluribus describit Sallengrius in Commentariis suis literariis (Mem. de literature) T. I. sed ut externis tantum immoretur, ad usum Criticum nihil dicat, de illius temporis more. Eius exemplum est in Bibliotheca Senatus nostri Lips. Ad calcem leguntur hi versus:

Quem modo tam rarum cupiens vix lector haberet
Quique etiam fractus paene legendus eram,
Restituit Venetis me nuper Spira Ioannes,
Exscripsitque libros aere notante meos.
Fessa manus quondam moneo calamusque quiescat,
Namque labor studio cessit et ingenio.

Ad eandem editionem respiciunt versus, qui leguntur in antiqua editione librorum Augustini de Civitate Dei Venet.

Venet. 1470. fol. per Ioannem et Vindelinum de Spira, fratres:

Qui docuit Venetos exscribi posse Iohannes
Mense fere trino centena volumina Plini,
Et totidem magnos Ciceronis Spira libellos,
Coeperat Aureli, subita sed morte peremptus.
Non potuit coeptum Venetis finire volumen.
Vindelinus adest eiusdem frater, et arte
Non minor, Adriaca qui commemorabitur urbe.

In huius ed. exemplis Graeca vel omissa vel latine expressa sunt. Vitiose expressa multa: sed tamen, ut Ill. *Rezzonicus*, post *Durandum* (v. praef. Hist. Pictoriae artis) usu reperit, multa meliora sunt, quam in aliis editionibus: unde ad textum Plinii constituendum necessaria est. Harduinus quidem non modo usus ea non est, sed eam etiam ignoravit. Ad L. 33. et 35. emendandum usus est Durandus. Mature negligi coepit, quod secutae eam editiones pulcriores erant.

Sequitur ed. a. 1470. f. excusa Romae in domo Petri et Francisci de Maximis iuxta campum Florae, praesidentibus Magistris Conr. Sweinheim et Arnoldo Pannartz, cum Epistola *Io. Andreae*, *Aleriensis* Episcopi ad Paulum II. Haec editio, manu passim notata, fuit in Bibl. Marquardi Gudii, et inde pervenit in Bibliothecam Vinariensem. Hanc editionem non probatam fuisse Perotto, patet ex Epist. ad Fr. Guarnerium, subiecta Cornu copiae p. 1033. edit. Aldinae: sed eam defendit Cornelius Vitellius in Epistola ad Parthenium illi subiectam, ibidem p. 1049. et Perottum male accepisse quaedam praefationis Plinianae loca. Ea repetita est ibidem a. 1473. fol. sed et minus elegantibus literis, et vitiosior, et vero etiam pluribus locis a quodam *Brotheo*, qui ei editioni praefuit, depravata, quem hoc nomine acriter perstringit Dom. Calderinus in recriminatione taxationis Plinianae ad Cal-

cem

cem Comment. in Iuvenalem. Ibidem in Defenſione adv. Brotheum accuſat Perottum, quod Plinium 275. locis corruperit: quod in qua editione factum ſit, ignorare ſe dicit auctor Literaturae Brixienſis P. I. pag. 160. Ea autem accuſatio eſt communis Perotto et Brotheo, de quo idem dicit. Nempe Perottus Codicem, ex quo novam editionem Brotheus duxit, tot locis correxerat; ut clare dicit: *in ducentis et ſeptuaginta quinque locis Plinianum Codicem, quem Brotheus imprimi iuſſit, depravaſſe, fateatur neceſſe eſt.* Omiſſa eſt etiam Epiſtola Io. Andr. Alerienſis ad Paulum II. cum Epiſtolis Plinii Iunioris de avunculo ſuo, et in fine alii verſiculi. Denique in hac editione textus Plinii ſectus eſt in partes minores cum titulis, eorumque numeris, uti et operi praefixi ſunt: quae res etſi uſibus nonnullis aptiorem textum facit, tamen non probatur Ill. Rezzonico. Sed id inſtitutum ſecuti ſunt poſtea omnes. Vtriuſque editionis exemplum nos habemus, e Bibliotheca Schwarzii Altorfini emtum. Nam cum capti amore Plinianae doctrinae, etiam ingenii a multis annis fuerimus, et libros Plinii diligenter tractare cupierimus, exempla meliora, et antiquiora et recentiora, plura ut nanciſceremur et ad manus haberemus curavimus: nec nos poenituit aut impenſarum aut laboris.

Plinius deinde Venetiis 1472. fol. prodiit apud Nic. Ienſon. Nam ed. Ienſonii a. 1470. ficta eſt. Huius editionis exempla plura notata reperimus, ut Lugduni in Bibliotheca publica et Londini in Bibl. Richardi Mead. *e)* Haec

e) Maettarius teſtatur Annal. Typ. T. I. p 34 eam ſe vidiſſe cum initialium litterarum illuminationibus, ſingulorum librorum argumentum exhibentibus. Initio Libri primi deſcribitur *Plinius* ſedens et ſcribens: 2. informis Mundi globoſi figura: 3. 4. 5. 6. diverſae Tabulae Geographicae: 7. tres Sceleti: 8. duo Elephantes turrigeri: 9. 10. varia Piſcium, et Avium genera: 11. Bombycum variae ab ovo uſque metamorphoſes: 12. Numina ruralia: 13. Hortulanus arbuſculas tranſmovens: 14. Homo ebrius in

Haec editio ſpecie perpulcra eſt, etiam caret mendis edit. Rom. ſed ſubinde interpolata eſt ſpuriis laciniis, ſive Codicis ſcripti, ſive correctoris culpa. Proximae his ſunt *Parmenſes*, prima 1476. altera 1480. tertia 1481. omnes formae maximae. *Prima* ducta eſt illa quidem e Ienſoniana, ſed tamen in locis nonnullis emendata a Phil. Beroaldo, cuius epiſtola ſubiecta eſt in fine, quae loca et adnotavit Ill. Rezzonicus Comes. Vſum quidem ſe dicit et MSS. Pliniani Operis, et teſtimoniis veterum, Pliniique ipſius: quarundam emendationum ipſe rationem reddidit. Hac editione uſus eſt *Pintianus*, eaque intelligenda, cum Parmenſem librum commemorat. Eius exemplum et nos habemus. *Secunda* nihil differt a prima, niſi, quod mendae quaedam typographicae ſublatae ſunt a Portilia typographo, et Beroaldi nomen in fine et epiſtola omiſſa, relictis tamen correctionibus: fortaſſe ut imperitis novum videretur, quod erat dudum vulgatum. Secundae ſimilis eſt *tertia*.

Inter primam et ſecundam interiecta eſt *Tarviſina* a. 1479. fol. quae Parmenſem primam repetiit; etiam Beroaldinas notulas: acceſſit egregia *Hieronymi Bononii* (*Bologni*) Apol. pro Plinio (ad Io. Bombenum) adverſus eos,

in vinea: 15. Puer humi cum pomis ludens: 16. Venator ſylva Cervum perſequens: 17. Arbores in ſeminario diſpoſitae: 18. Agricolae duo arantes: 19. multae ſationum ſpecies: 20. Puer melones legens, et mulier corbem geſtans: 21. Ruſticus corollas nectens: 22. Tinctor veſtium: 23. Vindemiator in vinea: 24. Quidam Arborum radicibus aſſidens: 25. Quidam herbas legens: 26. Chirurgi duo, alter infirmi caput curans, alter vero incidens: 27. Pantherae duae, altera aconito guſtato exſpirans: 28. Medicus cum Libro, prope aegrum in lecto decumbentem: 29. Aeſculapius ſub Serpentis figura: 30. Magus in magicarum figurarum circulo legens, et Daemon deſuper advolans: 31. Vrinatores: 32. Navis: 33. Puer ſufflans ignem ſub fornace fuſoria: 34. Pictor pingens in tabella: 35. Metallorum foſſor: 36. Duo lapicidae. 37. Gemmarius inter varia gemmarum diverſicolorum genera. Tales figurae et in exemplo ed. Parmenſ. tertiae repertae, quas enarrat Ill. Rezzonico p. 298.

eos, qui tum Plinii libros in contemtum adducere tentarant, additis verſiculis his:

Quid iuvat innumeris onerari ſcrinia libris
Solus pro cunctis Plinius eſſe poteſt.

Redeamus Venetias, ubi plures deinceps editiones factae. Ac primum vidimus notari editionem Venetam a. 1481. apud Thomam de Blavis: quam e poſterioribus Parmenſibus ductam ſubiectae Beroaldi correctiones ſine nomine et epiſtola eius docent. Secuta eſt alia a. 1483. f. facta a Rainaldo de Novimago, ex iiſdem exemplaribus ducta: alia denique 1487. fol. eiuſdem exempli. Patet hinc, ex his omnibus unam ſufficere Criticis uſibus: et qui *Parmenſem primam* habeat; ceteris omnibus carere poſſe: haec ubi deſit, unam ex ceteris ſufficere poſſe.

Sed novum textus exemplum factum eſt ſeculo illo ad finem labente per *Hermolaum Barbarum:* qui Plinianum opus tum e libris ſcriptis, tum maxime ex ingenio, i. e. ex doctrina et ſcientia rerum, e ſcriptoribus graec. et lat. comparata, caſtigare inſtituit, eaſque caſtigationes edidit primum Romae 1492. fol. promiſſa altera caſtigatione, quam abſolvit ediditque ibidem 1493. fol. adiectis Pomponii Melae caſtigationibus et *Gloſſario* Pliniano. De his caſtigationibus accuratiſſime omnium, quos nos quidem ſciamus, egit Apoſtolus Zenus in Diſſ. Voſſianis. P. II. p. 371. Reprehenſus eſt a pluribus, ut Rhenano, in praef. ad Maſſurium in L. IX. Plinii, quod libros ſcriptos non ſatis diligenter inſpexerit: quod non negamus: at ille in praefatione ad Alexandrum ipſe dicit, ſe maxime e ſcriptoribus veteribus graecis et latinis correxiſſe: et videtur Codices veteres et bonos nanciſci non potuiſſe. Hae caſtigationes aliquoties repetitae ſunt Mediolani, Baſileae etc.

His igitur iam editis, prodiit Plinius Brixiae a. 1496. f. eodemque anno Venetiis apud Barthol. de Portesio: sed ii Herm. Barbari castigationibus usi non videntur, nec ea novi textus exempla sunt. — Primum ex Hermolai correctione editus est Plinius Venetiis, a. 1497. fol. ap. Bernardum Benalium. Memoraturque et alia 1498. ibidem et apud eundem facta. Brevitas intervalli conturbavit viros doctos, ut unam esse non duas putarent, etiam Ill. Rezzonicum. Sed ex descriptione viri illustris patet mihi, esse duas. Nam ipsi habemus editionem a. 97. in qua nihil est eorum, quae ille e suo exemplo commemorat: non praefatio *Palmarii*, non var. lect. in margine etc. Ergo celeriter divenditis primae editionis exemplis, altera instituta et ipso a. 1498. absoluta est, quae Palmariana dici possit. Vt e praefatione eius patet, basin fecit Venetam secundam, i. e. Iensoni, exemplo Hermolai, correctam ad rationes Hermolai, sed maxime ad MStum librum Barberinianum, in margine etiam additis adnotatiunculis ad lectiones pertinentibus. Sed ea editio proprie est repetitio Venetae anno 1472. Sequitur altera Brixiensis a. 1498. adsignari solita, sed in calce a. 96. exhibens: in quo vitium sit necesse est; quia Benalianae vestigiis incedit: videturque ille annus temere ex ed. prima ductus esse. Nisi in tota re fraus est, ut videtur. Nam nos habuimus exemplum, quod haberet annum 97. sed id nobis periit, cum amico commodatum non redierit fraude famuli. Igitur huius aetatis editiones, si quae sunt et aliae, ut Venet. 1499. fere et maxime sunt ad recensionem Hermolai Barbari factae.

Ineunte autem seculo sexto decimo novi exempli textus exortus est per *Alexandr. Benedictum*, Physicum Venetum, cuius prima editio est Venet. 1507. fol. consecutis pluribus, ad illius exemplum factis. Multa ille sine dubio bene emendavit, usus etiam antiquissimo, ut ait, Codice:

Codice. In margine ſunt lectiones dubiae, ad calcem etiam aliae. Primus paginas numeris notavit, indicem rerum addidit. Acceſſere et *Hermolai Barbari* Caſtigationes, in noſtro quidem exemplo: etſi eas Ill. Rezzonicus non memorat. Hoc igitur Benedictinum exemplum repetitum eſt poſtea plerumque, ut 1510. octonis ſine loci et typographi nomine, Venet. 1413. ap. Melch. Seſſam, et 1416. apud Phil. Pincium, ſed ſine Hermolai caſtigationibus, in noſtris quidem exemplis. De ed. 1410. dubitatio eſſe poteſt de loco et typographo. Ill. Rezzonicus Venetiis attribuit, de typographo haeret. Nos quidem, cum exemplum eius habeamus ipſi, vix dubitamus eſſe e Iuntina officina: adeo forma literarum cum Iuntinis conſentit. Et Iuntae ſimiliter et in aliis libris fecerunt, in quibus tantum repeterent aliarum officinarum exempla, ut in Catullo, Tibullo, Propertio, de quo ſupra diximus. Eſt tamen et Lugdunenſibus exemplis ſimile, ut Livio Becharii etc. In ed. 1516. quod editor collationes aliorum exemplorum iactat in titulo, id inane eſt, ſed illis temporibus valde uſitatum.

Inter haec et Francis venit in mentem de Plinii opere apud ſe formulis literarum exſcribendi, exortaeque ſunt paucis annis editiones Pariſinae quatuor a. 1511. 1513. 1514. 1524. f. Harum edd. tituli cum ſint iidem, eas recenſionem Hermolai ſecutas eſſe patet omnes. *Nic. Beraldi* et *Guil. Budaei* operam, in Plinio emaculando praeſtitam, laudat Eraſmus XXVIII, 14. Epiſt. Eam credebat Fabricius in editionibus huius ſcriptoris Pariſienſibus a. 1514. fol. et 1516. f. 1524. f. ap. Vidoveum, cum et Caeſarii operam in eo genere laudet. Sed in praef. Plinii Pariſ. 1526. diſerte Beroaldo correctio edd. Pariſ. tribuitur. De Budaeo quod dicit, ad librum de Aſſe pertinet: ex eoque ſunt notulae Budaei, quarum in quibuſdam edd. ſit in titulo mentio.

Exemplum Pariſienſium Germani ſecuti editiones plures inſtituere, in his primam, quae Hagenoae

facta

facta est, ex eiusdem Barbari emendatione et Ioannis Baptistae Palmarii, (est igitur mera repetitio Venetae 1498. et hanc habet, qui illam habet.) a. 1518. fol. cum *Indice* Ioannis Camertis, qui prodierat separatim Viennae Pannoniae 1514. 4. et deinde pluribus Plinii editionibus est adiunctus. Haud paullo melior est altera Germanica Coloniensis 1524. 8. et fol. per *Ioannem Caesarium*, qui 4000 mendarum sustulisse se dicit, non inventa demum et correcta, cum editionem curaret, sed antea deprehensa et sublata in praelectionibus, quas in Plinii libros Coloniae habuisset: inter quas scilicet, quod nos usu didicimus, facillime a curiosis interpretibus et deprehenduntur, et vero etiam saepe corriguntur vitiosae lectiones. Ceterum in isto numero vitiorum etiam typographica intelligit. Eiusdem Caesarii scholia in Plinium et Oppianum de piscibus, prodiere Argent. 1534. 4. Proxima huic Germanica est Basileensis prima, ab *Erasmo* a. 1525. fol. curata, haud paullo pulcrior Hagenoensi et Coloniensi. Eius basis est Coloniensis, sed pluribus locis, praesertim ex antiquiori Codice scripto, etsi valde vitioso, correcta: cuius correctionis aliquot egregia exempla in praefatione ad Episcopum Olomucensem commemorantur. Ex hac ductae sunt ceterae Basileenses, etsi cum accessione alicuius novi boni, a. 1530. fol. per *Beatum Rhenanum*, a. 1535. 1539. in qua Aldina usus fuit, et 1543. per *Sigism. Gelenium:* in quo tamen nimia in corrigendo licentia iure reprehensa est. Editionem a. 1539. *Pintianus* in castigationibus scribendis ante oculos habuit, de quo post. *Rhenani* castigationes Plinianae in praef. et lib. XIV. priores etiam separatim prodiere. add. Epistolam eius ad Pirkheimerum *de locis Plinianis* etc. subiectam libris Rerum Germanicarum. Mittimus alias Basileenses e Geleniana ductas ut 1545. etc. sunt enim octo omnino, item Genevenses eiusdem fere originis. Redeamus in Franciam.

In Francia igitur hoc temporis tractu duae memorabiles editiones factae sunt Parisiis: altera 1526. fol. altera 1532. f. Et illa quidem habuit auctorem quendam *Angelum*, qui ei praefatus est, et cum dicat, se Hermolaum maxime sequi, nempe ut superiores editores Parisienses, tum se ait usum duobus Codicibus scriptis e Bibliotheca S. Victoris, similes scil. illi Erasmiano, de quo ante diximus. Subiectum Indicem copiosum Petrus quidam Gratianopolitanus pro suo venditat, et in eo se iactat, cum prope totus sit Camertis. In praefatione falsum est, quod dicit: *Vtinam Academia Parisiensis tot haberet eruditos, quot habet iam chalcographos.* Nec minus memorabile, quod Hermolaum Barbarum dicere solitum tradit: *Qui Plinium non legit, est indoctus; qui lectum contemnit, indoctior: indoctissimus, cui non sapit.* Habet ea editio varias lectiones in marginibus. — Altera porro, longe omnium pulcherrima, quam cum delectatione intuemur, quoties codices nostros Plinianos in manus sumimus, curata est per *Petrum Bellocirium.* Eius brevem at elegantissimam praefationem bene fecit, cum totam Disquisitionibus suis Plinianis inseruit Ill. Rezzonicus: ex qua intelligitur, post Barbari, cui plurimum tribuit, Budaei aliorumque operam bonam, multa eum reliqua putasse, quae corrigenda viderentur, ipsumque multa correxisse, quae illos fugerant: quod vir ille modestus magna cum adseveratione confirmat: in quo se, ait, duobus adiutum pervetustis libris scriptis, per quos effecerit, ut haec sua editio omnium correctissima esset. Itaque operae pretium fuerit, hanc editionem ab eo, qui novam editionem curare velit, diligenter excuti; quam admodum raram esse indicio est hoc, quod qui de editionibus Plinii dixere, eam fere ignoravere, Ill. Rezzonicus autem duo modo exempla eius in Hispania reperit; in Italia nullum. Ceterum ille *Bellocirius* est *Danesius*, cuius editionem quidam, sed tantum nomine

tenus,

tenus, commemorarunt, Ill. Rezzonicus commentitiam putabat: quippe et praefatio illa inter Danesii opuscula edita est: adde Colomesii Miscell. hist. p. 826.

Ab hoc tempore, cum diu quievissent a Plinio edendo officinae Italicae, rursus coeperunt in eo elaborare. Primus *Andreas Asulanus*, qui sub Aldi insigni edidit Plinium tribus voll. 8. Praefatus est *Andr. Rabirius Brixianus*: sed is nihil dicit, nisi hanc editionem esse sua opinione omnium castigatissimam; quae est vana iactatio non habentis, quo commendet opus: videturque id pertinere tantum ad diligentiam typographicam. Commemoratur autem haec editio sub quatuor annis 1535. 36. 38. 40. Si toties repetita est, certe sine accessione novi boni repetita est: nam eandem omnes habent praefationem. Sed mihi videtur tantum titulus et anni nota, tum in titulo, tum in clausula, mutata esse, ut in aliis, ad alliciendos emtores: unde raro licet reperire exemplum, in quo idem sit annus in omnibus partibus. Ipse habeo exemplum, cuius partes omnes, eodem tempore 1550. ac modo, a bibliopego eodem, compactae sunt; et tamen Volumen primum praefert annum 1536. reliqua 1540. suntque et alia huius fraudis exempla in edd. Plinii, ut supra in Brixiensibus. Post hanc tantum bis in Italia, Venetiis, prodiit Plinius primum a. 1559. f. per Paul. Manutium, ut habet titulus, multis locis emendatus, cum notis *Gelenii*, sed est mera repetitio ed. Lugdun. 1546. de qua mox: deinde 1571. fol. apud. Hieron. Scotum, qui textum ex Aldinis archetypis pristino nitori restitutum in titulo dicit: sed Pauli Manutii textum exprimit. Vtramque fraudem collatione deprehendit Illustris Rezzonicus.

Interea plures editiones in Francia factae, et Italia et Germania quiescente. Primum Parisiis bis eodem anno 1543. fol. prodiit Plinius, semel apud Reynault, semel

apud Berthelinum et Rolandum, quae consentit cum alia Parisiensi sine loco et anno apud Andoenum facta. Facta et alia eo seculo Parisiis a. 1564. memoratur alicubi, nescio an vere. Post ante Harduinianam nulla Parisiensis memoratur. Curam eam suscepere Lugdunenses, qui primum Plinium edidere a. 1548. f. e Basileensi Gelenii, cuius et notae additae sunt: in margine quibusdam Lectionibus aliis notatis. Eiusdem anni numero notatam reperit ill. Rezzonicus Frellonianam: sed parum certa fide: sed a. 1560. et 61. 12. ex castigatione *Andr. Morguaesii*, apud heredes Iac. Iuntae (i. e. *Phil. Tingum*, qui in Morguaesii praefatione diserte commemoratur) unde Iuntina editio a nonnullis male appellatur. In var. lect. quibus margines referti sunt, saepe vet. cod. notatur, et in praef. dicit editor, se vetustissima exemplaria, etiam scripta contulisse: sed nullum nominatim, ut ex aliarum edd. excerptis ductae videantur. Anno 61. etiam ibid. f. apud Anton. Vincentium prodiit, cum praefatione *Ioannis Nic. Victorii*, quam nunquam vidimus, et a. 1563. f. apud Frellonium, et apud Vincentium, cum eadem praefatione. Erant socii librarii Frellonius et Vincentius: videnturque exempla inter se partiti esse, et sub suo quisque nomine sua vendidisse. In textu nil mutatum: in marginibus sunt notulae, fere e *Pintiani* castigationibus, in fine notae *Gelenii*. Secuta est alia clarior Lugdunensis a. 1587. f. per *Iacobum Dalecampium*, Medicum, bene sane de Plinio meritum, etsi non plane satisfecit doctioribus. Nam et ex Codd. nondum collatis excerpta dedit, et ad intelligendum profuit. Ea editio post saepe repetita est variis formis, ut Lugd. 1606. f. Francofurti etc. In hac editione Lugdunenses desiere Plinium curare.

Suscepere hoc negotium proxime *Genevenses*, apud quos iam a. 1582. Plinium e Geleniana editum reperi: memoranturque et aliae apud eos factae, ut 1593. 1601. 8. apud Iac. Stoerium, indidem ducta, et Dalecampiana, item-

itemque 1615. f. ap. Crispinum et 1616. f. ap. Stoerium etc. similes, quae Critico nil profuerint.

Inde ad Germanos rediit Pliniani operis edendi cura, et quidem *Francofordienses*, initio facto an. 1582. fol. 1599. f. 1608. 8. Ac prima quidem ad Basileenses facta cum Gelenii notis, in ceteris etiam Dalecampianis usi sunt: accessere et notae Anonymi, in secunda, forte *Iani Gruteri*, in tertia etiam quaedam a Pintiano sumtae.

Tandem et ad *Batavos* venit, apud quos Lugd. B. primum editus est Plinius a. 1582. f. apud Petrum Sanctandreanum. In qua editione est quidem multum boni, et haud paullo plus quam in superioribus: sed longe plus promissum ab initio, quam praestitum est, nec per omne opus par diligentia adhibita est, ut bene demonstrat Ill. Rezzonicus. Altera editio facta est a. 1593. fol. apud Hieron. Commelinum, quae est illi fere similis, tertia 1635. 12. apud Elzevirum per *Io. de Laet*, ceteris longe melior. Est enim emendatissima, et habet in Vol. ult. varias lectiones bene lectas et notas virorum doctissimorum, prima multas Salmasianas e Polyhistore non diu ante edito, cui plurimum se, ait editor, tribuere. Sed hanc quoque superavit quarta, quam *Io. Fr. Gronovio* tribuere solent, quod notis eius maxime nobilitata est, quae in hac editione ad superiores accessere, inde a L. XX. usque ad fin. egregiae illae, sed ut appareat, non hoc egisse tum virum doctissimum, ut textum accurate excuteret, et interpretem, qui proprie dicitur, egisse, sed quae ipse antea in margine exempli sui habuisset notata, ea condonasse librariis tum, cum iam ad librum vigesimum venissent. Haec editio facta est a. 1669. 8. 3. Voll.

Apparet in magna illa multitudine editionum et virorum doctorum, qui earum curam suscepissent, nullam

tamen factam ad id usque tempus fuisse, quae Critico erudito satis et severo satisfaceret. Talis editionis consilium cepisse videtur *Io. Harduinus* cum editionem Plinii in Vsum Delphini pararet, quam absolvit primum ediditque Paris. 1685. 4. Voll. 5. repetita opera tum plenius tum splendidius a. 1723. f. Voll. 2. quod exemplum et Basileae, sed minus pulcre et valde vitiose, repetitum est a. 1741. eadem forma. Ad textum constituendum quindecim Codd. scr. lectionibus usus est, sed in his tantum octo ab ipso collatorum: ceterorum lectiones iam ante ab aliis excerptae extabant. Forma operis est ea, quae in illo genere in Vsum D. instituta erat. Notae sub textu pertinent ad intelligenda verba et res: Criticae ad calcem libri cuiusque sunt reiectae. Boni utique multum inest, inprimis per comparationem Plinii cum locis scriptorum, e quibus profecit atque hausit sua, numos multos ad illustrandum allatos, ceterum plagii iure reus *f*) factus ab aliis, cuius nos exempla innumera adnotavimus, ubi *Bochartum* in Hieroz. *Palmerium*, *Valesii* notas in Euseb. *Io. Frid. Gronovium*, de quo iam monuit filius, praefat. ad L. *de Sestertiis*, et alios compilavit: cum ceterum sit asper saepe in illos ipsos, quos compilat, ut illum Gronovium, Salmasium item et alios viros doctissimos. Notavimus etiam in eius textu lectiones vitiosas,

f) Nescio unde acceperit B. G. Struvius, qui *Gabrieli Cossartio*, S. I. deberi magnam partem operae in Plinium impensae contendit introductione in notitiam rei litterariae c. V. §. 8. p. 109. *Editiones scriptorum classicorum, quae in usum Delphini factae, satis sunt splendidae* (illas impensis plus quam 200000. librarum constare nota Huetius de rebus ad se pertinentibus pag. 290.) *De hisce tamen dicendum, quod editores splendorem potius addiderint quam notas. Has enim plerasque Germani scriptores sibi vindicabunt, vel Belgae, si Harduini Plinium excipias, qui tamen maioris adhuc plagii accusandus, cum pleraque ex* Cossartii *MSto, cui per plures annos insudaverat, desumserit.* Ioan. Georg. Graevius Epistola ad Io. Clericum data 13. Mai. 1687. *Male sane, apud Gallos quoque audit* Harduinus, *cum quod aliorum compilet scrinia, tum quod liberius invehatur et petulantius exagitet viros doctissimos, ubi quid deprehendit in illorum*

vitiosas, per errores operarum in editionibus vulgaribus ortas, quae facile ex edd. paullo vetustioribus corrigi poterant, sed ab illo relictas: quod tamen cum aliis similibus peccatis excusabit operis magnitudo et laboris. Multa loca etiam male correxit, et in numis interpretandis valde deliravit. In fine, praeter indicem emendationum, tres alii accessere, Geographicus, Personarum, verborum denique et sententiarum. Ceterum ad editionem hanc velut Appendix referri potest eius opus *de numis antiquis Vrbium et Populorum*, ad cuius calcem illustratur ex instituto locus Plinii insignis de re monetaria, qui occurrit lib. XXXIII. cap. 3. sect. 13. Nuper et Berolini 1766. 8. editus est textus Plinii ad usus studiosorum sine notis ex ed. Harduini cum Indd. similibus Harduinianis: sed in quibus non nuda nomina sunt, sed etiam explicationes ad intelligendum: unde in iis esse ait *Chrestomathiam* quandam Plinianam. Sunt T. V.

Admirabuntur, credo, lectores, hanc tantam multitudinem editionum, praesertim quae seculi quintidecimi fine et seculo sequente facta sit, quanta profecto in nullo alio scriptore vetere extat, cum praesertim opus sit tantae molis, cum postea, recentioribus temporibus, tam pau-

illorum Scriptis, in quo cespitarunt, ut est ingenii humani imbecillitas; praetereat vero silentio illorum praeclara in rem litterariam merita et observationes, quas sibi vindicat; non pudenter, Hercule, si verum fateri volumus. Vossium *sane indignari quoque accepimus, quod* Harduinus *sibi tribuerit elegantissimam et certissimam emendationem, quae legitur in notis ad* Melam p. 280. *cum omnibus illorum Scriptorum locis, quibus eam firmat, excepto solius* Charisii. Friderici Gronovii *emendationes laudat quidem in prooemio, sed in adnotationibus suo illas adserit ingenio et sollertiae, raro* Gronovii *mentionem facit, nisi ubi ab illo dissentit. Non possum igitur improbare (quamvis amicitia et commercium litterarum mihi intercedat cum* Harduino, *et inficiari non possim, multa egregia illum, per se quoque, cum in* Plinio, *tum in Geographicis ex numismatibus illustratis observasse,* Plinioque *illius primas deberi, non solum inter Scriptores, in usum Delphini editos, sed inter editiones omnes* Plinii) *famam* Salmasii *aliorumque doctorum hominum a te vindicari* etc.

paucae institutae sint. Sed causa illius multitudinis fuit haec, quod tum nemo pro docto haberetur, qui Plinii hoc opus non legisset, quod Hermolai Barbari dictum fuisse *Angelus* in praefatione ed. Paris. 1526. tradit et in quibusdam locis, ut Brixiae, hoc proprie mandatum illis temporibus erat alicui, ut publice Plinii libros interpretaretur. Quod recentioribus temporibus secus fuit, et cum maxime est, ubi propemodum omnes magnitudine operis a legendo deterrentur, monstroque simile putant, si quem audiunt totum hoc opus perlegisse, aut legere velle.

In numerum editionum Plinianae Historiae referri etiam potest editio nuper coepta Francicae versionis, in qua et textus latinus est critica cura constitutus, de qua mox in loco de Versionibus dicemus.

Ex hac recensione editionum facile lector attentus intelliget, quae editiones, quaeve exempla usum Criticum habeant, item per quos textus Pliniani operis ad hanc praesentem formam, quoad recta est, (nam sine vitiis pluribus adhuc nulla est) pervenerit. Recensiones igitur iustae, post primas illas Venetas editiones, sunt *Hermolai*, *Benedicti*, *Caesarii*, *P. Danesii*, *Rhenani*, *Harduini*. His addi possunt, in quibus constet, unum et alterum librum scriptum usurpatum esse, ut Erasmicam, et alias quasdam. Item et illud clarum est, nondum habere nos exemplum, quod plane Criticae artis perfectionem attingat: estque omnino difficile aliquid perfecti praestare, in tanto, tamque variae doctrinae, opere, quod etiam ab auctoris ingenio proprias difficultates habeat. Interea legamus ea, quae habemus, et inde discere, quae possumus, curemus. In primis multis saepe obfuit et Codd. scriptorum et edd. parum diligens usus.

VI. *Ver-*

VI. *Versiones* Plinianae historiae extant pluribus linguis. Prima est sine dubio *Italica Christoph. Landini*, g) primum edita, quod quidem certo constet, Venet. an. 1476. f. per Iensonum; saepe illa repetita. Si verum est, quod traditum reperi a nonnullis, e libro scripto factam esse hanc versionem, usus etiam Criticos habet. Sed tum iam edita exempla plura extabant: potuit tamen, ubi haerebat, libros scriptos consulere, quod an et quomodo factum sit, iudicabunt ii, qui cum editis contulerint accurate. In editione repetita nona Venet. 1484. correctorem habuit *Io. a Francesio*, in decima ibid. 1543. 4. *Ant. Brucciolum:* qui deinde a se versum Italice Plinium edidit Venet. 1548. 4. Novam post dedit *Ludov. Dominicus* Venet. 1561. 8. etiam additis notulis, quae illas obscuravit, etsi Brucciolum fere sequitur sensu, et verbis elegantior est, ut iudicat illustris Rezzonicus.

Gallica versio totius operis Pliniani una tantum extat, facta ab *Ant. Pineto* (du Pinet) cuius prima certa editio est Lugd. a. 1566. apud Claud. Sennetonum: (nam altera 1562. incerta est) saepe repetita in Gallia et extra Galliam. — Novam versionem moliri coepere viri quidam docti medio hoc seculo nostro, sed res exitum non habuit. Nuper autem initium factum est novae versionis cum textu latino, ita facto, ut nihil in eo poneretur, quod non in aliquo libro scripto extaret; quod est ad commendationem operis apud vulgus speciosum: versioni subiectae sunt notae, ad res maxime explicandas et illustrandas pertinentes; (quanquam et grammaticae et criticae insunt:) in quibus utique multa vulgaria etiam verbosius, quam necesse erat, traduntur.

 In

g) De hac versione intelligendum, quod dicit Sabellicus, de linguae lat. restauratione p. 334. med. *Landinum, Plinium et Livium, duo linguae latinae lumina, non sine piaculi suspicione omnibus vulgasse.* Nam idem et Livium Italicum fecit.

In eo opere plures laborant; unus ſcribit, praeſertim verſionem, ut una orationis forma operi reddatur: quae eſt, quoad nobis iudicare licet, elegans. Initium edendi operis factum eſt ſuperiori anno 1771. Pariſ. 4. prodierantque, cum haec ſcribebamus, Tomi quatuor: quorum *primus* pertinet ad uſque librum ſecundum: *alter* ad ſextum, *tertius* ad nonum: *quartus* ad tertium decimum. Opus ubi erit abſolutum, de eius bonitate et univerſa et in ſingulis rerum generibus planius licebit iudicare. Sed ex hac, quam nunc in manibus habemus, parte, in qua praeſertim Geographica bene tractata ſunt, licet etiam de reliquis bene ſperare. Opus debetur maxime Cl. *Poinſinet de Sivri.* — De *Durandi* verſionibus particularum Pliniarum infra dicetur.

Hiſpanica verſio una modo typis vulgata eſt *Hieronymo Gorneſio ab Huerta* auctore (nam *Franciſci Hernandii* verſio librorum 26. ſcripta tantum extat) eiuſque pars prima Libros XI. complexa primum prodiit Mantuae Carpet. a. 1624. altera 1629. f.

Anglice verſus eſt Plinii textus a *Philemone* Batavo, qui in Anglia medicinam fecit, editusque Lond. 1634. — *Belgice* Arnhemii primum a. 1619. 4. deinde Amſtelod. a. 1664. 8. ſub titulo: *Plinius* van Menſchen, Vogeln, onde Viſchen. — *Germanice* verſus olim ex parte eſt, a L. VII. uſque ad XI. per notum illum *Henricum Eppendorpium*, quae verſio prodiit Argentorati 1543. Sed alia verſio facta eſt poſtea per *Ioannem Heydenum*, quae primum prodiit Francof. 1565. fol. deinde aliquoties repetita. Res non eſt tanti. Nam nemo eam hodie legere curet, nec adeo multum de ea ſperare licet. Nuper autem Roſtochii a. 1764. 4. prodiit novi exempli verſio Germanica cuius auctor fuit *Io. Dan. Denſo* Pomeranus: qui poſt diuturnum rerum naturalium ſtudium et cognito ingenio Pliniano, non male adeoque praeparatus

ratus ad hunc laborem accessit; non modo sensus Plinianos bene exprimere conatus est, sed et rebus nondum nomen Germanicum habentibus, nomina apta imponere: quae res ei saepe non male cessit. Ceterum aliud volumen promisit, in quo et emendaretur textus Plinianus et historia naturalis ad nostra usque tempora continuaretur, h. e. nova post Plinium in quoque genere inventa traderentur. In quo virum doctum non solita nostrae aetati festinatione uti, res ipsa docet, cum nonus ab illius promissi tempore annus labatur, necdum illud Volumen prodierit.

Arabica versio, autore *Honiam*, fil. *Isaaci*, memoratur in Herbeloti Bibliotheca Oriental. p. 199. et in Act. Erud. 1720. p. 415.

VII. Iuvat etiam per saturam paucis referre, qui partes quasdam Pliniani operis illustrarunt. *M. Antonius Sabellicus* Centuriis duabus annotationum, varia Plinii loca illustravit, quae recusae sunt Venetiis 1508. et extant in T. I. Facis Gruter. De his saepe ille in Epp. *Rob. de Valle* Rothomagensis dedit Explanationes difficilium Plinii locorum a. 1500. 4. (exigui momenti, iudice Harduino.) *Nic. Leonicenus* de Plinii, et aliorum Medicorum erroribus: cuius liber primum prodiit a. 1491. Additus est liber de herbis, fruticibus, animalibus, metallis, serpentibus etc. in editione Basil. 1529. 4. in quo refellit, quem vocat Patronum Plinii, (f. Sabellici) i. e. Collinutium. Eiusdem Leoniceni de falsa quarundam herbarum inscriptione in Plinio, Argent. 1536. Huic rescripsit *Pandulph. Collinutius* in defensione adversus Leonicenum Pliniomastigem. v. et Epist. Totti et Menochii p. 211. seqq. adde ill. Rezzonici Plin. L. VII. pag. 217. ubi pag. 219. etiam Verderius refellitur.

In Plinii Praefationem commentarius *Marini Becichemi* Scodrensis prodiit Paris. 1519. *Cornelii Vitellii*

Epistola

Epiſtola ad Parthenium Benacenſem, qua eandem praefationem illuſtrat, Perotti Cornucopiae ſubiungitur, in quo ſaepe Plinius explicatur: *Philippi Melanthonis* paraphraſis prodiit cum Orationibus duabus Demoſthenis in Ariſtogitonem Latine verſis Hagenoae 1527. 8. Video etiam laudari *Antonium Fabrum* h) in Plinii praefationem Rom. 1510. 4. *Leodegarii a Quercu* commentarius prodiit primum Pariſ. 1556. 4. apud Vaſcoſan. tum Heidelb. 1600. 8. In illam praeterea ſcripſere *Martinus de Figueredo*, Olyſſipone 1529. f. *Adrianus Turnebus*, qui notas ſuas *Guil. Pellicerio*, i) Montiſpeſſuli Epiſcopo, debere ſe fatetur, et quas Harduinus ſibi haud viſas memorat: *L. Antonius Flaminius*, atque *Antonius Ferrarienſis*.

In Librum I. et II. Franciſci de Villabolos extat gloſſa naturalis, Compluti 1524. fol. *In Librum II. Georgius Valla*, Venet. 1502. 4. *Iacobus Zieglerus*, de quo v. Schelhornii Amoen. hiſt. Tom. II. pag. 265. *Collinutius* et *Vadianus*, Baſil. 1531. 4. *Iacobus Milichius*, Hagenoae 1534. 4. Francoſ. 1543. 1557. 4. Pariſ. 1503. 4. Lipſ. 1573. 4. *Rudolphus Goclenius*, Marpurg. 1612. 12. *Gelenius* emendatus Pariſ. 1543.

In Librum VII. Guglingerus, Cracov. 1526. 4. In locum Plinii VII, 50. ubi *mortis per ſapientiam* k) mentio, ſcripſere Alciatus II, 60. parerg. Mercurial. VI, 20. Var. lect. Biſciola XVII, 12. hor. ſubſeciv. Cerda ad Georg. Virgi-

h) Vide Catalogum Bibliothecae Seilerianae pag. 124.

i) Huius Pellicerii notis in Plinium MSS. uſum ſe fuiſſe Harduinus teſtatur. Similiter ineditae alicubi deliteſcunt in Plinium notae Antonii Nebriſſenſis, Ioannis Andreae Stranaei, Petri Ciacconii, Chriſtophori Longolii, et fortaſſe Franciſci Calvi. Vide animadverſiones philologicas Thomae Crenii T. 7. p. 12. et 207. ſeq. D. de Aylva (forte de Sylva, inquit Harduinus) Medici Friſii commentarios in Plin. laudat Muntingius.

k) Verba Plinii ſunt: *Atque etiam morbus eſt aliquis per ſapientiam mori.*

Virgilii IV, 260. Eduardus Fernandez, Ioannes de Luna Vega, Franciſcus Ximenez Guillen, et Io. Pineda, Beverovicius quaeſt. Epiſtol. pag. 23. 27. 66. 69. 78. et Wedelius Centur. I. diſſ. Medico Philolog. X, 10.

In Librum IX. Franciſcus Maſſarius Venetus, Baſil. 1537. 4. cum praefat. B. Rhenani, Pariſ. 1542. 4. *In Libri XXX. cap. I. et II.* commentarius argutiſſimi ſcriptoris, i. e. *Io. Trithemii*, complectens Magiae naturalis rationem, prodiit Herbipoli 1548. 4. quo difficultates Plinianae, praeſertim de Magia, explicantur et tolluntur. *Nic. Maroneae* Commentarius in Plinium et Dioſcoridem de amomo editus eſt Baſil. 1608. 4. *Melch. Guillandini* in aliquot capita Plinii lib. XIII. (de papyro) Venet. 1572. 4. Lauſannae 1576. 4. contra quem Ioſephus Scaliger in ſcriptis poſtumis ſcripſit Pariſ. 1610. 4. Plinius *de Piſcibus* cum ſcholiis *Io. Caeſarii* prodiit Venet. 1518. 4. Argentorat. 1534. 4. *Chriſtiani Gabrielis Fiſcheri*, Regiomontani nota ad Plinii IX, 33. (num. 52. Harduin) de Concharum differentiis, in Actis Eruditor. a. 1733. p. 487. *Antonii Valliſnerii* dialogos inter Plinium, et Malpighium legas in Muſeo Minervae Venetae (Galleria di Minerva) Tom. I. pag. 297. et Tom. 3. pag. 297. 353. quibus ingenioſe refellitur generatio, quam ex putredine ſine ſemine fieri multi ſibi perſuaſerant. Vide et Diarium Venetum, Giornale de' letterati d'Italia Tom. 13. pag. 180.

De duabus partibus Pliniani operis etiam bene meruit *David Durandus*, Sacerdos Londinenſis et Societatis eruditae Lond. Sodalis, primum de L. XXXV. ad calcem libri, Hiſtoire de la Peinture ancienne, qui prodiit Lond. 1725. f. deinde de L. XXXIII. de auro et argento ad calcem libri: Hiſtoire naturelle de l'or et de l'argent. Lond. 1729. f. Primum utrumque librum fecit francicum, textum latinum libri utriuſque ex MSS. Voſſ. et

ed. pr. 1469. emendare ſubinde tentavit, ſuaſque notas addidit, ad L. XXXIII. etiam Gronovianas, ut et aliorum, ut Pintiani, correctiones et notas, et Harduini. Inprimis digna eſt, quae legatur praefatio ad Hiſtoriam Picturae, ad notitiam ſcilicet edd. quarundam veterum. Ceterum in notis ipſius exempla latinitatis non bene intellectae plura reperimus. Etiam *praefationem Plinii* ab eo editam et ex iiſdem libris correctam Lond. 1728. 8. reperimus: ipſi non vidimus.

Poſt hunc nuper plura loca Pliniani operis e libris ſcriptis editiſque feliciter correxit et explicavit illuſtravitque Ill. *Rezzonicus* in praeclaro Diſquiſitionum Plinianarum opere, ut T. I. p. 242. ſeq. *Librum primum* ad Veſpaſ. T. II. c. IX. p. 3. *Libri II.* et ceterorum omnium particulas plures, hoc nomine praeclare de Plinio meritus, etiam exemplo illius operis diligenter tractandi propoſito, quod imitentur, qui Plinii novam et perfectam editionem curare inſtituant.

Neque ex hoc numero excludemus *Io. Matth. Geſnerum*, qui *Chreſtomathiam Plinianam* cum notis edidit Ienae a. 1723. 8. repetitam et emendatam Lipſ. et Zellae a. 1753. in quo libro eſt ad Plinium et intelligendum egregia praeparatio, et ad totum lectione cognoſcendum invitatio. Et venit ei aliquando, Gottingae cum eſſet, in mentem, totum opus edere, cum ei etiam Codex egregius e Bibl. ni fallimur, Corbeiae minoris oblatus eſſet, haberetque collegas rerum naturalium et medicarum peritiſſimos, quos in locis ad Phyſicorum et Medicorum diſciplinam pertinentibus in conſilium vocare poſſet, melius deinde eas dicturus, quam ipſi poſſent. Sed id inſtitutum exitum non habuit.

Finem vix reperiremus, ſi omnes memorare vellemus, qui per varias occaſiones Plinio profuere. Sed principes ſunt *Budaeus*, de quo ſupra per occaſionem editionis

tionis primae Parisiensis dictum, *Iul. Caesar Scaliger*, *Salmasius* in Polyhistore, et notis ad Hist. Aug. scriptores, in quibus et locum de papyro ita explicavit, ut nihil, quod melius dici posset, reliquerit. — Nec praetermittendus *Scheuchzerus*, cuius *Dialogus inter Plinium et Salmasium* in Clerici Bibl. Sel. T. XVII. p. 192. et in eius Hist. nat. Helvet. plura sunt, quae ad Plinium pertinent, ut P. VI. pag. 130. 159. *de androdamente* ad XXXVII, 10. Et eius libri multa vel explicantur vel illustrantur ab iis, qui *de gemmis* scripsere: multa in Commentariis Acad. Paris. literarum bonarum, Partibus quidem recentioribus, etiam ad artes pertinentia, etsi non raro infeliciter, propter latinitatem non satis intellectam, inprimis ab Com. *Caylus*, aut vitiosam scripturam.

Fuerunt etiam, qui in Plinio laborarunt edendo, sed absolvere destinata non potuere. De miro studio *Christophori Longolii* Mechlinensis, qui a. C. 1522. natus, Patavii obiit, cum vix annos 34. vixisset, quos labores susceperit, quae itinera et pericula obierit, ut Plinianam Historiam digne illustrare posset, vide quaeso Melchioris Adami vitas Philosophorum in Longolio. Idem Adamus narrat, Longolium paene puerum plura in Plinio emendasse et notasse, quae ipso inscio et invito in Gallia fuerint edita. Memorat etiam Orationem, de laudibus C. Plinii, ac commentaria in XI. Plinii libros. Et Gesnero Longolii Commentaria in Plinium celebrantur, quem Pictavii publice cum summa omnium admiratione docte et eleganter fuerit interpretatus. Tamen Longolium et *Steph. Aquaeum* qui Paris. 1530. f. edidit Comm. in Plin. minorum gentium interpretes vocari video ab *Andrea Schotto*, qui in Epistola ad Ortelium, Melae subiecta, *Pintiani*, inquit, *in Plinium utinam te hortante Plantinus noster, typographus omnium quot sunt, erunt, maxime industrius, in vulgus edat cum* Iacobi

Susii *et* Brugensium *notis: esset cur Reipublicae litterariae, patriae, et Plinio ipsi iam paene in integrum restituto gratularemur. Nos Toletanum Codicem MS. quo usus est Pintianus, inspeximus, non pauca relicta collegimus, Solinum quoque et Capellam cum MSS. compositos recensuimus: sed maturescere sinam.* Ex eodem Schotto praeterea discimus, quod Plinium illustravit etiam saeculi sui alter Varro, *Petrus Ciacconius* Toletanus, cuius vigilias Plinianas adhuc, inquit, nobis haeredes invident et thesauro incumbendo premunt. *Petri Pierii Smensae, Schotani*, notas et emendationes in Historiam naturalem Plinii memorat Suffridus Petri de scriptoribus Frisiae decad. XVI, 2. nunquam editas, ut existimo, quemadmodum et *Roberti Constantini* Antonius Teissierius in elogiis Thuaneis Gallice versis illustratisque Tom. 4. pag. 508. Dan. Guil. Mollerus in diss. circulari de Plinio Secundo, Altdorf. 1688. 4. notat *Nicolaum Rigaltium* quoque et *Octavium Ferrarium* Plinii Historiae Naturali recensendae animum applicuisse, licet consilia eorum mors praevertit. Ipse Ferrarius p. 309. Epist. *De Plinio vix ulla spes superest, cum immensum pelagus et summa dies instans vela colligere et retro cursum vertere compellat. Itaque labor omnis non sine fructu per tot annos magno scriptori impensus frustra susceptus fuerit. Sic Dii voluere.* Eodem loco testatur, se veterem editionem Venetam contulisse cum manu exarato Codice, qui Pici Mirandulani fuerit. Notas Ferrarii non ultra librum duodecimum processisse a. 1675. testatus est Christophorus Arnoldus. Vide Consultiss. Viri Burchard. Gotthelf Struv. T. 1. fascic. 7. actor. literariorum ex MSS. eruditorum p. 78.

VIII. IN-

VIII. INDEX SCRIPTORVM *l*) QVI IN PLINII HISTORIA NATVRALI CITANTVR.

Numerus maior librum, minor caput denotat.

l) Bernardus a Mallincrot in paralipomenis ad Vossium de Hist. Graecis p. 68. *In catalogo auctorum Plinianorum quem affectum habeo, inter caetera cognita nec iniucunda nec infructuosa ostendere constitui convenientiam, et discrepantiam Indicum cuiusque libri qui operis illius primo libro comprehenduntur cum cuiusque libri contextu.* Hic Mallincroti catalogus nunquam lucem vidit. *Andreas* vero *Schottus* Antverp. circa a. 1616. 8. separatim edidit Indicem Auctorum Plinii Maioris, ita digestum ordine alphabetico, ut primo Romani exhibeantur, deinde externi, tertio Medici, denique ii, qui in libro primo a Plinio in elencho auctorum nominantur, sed in librorum ipsorum capitibus nusquam nominati occurrunt. Ergo hunc Schotti indicem raro obvium ita lectori exhibeo, ut non modo suppletus sit et emendatus plurimis locis, collatis etiam *Harduini* ad indicem auctorum Plinianorum observatis, at qui libros et capita ubi singuli appellantur annotare neglexit: sed etiam triplex series Schotti nullo lectoris dispendio ita sit in unam collocata, ut externi aliis litteris (currentes vulgo appellant) denotentur, Medicis adscriptum sit Medici nomen: ubi vero in solo elencho libri primi Pliniani, nec usquam in capitibus ipsis sit scriptoris mentio, solus maior numerus illius libri, quo usum se scriptore aliquo Plinius significat, nullus vero minor adscribatur.

Apollo

Aſcle-

Calip-

Clitar-

Dama-

Eudi-

Gellius

m) C. Cilnius Melissus, libertus Maecenatis, de quo Nic. Heinsius ad Ovidii e Ponto IV, 16. 30.

Sed

n) Vitiose *Sarmenes* apud Reinesium II, 6. Var. Lect. p. 158.

Corne-

IX. C. IVLIVS SOLINVS Grammaticus, Patria ut videtur Romanus, hoc loco a nobis memoratur, quia fuerunt, qui Plinio *o*) antiquiorem, ad Augustique tempora

o) Vide Iac. Thomas §. 543. de plagio ad Vossium lib. 3. de hist. latinis p. 720. 721. ubi etiam inter alia docet, Solini Polyhistorem ante

pora referendum existimarent, et quia plurima petiit ex Pliniano opere. Caeterum ducentis ferme annis Plinio iunior, si audimus Salmasium p. 839. ad Solinum, ubi Alexandro Mammaeae longe posteriorem fuisse contendit. Post Vespasianos vixisse ex cap. 29. est perspicuum, ad quem locum vide, quae idem Salmasius notat p. 271. novae edit. et in prolegomenis. Henricus quidem Valesius ad excerpta Peiresciana pag. 105. haud diversum esse putat a Iulio Solino sive Solone (nam Xiphilinus et Zonaras ἴέλιον Σόλωνα appellant) Senatore Rom. quem interfecit Alex. Severus. Confer Tillemontium Tom. 3. Hist. Imperatorum p 141. seq. et H. Dodwellum appendice ad diss. Cyprianic. §. 15. qui Censorino aequalem facit. E veteribus nemo Solinum laudat ante S. Hieronymum. Ab eo tempore Ammianum Marcellinum multa e Solino mutuatum, eiusque sententias ac locutiones frequenter scriptis suis inseruisse notavit Iacobus Gaddius T. 1. de scriptoribus non Ecclesiasticis p. 27. Memoratur et a Prisciano, qui eius librum modo *memorabilia*, modo *collectanea* vocat, a Luitprando, Adamo Bremensi, Honorio Augustodunensi lib. 3. de imag. mundi, et IV, 24. aliisque iunioribus: etiam ab Engelberto Abbate Admontensi lib. de ortu et fine Rom. Imperii cap. 13. Hugonis Etheriani locum, quem e Solino expressit, illustrat Adr. Iunius lib. V. animadvers. cap. 2. Licet vero Solini liber ipse compendium sit, tamen *Petrus Diaconus*, qui vixit temporibus Conradi Imp. Solinum de mundi mirabilius abbreviasse legitur in continuatione Chronici Casinensis, cuius verba adscripsi supra ad paginam 292. Incertum auctorem in excerptis Solini allegat Salmasius p. 250. et alibi. Solinus de mirabilibus mundi moralizatus, forsan per Berchorium MSS. Angliae T. 1. p. 105. num. 2019. Solinum *auctorem valde futilem* vocat Scaliger

ante 600 annos a monacho carmine heroico redditum esse versibus heroicis, idque carmen superesse MS.

liger IV. de emendatione temporum p. 214. *mirum nugatorem* Salmasius pag. 304. *merum miscellionem* pag. 318. *omnia turbantem et confundentem simium* pag. 320. Sane Plinii, quem semper fere sequitur, verba saepius perperam intellecta in alienam detorquere sententiam, Salmasio et eidem Harduino innumeris locis annotatum: Plinianis etiam addere nonnulla ex ingenio suo ab eodem Salmasio p. 236. observatum est.

X. Extitit autem, ut primus Salmasius notavit et docuit, duplex libri editio: prima festinantius prolata sub titulo: *Collectanea rerum memorabilium;* altera diligentius elaborati opusculi, sub *Polyhistoris* inscriptione ad Adventum, (quem H. Dodwellus *p*) in diss. de Isidoro Characeno §. 10. verisimiliter existimat eundem esse, qui Consul fuit a. C. 218.) in qua id divisum fuit in cap. 57. Ab illius duplici editionis confusione: nam et utriusque titulus interdum in eodem exemplo scripto reperitur: etiam textus utriusque confusio et varia modo mutilatio, modo interpolatio nata est: unde forte et illa Camertis, quae post memorabitur querela. A Ioanne Massono bene observatum fuit *q*) Artaxerxem, cuius bello subactam Ierichuntem tradit Solinus c. 38. (35) eum esse, qui regnum Persicum restituit a. C. 225. Eodem capite Hierosolymorum excidium memorat Solinus: et cap. 32. (29) belli cum Oeensibus, Vespasiano Principe gesti, mentio, sed haec utraque nec Plinii aetatem latuerunt.

Prima, quod quidem constet, editio Solini sub titulo *de situ et mirabilibus orbis* lucem vidit Venetiis *r*) per Nico-

p) Tom. 2. Geographor. Graecorum minorum Viri Clariss. Ioannis Hudsoni. Vid. etiam Iac. Cuiacium XV, 3. observat. et Lud. Carrionem Antiquar. Lect. II, 8.

q) Hist. Critique de la Rep. des lettres Tom. XIV. pag. 37. seq. Neue Bibliothec LXX. pag. 796.

r) Ex prima hac Solini editione quaedam illius scriptoris loca castigat et illustrat Io. Masson T. XIV. Hist. Critic. Reip. literar. Gallice editae, cap. I. Eiusdem passim meminit Salmasius.

Nicolaum Ienſon 1473. fol. quam valde laudat Salmaſius in Prolegom. Eius textus dividitur in capita LXX. quae capitum diviſio in aliis etiam editionibus antiquis obſervatur. Graſſerus diviſit in capita LX. Draudius in LXV. Salmaſius Veterem elenchum capitum ſecutus in LVI. Primo capiti editionis Salmaſianae reſpondent integra ſeptem in prioribus editionibus. Sub titulo, *Solini rerum memorabilium collectanea*, prodiit opus Parmae 1480. 4. per Andream Portiliam: *de mirabilibus mundi*, Brixiae 1480. per Boninum de Boninis de Raguſia, Venet 1498. 4. et Brixiae per Iacobum Britannicum 1498. f. Bononiae 1500. edente Phil. Beroaldo, quam editionem laudat Meurſius in Critico Arnobiano p. 67. 93. Saltem is primus critico labore utcunque emendatum textum videtur dediſſe. Poſt Spirae 1512. Cum Mela et aliis apud Aldum et Franciſcum Aſulanum prodiit 1518. 8. ſeparatim Colon. 1520. apud Eucharium Cervicornum. Aldinae proxima eſt, quae *Io. Camerti* debetur, primum facta Viennae a. 1520. f. cum eius commentario. Is dicit ſaepe ſe deterritum eſſe ab exemplaribus Solini, quae ita mutila et depravata repererit omnia, ut multis locis ſenſus obſcuriſſimus eſſet: habuiſſe autem exemplaria vetuſtiſſima, verum tanto mendoſiora, quanto antiquiora. Multis locis ab eo correctum textum Solini patet vel ex eo, quod neminem emunctae naris lectorem, dicit, exiſtimaturum, eum a Beroaldo quondam ſuae integritati reſtitutum fuiſſe, qui ſuas caſtigationes cum Beroaldinis contulerit: nec ſe dubitare, quin loca ſuperſint aliqua, quae diligentiori lima indigeant. Ea editio repetita eſt Baſil. 1538. f. Diligentiſſimum editorem hunc Camertem dicit Salmaſius ad Solin. p. 182. reprehenditque Delrionem, qui eum in ſua editione quaſi dedita opera ſaepe vituperet, ipſe nulla laude dignus, et ſaepe Camertem ſecutus. cf. p. 247. Mela, Solinus, itinerarium Antonini, Vibius Sequeſter, P. Victor de regioni-

bus

bus Vrbis Romae, et Dionyſius de ſitu Orbis ex Priſciani Metaphraſi, Florentiae apud Iuntam 1526. 8. Cum Mela, Baſil. 1564. 8. 1595. 8. Cum Mela, Olivarii et Herm. Barbari ſcholiis *s*) illuſtrato Pariſ. 1536. 8. et cum Floro ac tabula Cebetis ab Odaxio verſa, ibid. 1557. f. *Vineti* caſtigationes in Solinum, necdum mandatas typis, MStas habuit Arnoldus Pontacus, ut ipſe teſtatur notis ad Euſebii Chron. p. 383. poſt editas cum Solino Pictavis 1554. 4. Ad MS. Lipſii librum recenſitum Antverpiae a. 1572. 8. edidit *Delrio*, tunc natus vix annos viginti, ut notavit Lud. El. du Pin Tom. 17. Biblioth. ſcriptor. Eccleſ. p. 40. quam editionem peſſimam, ſicut optimam Vineti, iudicabat Salmaſius. *Henricus* autem *Stephanus* Solinum cum Delrionis emendationibus ſubiecit Dionyſio Periegetae, Euſtathianis ſcholiis, Pomponio Melae, Io. Olivarii annotationibus, et Coſmographo, qui ſub Aethici nomine ambulat, Ioſ. Simleri notis illuſtrato a. 1577. 8. Prodiit etiam Solinus ex Delrionis caſtigatione, Lugd. Bat. 1646. 12. additus Melae Aethicoque. Poſthaec Solinus a *Iac. Graſſero* Baſileenſi ex Codd. MSS. et editis emendatus, et hiſtoriis ſimilibus ac diſſimilibus illuſtratus, prodiit Genev. 1605. 8. et Pariſ. 1621. 12. Priorem editionem Gudius habuit *Frid. Lindenbrogii* manu collatam cum duobus MSS. Gottorpienſibus et editione Spirenſi atque Aldina, animadverſionibuſque variis illuſtratam: eius denique exemplum nos habemus collatum a Cortio cum MS. Guelferbytano perantiquo. *Georgii Draudii* Solinus Francof. factus 1603. 4. Denique Solinus a *Claudio Salmaſio* caſtigatus, cum eiuſdem exercitationibus Plinianis Pariſ. 1629. fol. 2. Volum. *t*) et emendatius

s) Haec Scholia videntur ex eius Caſtigationibus Plinianis excerpta. Nam Io. Camers in praef. ſuae ed. dicit, Hermolaus Barbarus, quare in Solinum nil ſcripſiſſe videatur.

t) Immenſae frugis opus vocat Grotius ad Matthaei XXVI. 7. De editione Traiectina vide ſis Hiſt. des Ouvrages des Savans 1689. Febr. p. 545. et April. pag. 185. Similes etiam in Plinium exercitationes dare voluit Salmaſius, ut p. 313.

datius recusus Traiecti ad Rhen. nitidis typis uno Volumine in fol. 1689. additis Exercitationibus antea ineditis eiusdem Salmasii de homonymis hyles iatricae, et, quae iam Divione 1668. 4. *u*) prodierant, dissertationibus de manna et saccharo, et iudicio de Plinio. Tertium etiam Exercitationum Plinianarum Volumen molitus fuit Salmasius, ut constat ex Vossii ad eum Epist. 125. neque magna causa fuit Meursio, cur inscriptionem Exercitationum Plinianarum adeo pro inepta haberet Epist. 114. ad eundem Vossium. In mille sectiones dispescuit Solini opusculum, et utilissimo Indice instruxit *Andreas Reyherus* Gothae 1665. 8. cuius editionis exemplis quibusdam Lipsiae 1708. omisso Solini nomine, praefixus titulus: *Compendium rerum memoratu dignarum et scitu iucundarum.* *Christophori Cellarii*, quem moliebatur, Solinum fatis ipsius praepeditum dolebit, qui viri doctrinam, in rebus Geographicis inprimis, noverit.

Solinus *Germanice*, per M. Ioannem Heyden, Francof. 1600. prodiit, *Italice* Ludovico Dominico Interprete, Venet. 1603. 4.

XI. Carmine quoque valuisse Solinum, patet ex *fragmento x*) *Ponticon*, quod in Appendice Virgilii, et inter Poëmata vetera vulgata a Petro Pithoeo, et emendatius in Salmasii prolegomenis legitur. Exhibetur item a *Iano Vlitio* inter rei venaticae Scriptores p. 18. Confer eius notas p. 442.

XII. CASP.

p. 313. scribit: *Haec ad Plinium pluribus.* De insigni Codice Solini MS. quo olim usus Alex. Brassicanus, vide Chronicon Gotvicense p. 61. T. I. Huius Brassicani epigramma in ed. Camertis repetitur in capite eius: et Codicem illum sine dubio vidit Camers.

u) Journal des Sav. 1669. p. 40.

x) In illo heroico carmine πόντια, *aquoreas catervas*, sive pisces et animalia maris descripserat Solinus, imitatus Halieutica Ovidii. Sed vix primi 22. versus supersunt, etsi Barthius p. 1990. Adversariorum illum neget unquam reliqua absolvisse.

XII. CASP. BARTHII INDEX SCRIPTORVM A SOLINO CITATORVM.

ad paginas y) editionis Grasserianae a. 1605. 8.

y) Vt ad alias etiam editiones hic index usui esse possit, paginas cum capitibus conferre iuvat cap. II. pag. 3. III, 8. IV, 12. V, 18. VI, 22. VII, 25. VIII, 30. IX, 44. X, 45. XI, 47. XII, 54. XIII, 55. XIV, 61. XV, 63. XVI, 68. XVII, 73. XVIII, 79. XIX, 82. XX, 83. XXI, 91. XXII, 94. XXIII, 98. XXIV, 101. XXV, 103. XXVI, 106. XXVII, 111. XXVIII, 113. XXIX, 117. XXX, 119. XXXI, 130. XXXII, 130. XXXIII, 132. XXXIV, 138. XXXV, 139. XXXVI, 147. XXXVII, 152. XXXVIII, 153. XXXIX, 155. XL, 155. XLI, 159. XLII, 162. XLIII, 163. XLIV, 168. XLV, 168. XLVI, 169. XLVII, 169. XLVIII, 172. XLIX, 173 L, 174. LI, 175. LII, 176. LIII, 178. LIV, 179. LV, 180. LVI, 193. LVII, 198. LVIII 199. LIX, 200. LX, 201.

XIII. Iuvat etiam hoc loco meminisse PLINII VALERIANI, Medici Empirici, ex maioris Plinii libris itidem pleraque mutuari, quem ex vetustis aliquot inscriptionibus Comensem patria fuisse viri docti colligunt, ut apud Gruterum pag. DCXXXV. 1. Paulus Iovius libro de piscibus Romanis cap. 35. cum laudasset Plinium, qui elegantem librum de morbis atque remediis conscripsit, *fuit is*, inquit, *procul dubio Plinio, Naturalis Historiae scriptore et Plinio Caecilio, posterior, vocatusque est Plinius Valerianus Medicus, cuius marmoreum sepulchrum Comi, ubi Pliniorum familia floruit, in templo Divi Probini, aquae sacrae labello suppositum et pulcherrimis incisum characteribus conspicitur.* Scripsit, ut par est credere, non paucis annis post alterum illum sibi cognominem, ante Constantini Magni tamen tempora, quia una cum Maiore Plinio veteribus Medicinae artis auctoribus a Marcello Empirico accensetur. A Christiano nomine alienum fuisse, ei, qui leget, verisimile videbitur, et sic videbatur etiam Stephano le Moyne in Variis Sacris, et in Diss. ad *Ierem*, 33, 6. pag. 47. Aliter visum Reinesio p. 181. Var. Lect. (quod ipse refellit p. 388. et in defensione p. 137.) et Io. Rhodio in Epist. ad Heinsium T. V. Syllog. Burm. p. 460.

Exstant sub eius nomine *de re Medica Libri V.* primum Romae 1509. editi, qua sola editione usus est Barthius in Adversariis, bene multis emendationibus et coniecturis parsurus, si integrum ei fuisset inspicere etiam Basileensem, quam cum Sorani Isagoge, Oribasii fragmento latine verso, Apuleio de herbis, et Musae de betonica libello vulgavit *Albanus Torinus* Vitodurensis a. 1528. fol. In ea enim infinita vitia sublata sunt ex MS. Ab eo tempore editum Plinium didici Argentorati 1533. f. cum Physica Hildegardis, Theodori Diaeta, Aesculapio de morborum causis etc. tum Venetiis apud Aldum a. 1547.

et Basileae 1549. f. inter alios medicos antiquos. Sunt qui totum hoc εὐπορίστων, uti quidam inscribunt, h. e. *facile parabilium medicamentorum* opus, ex libris Historiae naturalis Plinii Secundi conflatum existiment, adspersis paullatim per imperitas manus non paucis Plinio indignis. Qua de re plura dicta sunt in Centuria Plagiariorum anno 1689. Lipsiae vulgata, numero 76. ubi de hoc Plinio Valeriano fuse egi, Reinesiique et aliorum doctorum hominum de eo sententias expendi, sed et indicem scriptorum, quos allegat, vel eorum, quorum medicamenta memorat, adieci. *Epistola* his libris praefixa, etiam Marcelli Empirici libro de medicamentis, una cum epistolis aliorum medicorum praemittitur *sub nomine Plinii Secundi ad amicos, de Medicina.* Sed in exiguo licet Epistolio, si cum Plinii Valeriani editionibus comparetur, aliquam multas licebit lectionum diversitates deprehendere. *Librum* Plinii *de febribus*, in opere Veneto de febribus excusum, ex eodem Valeriani volumine pentateucho, de quo hactenus dixi, excerptum esse apparet.

Plura huius Valeriani loca post Barthium in Adversariis illustrat Reinesius non modo in Var. Lect. harumque adversus Andr. Rivinum defensione, sed et in Epistolis ad Casp. Hofmannum p. 523. seq. etc. In eo emendando etiam se laborare scribit Io. Rhodius l. c.

INDEX SCRIPTORVM z) ET MEDICORVM A PLINIO VALERIANO MEMORATORVM.


Antiochis Regis theriaca III, 57. IV, 38.
Asclepiades IV, 26.
Athanasii (an ἀθανάσιον) antidotum pro hepaticis II, 17.

Augu-

z) Dedi hunc indicem cum variis observationibus in Decade Decadum sive Centuria plagiariorum et pseudepigraphorum, quam admodum

modum adolescens in lucem edidi Lipsiae 1689. 4. capite LVI. ubi etiam plura de Plinio Valeriano, quae hoc loco repeti non est necesse. Incertum, satisne perspecta Plinii Valeriani quae edita habemus fuerint Christophoro Colero, qui in Epistola ad Ioann. Kirchmannum (post Gudianas p. 254.) narrat se Noribergae in Bibliotheca Pirkaimeri inter alia reperisse Plinii de Medicina, nunquam typis edita.





CAPVT XIV.

DE

VALERIO FLACCO.

I. *Valerii Flacci aetas.* II. *Argonautica.* III. *Supplementa Pii.* IV. *Editiones.*

I. C. VALERIVS *a*) FLACCVS *Setinus b*) *Balbus*, Poëta non ignobilis, atque inter latinos uno fortassis minor Marone, sub Vespasiano floruit, paupereque sorte usus, admodum iuvenis Patavii decessit, Quintiliano eius obitum lugente his verbis: *Multum in Valerio Flacco nuper amisimus*, lib. 10. cap. 1. Instit. Orat. Decessisse videtur sub Domitiano post annum C. 88. ut notatum Clarissimo Dodwello in Annalibus Quintilianeis. Quindecimviri sacris faciundis munere functum, Nic. Heinsius colligit ex his eius verbis lib. 1. vers. 5.

Phoebe, mone, si Cymaeae mihi conscia Vatis
Stat casta cortina domo — — —

Scripsit

a) Alius L. *Valerius Flaccus* Consul, de quo Begerus Tom. 2. thesauri Brandenburgici p. 591. Nam poëtam nostrum Consulem haud fuisse, recte docet Barthius adversus Carrion. Alius *Valerius Flaccus* Catonis maioris commendator, de quo Plutarchus p. 337. notat, quod fuerit ἀρετὴν φυομένην μὲν αἰσθάνεσθαι δεινὸς, εὐμενὴς δὲ καὶ θρέψαι καὶ προαγαγεῖν εἰς δόξαν. Alius *Valerius Flaccus* adolescens nobilis, de quo Vopiscus in Probo, cap. 5. Fuit et *Valerius Flaccus* quidam *Viterbiensis*, Medicus Sixti IV. Pontificis, aequalis Raph. Volaterrani, qui eum laudat lib. 21. commentar. Urban. De *Setini Balbi* nomine dubii haerent Nic. Heinsius, et Thomas Reinesius T. V. sylloges Epistolarum Burmannianae p. 205. 206. Heinsio etiam in mentem venit suspicari, nomine *Setini Balbi* designari philologum, qui Valerii poëma recensuerit, aut possessorem Codicis, cuius nomen cum nomine poëtae confuderit imperita manus librariorum.

b) Hoc quidam interpretantur e Setia hodie *Sezza*, Campaniae urbe, etsi alii ut Bernardinus Scar-

Scripsit quo tempore Fl. Vespasianus cum Domitiano ad urbem erat, Titus obsidebat Hierosolymam.

— — versam proles tua c) pandet Idumen.
Iamque potest Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, et in omni turre furentem.

II. *Exstant Argonauticon ad Flavium Vespasianum libri septem, et octavi pars*, carmine Heroico, quod Flaccus, *Apollonium Rhodium* imitatus, non invito Apolline scripsit, sed per immatura fata absolvere non potuit; certe integrum ad nos pervenire tempus non permisit. Libros I. II. III. et partem quarti *Poggio Florentino* debemus, ut cognoscere est e Codice Laurentii Pignorii, in quo haec legi refert Vossius pag. 550. de Hist. lat. *C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum est in monasterio S. Galli prope Constantiam XX. millibus passuum, una cum parte Q. Asconii Pediani. Deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat perfectum, nos, quod potuimus, egimus. Poggius Florentinus.* Haec Vossius ex Pignorii Antenore p. 80.

III. Editiones Valeriani poëmatis minus frequentes sunt, quam aliorum poëmatum a claris poëtis scriptorum,

Scardeonius lib. 1. historiae Patavinae pag. 61. T. 6. thesauri Italiae parte 3. et verius forte malint fuisse Patavinum, qua in urbe etiam ossa eius condita esse memorant. Certe domicilio Patavinus fuit, ut notat etiam Sertorius Vrsatus Monument. Patav. p. 180. unde *spes et alumnus Antenorei laris* vocatur Martiali lib. 1. Epigr. 77. confer. lib. 1. Epigr. 62. ubi Patavium *Apona tellus* dicitur, ab *Apono fonte, Antenorea vitam qui porrigit urbe*, ut ait Claudianus. Est et ad Flaccum Epigramma Martialis 49. libri IV. ad quod confer Voss. Institutt. Poëtic. lib. 3. c. 20. §. 10. Porro Argonautica Flacci perstringi a Iuvenale Sat. 1. v. 10. s. notavit Parrhasius Epist. 2. At *Varronis* Atacini Argonautica intelligit Statius 2. Silvar.

Cedet Musa rudis ferocis Enni
Et docti furor arduus Lucreti.
Et qui per freta duxit Argonautas.

Graecos Argonauticon scriptores retuli lib. III. Biblioth. Graecae cap. 21. Latini, praeter Varronem et Flaccum sunt *L. Accius*, cuius sex versus proferuntur a Prisciano de metris Comicis, et *Catullus* Epithalam. 65.

c) Vide Io. Frid. Gronovii diatrib. ad Statium p. 179.

rum, cum ſit ipſum poëma inter exempla perfecti carminis Epici et ſpiritus vere Romani, ſed argumenti argonautici ratio minus apta fuit ad palatum hominum, quia hic multa in nominibus et rebus doctiora, habetque minus multas vias degrediendi ad Epiſodia, et ſimilia, quae eſſent iucunda lectoribus. Atque etiam orationis genus eſt minus facile et ſuave Virgiliano. Ipſa quae exſtant exemplaria variarum editionum a paucis, eandem ob cauſam, ſunt tractata: unde et ipſa earum notitia minus in promtu eſt, quam in ceteris: dixitque et *Burmannus*, in hoc genere literarum tam tritus, minus accurate de iis, quam vellemus, aut lector diligens poſtulet.

IV. Primum edita ſunt haec Argonautica Bononiae 1474. fol. per Hugonem Rogerium et Doninum Bertochum, Regienſes: idque exemplum repetitum eſt 1494. et 1498. ibidem, poſt Pariſiis 1511. in officina Aſcenſiana. Secuta eſt editio Veneta 1501. 4. per Chriſtophorum de Penſis, et ipſa, ut putamus, mera repetitio textus primi: tum Florentina 1503. 8. et 1517. ap. Phil. Iuntam: poſteriorem curavit *Barth. Fontius*, licentius in textu verſatus, praefatus eſt *Benedictus Philologus*. Eodem anno Pariſ. apud Aſcenſium prodiit per *Aegidium Maſerium*, cuius et Commentarius acceſſit, item *Sabellici* notulae.

Primus in textu conſtituendo diligentius et melius verſatus eſt *Io. Bapt. Pius*, qui poëma hoc edidit Bonon. 1519. fol. Nam uſus eſt MS. antiquiſſimo Dacico, e Bibliothecae Matthiae Corvini, qui Thaddaei Vgoleti fuerat. Etiam aliis libris uſum eſſe, ſunt qui dicant. In libro quidem ipſo ſolus ille commemoratur. Additus eſt et L. IV. Apollonii Rhodii ab ipſo verſus cum Comm. et Supplementum L. VIII. itemque L. IX. et X. de ſuo. Secuta eſt Aldina Venet. 1523. 8. cuius editionis curator uſus eſt ille quidem MS. antiquo, ut ait, ſed ita in textu mutando indulſit ingenio, ut Io. Fr. Gronovius Obſ. I, 15. dicat,

dicat, eum omnia ſtolidae audaciae exempla ſuperaſſe: de quo et Heinſius queritur. In eadem editione Pii ſupplementa repetita ſunt. Sed Pii textum fere repetiit *Philippus Eugentinus* Argent. 1525. 8. etſi iactet, ſe textum ad vetuſtiſſima exemplaria recognoviſſe: nam id illis temporibus non ita, ut nunc, intelligebatur, ſed de edd. non proximis. Septem annis poſt 1532. edidit et Colinaeus Pariſiis, nitidiſſime ut omnia, ſed e ſuperiori aliqua editione.

Poſt Pium optime de Valerio textu meritus eſt *Ludov. Carrio*, qui Antverp. 1565. 8. apud Plantinum Argonautica edidit, egregio MS. uſus, cui tamen iuſto plus tribuiſſe putatur, ut et viſum Heinſio. Id exemplum repetitum eſt a. 1566. 12. ibidem, emendatius etiam multo, ut eſt in titulo. Adiectae etiam in calce notae Carrionis, promittentis Commentarium maiorem; qui non prodiit. Poſt hanc editiones fere vel Pii vel ipſius textum ſunt ſecutae, ut Lugd. 1545. 1548. 12. apud Sebaſt. Gryphium, 1604. 12. Genevae 1617. 8. cum notis *Carrionis*, *Schotti* et *Laurent. Balbi*, Hiſpani, item Lugd. 1617. 12. cum *Carrionis* et *Iuſti Zinzerlingii* notis. Lipſiae anno 1630. 8. in qua praeter notas Carrionis, et emendationes *M. Antonii Sabellici*, occurrunt notae *Lamperti Alardi*, *d*) *Chriſtophori Bulaei* et *Io. Weitzii*, tum index omnium vocabulorum ab eodem Alardo concinnatus.

Sed vel ſic multum aberat, ut ſatis conſultum eſſet integritati textus, quo nihil adhuc inquinatius eſſe videbat

d) Siniſtrum de his iudicium Barthii ad Statium T. 3. p. 1256. Iani Broukhuſii ad Propertium p. 108. P. Burmanni praef. ad Flaccum. Cum *Lampertus Alardus* hunc Poëtam a ſe illuſtratum ederet, natus annos fuit non plus quam 27. unde laude fortaſſe digna eius induſtria, non quod non omni parte ſatis fecit eruditis, reprehendendus: niſi audacia contra notanda hominis mediocriter docti et tamen hunc talem poëtam conantis tractare.

bat *Nic. Heinsius* (T. IV. Syllog. Epp. Burm. pag. 355.) Itaque et Ioannes Fridericus Gronovius fatebatur, infinita in eo emendanda restare, (ibid. Tom. III. pag. 419.) qui tamen et bene monebat, cavendum, ne hac ipsa de causa nimis proclivis esset emendator ad mutandum. Itaque bene factum quod eius emendationem suscepit *Nicolaus Heinsius*, quo nemo vel diligentior vel felicior in poëtis tractandis fuit. Is igitur Valerium ad Codices scriptos a se emendatum edidit Amst. 1680. 12. notas quoque additurus, quae tum morte bibliopolae suppressae sunt. Earum spem deinde edendarum fecit Graevius ad Flori lib. I. cap. 16. sed editae demum sunt in minore Flacci editione Traiectina a. 1701. 12. curante Vir Clar. *Petro Burmanno*: de qua ed. vid. Act. Erud. 1702. p. 269. Ea repetita est 1718. et per *Ioannem Antonium Vulpium* cum Indice, Patavii 1720. 8.

Sed idem *Burmannus* dedit editionem novam et maioribus copiis instructam Lugd. Bat. 1724. 4. usus praeter edd. veteres Codd. scriptis tribus ad textum constituendum. In ea sunt, praeter notas integras *Carrionis*, *Balbi*, *Zinzerlingii*, *Bulaei*, *Gerhardi Vossii*, *Nicolai Heinsii*, selectasque *Pii*, *Maserii*, *Weizii*, copiosae et eruditae ipsius, praeterea *Catalogus Argonautarum* e vetustis collectus scriptoribus et diligentissime digestus. Praemissae sunt praefationes edd. priorum et ipsius longa et erudita, de superioribus editoribus et interpretibus. Accessere etiam *Supplementa Pii*, et *Orphei Argonautica* latine, cum Indice Verborum copiosissimo.

Fuerunt etiam alii viri docti, qui novas editiones instituere, vel annotationes aut Commentarios: ut *Mich. Piccartus*, qui Codice Erfurtensi adiutus novam editionem cum commentario molitus est, ut ipse dicit in praefat. Periculorum Criticorum: in quibus ipsis plura

Vale-

Valerii loca tentat. *Barthius* notis ad Guilelmum Britonem XI, 366. ſe molitum novum Commentarium ait. *Iani Parrhaſii* Commentarius ineditus eſt Neapoli, ubi ſe vidiſſe narrat Montefalconius Diar. Ital. pag. 306. Codicem ſcriptum Valerii in *Ioſ. Vallettae* Bibliotheca. *Ratbodi Hermanni Schelii* Emendationes deſiderat Nicolaus Heinſius (in Syllog. Epp. Burmann. T. II. p. 811.) *Iſaacus Voſſius* promiſit, ſe fratris *Gerhardi Voſſii* notas editurum, ad Melam pag. 12. Etiam *Egnatium* in Valerio expoliendo laboraſſe reperimus, et *Ioannes Vlricus Meurerus* Corpus ſcriptorum Argonaut. et in eo Flacci recenſionem promiſit — Plura etiam loca tractavit *Ioannes Fridericus Gronovius* in Obſerv. libris, et Vir doctus in Miſc. Dorvillianis Vol. IV. Tom. II. pag. 157 — 192. qui et e libris ſex prioribus loca plura attulit, in quibus Homerum imitatus eſt poëta.

Habeo exemplum editionis Bononienſis 1498. cum variis lectionibus manu veterrima adſcriptis, in his etiam verſibus aliquot, quae in edd. pr. non ſunt, ſed et ab aliis inſertis e manuſcriptis libris. Putavi eſſe e Codice Farneſiano, ſed lectiones cum nulla editione vetere omnes conſentiunt, ut e libro ſcripto ductae eſſe videantur. Sed dum eas comparo cum editione Burmanni, reperi ed. Bononienſem non ſatis diligenter conſultam eſſe ab Heinſio et Burmanno: nam interdum eius auctoritate poterant uti ad lectiones firmandas, quae ipſis placebant.



CAPVT



CAPVT XV.

DE

M. FABIO QVINTILIANO.

I. *Quintiliani aetas.* II. *Libri XII. Institutionum Oratoriarum.* III. *Libri duo artis Rhetoricae deperditi.* IV. *Institutionum laus et editiones.* V. *Index Scriptorum etc. in Quintiliani institutionibus.* VI. *Declamationes minores Quintiliano tributae.* VII. *Aliae undeviginti maiores.* VIII. *Dialogus de Oratoribus, num Quintiliani?* *Ibid. De Calpurnio Flacco.*

I. M. FABIVS QVINTILIANVS *a*) ex Tarraconensis Hispaniae oppido Calagurri, post Neronis necem adolescens admodum a Galba Romam perductus, postquam cum magna gloria in foro *b*) versatus erat, Rhetoricam docuit per annos viginti, *c*) quibus

a) In monumentis antiquis legitur Quinctilianus, perinde ut Quinctus, Quinctius, Quinctilis etc. Sed vulgatum scribendi usum praetuli. Praetuli itidem vulgarem de patria Fabii sententiam, Radero etiam probatam ad Martialem p. 239. licet auctori vitae visus est fuisse Romanus. Sane Hieron. in Vigilantium, init. *Iste caupo Calagurritanus et in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miscet aquam vino.* Ausonius: *Adserat usque licet Fabium Calagurris alumnum.* Idem Hieron. et Cassiodorus in Chron. *Quintilianus ex Hispania Calagurritanus, primus Romae scholam publicam et salarium e fisco accepit.* centenum scilicet sestertiorum ut e Suetonii Vespasiano c. 18. colligitur. Conf. Cresollii theatrum Rhetorum IV, 3. et de Quintiliano Nic. Antonium in Bibliotheca vetere Hispana, Baelii dictionarium editionis secundae et clariss. Dodwelli Annales Quintilianeos. Oxon. 1698. 8. Alius Quintilianus (nostri fortassis pater vel avus) de quo Seneca pater in controversiis.

b) Quintil. lib. 2. c. 12. Institt. *Nos quando et praecipiendi munus etiam pridem deprecati sumus, et in foro quoque dicendi, quia honestissimum finem putabamus desinere cum desideraremur.* Hinc *gloria Romanae togae* dicitur Martiali II, 9.

c) Vide prooem. libri I. sub init. Ex discipulis Quintiliani illustribus fuere C. Caelius Orator et Plinius iunior, qui eum modicis facultatibus fuisse testatur Ep. 6, 32. Praeceptor Quintiliani *Palaemon* Grammaticus, teste Schol. Iuvenalis VI, 451.

bus elapsis, otio et quiete studiis suis circa a. C. 88. impetrata, sub Domitiano scripsit, qui sororis suae nepotem eius delegaverat curae.

De vita Quintiliani praeter Annales *Henrici Dodwelli* Quintilianeos ad calcem voluminis 1. edit. Burmannianae et in Capperoniana editione recusos, scriptoresque alibi laudatos, consulendus Tillemontius Hist. Imperatorum, Tom. 2. in Domitiano cap. 22. et Gallicus Quintiliani interpres *Nic. Gedoyn*, qui Romanum fuisse, nec a Galba demum a. C. 69. (ut tradit Hieronymus in Chron.) perductum Romam, sed Domitium Afrum iam a puero Romae auditum observat, qui obiit anno C. 59. Salarium annuum, quod Quintilianus e fisco pro scholis Rhetoricis accepit, fuit *centena sestertia*, quae nostra pecunia tria millia scutatorum amplius aequant. Vxorem habuit Tutilii Rhetoris filiam (v. Cl. Rhunkenii praef. ad Rutilii Lupi libellum de Figuris) unde suscepit filium, cuius decennis mortem deplorat in praef. L. VI. Praeter Quintilianum, patrem vel avum nostri, cuius apud Senecam Rhetorem mentio, alius fuit *Iulius Proculus Quintilianus*, de quo Reinesius Epistolis ad Rupertum p. 300. Alius *Quintilianus*, Praetor Marcianopolitanorum, est apud Harduinum de numis urbium p. 312. A. Κυιντιλιανȣ̃ Μαϱκιανοπολιτῶν, et *Quintilianus*, Praetor Pergamenorum et Ephesiorum in numo Commodi Imp. apud eundem Harduinum p. 392. ἐπὶ ϛϱατηγȣ̃ Κυιντιλιανȣ̃ Πεϱγαμηνῶν καὶ Ἐφεσίων. Alius denique *Aristides Quintilianus*, Graecus scriptor, de cuius libris tribus de Musica v. lib. 3. Biblioth. Graecae cap. 10. §. 4. *Quintiliani Martyres*, de quibus Acta Sanctor. 4. 13. 16. April. *Quintilianus*, cui rescribunt Alexander et Severus atque Antoninus lib. VII. Codicis Iustinianei tit. 2. l. 5. et tit. 45. l. 1. Ceterum de rebus ad Quintilianum eiusque operis historiam pertinentibus adeant

adeant studiosi inprimis *Gesneri* praefationem ad editionem eius Institut. Orat.

II. Exstant eius *libri XII. d*) *de Oratoria institutione*, ad Marcellum *e*) Victorium, amicum suum, (s. ut Io. Sarisb. Polycrat. VII, 14. appellat *de Institutione Oratoris*, quibus *Epistola ad Tryphonem Bibliopolam*, qui editionem maturari postularat, praemittitur. Hoc opus Fabius in futuros usus filii sui paraverat: sed hic nondum dimidio absoluto, ut ante dictum, decennis obiit, quod incredibiliter dolet pater in praefatione ad librum sextum. Quintiliani institutiones, sub Domitiano, quem laudat, *f*) scriptos, sed sub Traiano demum editos suspicatur Catanaeus ad Plinii lib. 2. Epist. 1. quanquam verisimile est, mali principis laudes, praeteritis veris boni Principis laudibus, non manare in vulgus passurum Quintilianum, nisi adhuc vivi ac spirantis; a quo si non surrogatus T. Flavio Clementi a. C. 95. Consul est, cuius filios instituerat, certe consularia ornamenta fuit consecutus, ut testatur Ausonius in panegyr. Incidit Domitiani mors in a. C. 96. De *Tryphone*, cuius mentio fit apud Martialem IV, 73. videnda *Christiani Schoettgenii* diatriba de librariis et Bibliopolis veterum Lipsiae edita a. 1710. *Titulos capitum* a Quintiliano esse, bene negat Burmannus pag. 14. Epistolae ad Capperonerium.

Hos

d) In Bibliotheca Gesneriana Simleri et in Bibl. curiosa Hallervordi perperam sedecim libri memorantur. Hos Fabii libros duodecim Hilarium, in opere de Trinitate, et stilo imitatum esse et numero, testatur Hieronymus Epist. 84. ad Magnum Oratorem, et ad Pammach. de optimo genere interpretandi.

e) Fallitur auctor vitae, qui hunc Marcellum confundit cum filio Quintiliani. fortasse fuit pater Marcelli, ad quem silva Statii Poëtae lib. IV. Vide Franciscum Bivarium ad Chronicon Lucio Dextro suppositum p. 216.

f) Praef. lib. 1. & 4. et III, 7. p. 267. et X, 1.

Hos libros primus e Monasterio S. Galli eruit Poggius Florentinus, incredibili eruditorum, Leonardi praesertim Aretini, gaudio inventos. Poggius ipse narrat in Epistola ad Guarinum Veronensem, data 16. Dec. 1419. ex MS. Bibliothecae Paulinae integra primum edita a Io. Gottl. Krausio: g) *Huius sermonis ornandi atque excolendi cum multi praeclari, ut scis, fuerint latinae linguae auctores, tum vel praecipuus atque egregius* M. Fabius Quintilianus: *qui ita diserte, itaque absolute summa diligentia exequitur ea, quae pertinent ad instituendum perfectissimum oratorem, ut nihil ei vel ad summam doctrinam, vel singularem eloquentiam meo indicio deesse videatur: quo uno solo, etiamsi Cicero Romanae parens eloquentiae deesset, perfectam consequeremur scientiam recte dicendi. Is vero apud nos antea (Italicos dico) ita laceratus erat, ita circumcisus, culpa, ut opinor, temporum, ut nulla forma, nullus habitus hominis in eo recognosceretur. Tute hominem vidisti hactenus*

lacerum crudeliter ora;
Ora manusque ambas populataque tempora, raptis
Auribus et truncas inhonesto vulnere nares.

Dolendum quippe erat et aegre ferendum, nos tantam in hominis tam eloquentis foeda laceratione iacturam oratoriae facultatis fecisse. Sed quo plus tunc erat doloris et molestiae ex eius viri mutilatione, eo magis nunc est congratulandum, cum sit in pristinum habitum ac digni-

g) In der umständlichen Bücher-Historie, Lips. 1715. 8. parte I. pag. 42. Partem illius Epistolae Poggii dederat Mabillonius pag. 211. itineris Italici et Menagius I. anti Bailleti p. 46. Integram exhibet etiam **Iacobus Lenfant** ad calcem Poggianorum Amst. 1720. 8. p. 309. Vide item Poggii Opera Basileae edita p. 272. 394. Menagiana Tom. I. p. 97. et Tom. 4. pag. 90. Iulium Nigrum in historia scriptorum **Florentinorum vulgata Italice p. 473.**

dignitatem, in antiquam formam atque integram valetudinem nostra diligentia restitutus. Nam si M. Tullius magnum prae se fert gaudium pro M. Marcello restituto ab exilio; et eo quidem tempore, quo Romae plures erant Marcelli similes, domi forisque egregii ac praestantes viri: quid nunc agere docti homines debent et praesertim studiosi eloquentiae, cum singularissimum lumen Romani nominis, quo extincto nihil praeter Ciceronem supererat, et cum modo simili lacerum ac dispersum non tantum ab exilio, sed ab ipso paene interitu h) revocaverimus? Nam me hercule! nisi nos auxilium tulissemus, necesse erat illum propediem interiturum. Nam neque est dubium virum splendidum, mundum, elegantem, plenum moribus, plenum facetiis foeditatem illius carceris, squalorem loci, custodum saevitiam diutius perpeti non potuisse. Moestus quidem ipse erat ac sordidatus, tanquam mortis rei solebant: squalentem barbam gerens ac concretos pulvere crines: ut ipso vultu atque habitu fateretur ad immeritam sententiam se vocari. Videbatur manus tendere, implorare Quiritum fidem, ut se ab iniquo iudice tuerentur; postulare et indigne ferre quod qui quondam sua ope, sua eloquentia multorum salutem conservasset, nunc neque patronum quempiam inveniret, quem misereretur fortunarum suarum, neque qui suae consuleret saluti, aut ad iniustum rapi supplicium prohiberet. Sed quia temere persaepe eveniunt, quae non audeas optare, ut inquit Terentius noster, fortuna quaedam fuit cum sua, tum maxime nostra, ut cum essemus Constantiae otiosi, cupido incesseret visendi eius loci, quo ille reclusus tenebatur. Est autem monasterium S. Galli *prope urbem hanc millia passuum XX. Itaque nonnulli animi laxandi, et simul perquirendorum librorum, quorum ma-*

h) *In avitam patriam*, addit Mabillon.

magnus numerus esse dicebatur, gratia eo perreximus. Ibi inter confertissimam librorum copiam quos longum esset recensere, Quintilianum *i) comperimus, adhuc salvum et incolumem, plenum tamen situ, et pulvere k) squalentem. Erant enim non in bibliotheca libri illi, ut eorum dignitas postulabat, sed in teterrimo quodam et obscuro carcere, fundo scilicet unius turris, quo l) nec capitalis quidem rei damnati detruderentur. Atqui ego pro certo existimo, si essent qui haec barbarorum ergastula, quibus hos detinent viros, rimarentur ac cognoscerent more maiorum, similem fortunam experturos in multis, de quibus iam est conclamatum. Reperimus praeterea libros tres primos et dimidiatum quarti* C. Valerii Flacci Argonauticon, *et expositiones tanquam thema quoddam super octo Ciceronis Orationibus* Q. Asconii Pediani, *eloquentissimi viri, de quibus ipse meminit Quintilianus. Haec mea manu transcripsi et quidem velociter, ut ea mitterem ad Leonardum Aretinum, et Nicolaum Florentinum. m) Habes, mi suavissime Guarine, quod ab homine tibi deditissimo ad praesens tribui potest. Vellem potuissem etiam librum transmittere; sed Leonardo nostro satis faciendum fuit. Verum scis, quo sit in loco, ut si eum voles habere, puto autem te quamprimum velle, facile id consequi valeas. Vale et me, quoniam id mutuo fit, ama. Constantiae XVII. Kalend. Ianuar. Anno Christi M.CCCCXVII.*

Idem Poggius in dialogo de infelicitate Principum, de se loquens: *Suscepit hic olim diligentiam et laborem per-*

i) *Reperimus* Mabill.

k) *Refertum* Mabill.

l) *Nec vita quidem damnati detruderentur*, Mabill. *ne capitales quidem rei*, Menag.

m) Addit Mabillon: *qui cum a me huius thesauri adinventionem cognovissent, multis a me verbis Quintilianum per suas litteras quam primum ad eos mitti contenderunt.* Haec in Lipsiensi codice desiderantur.

peragrandae Alemanniae, librorum perquirendorum gratia — qua in re multum profuit Latinis Musis eius industria. Nam octo Ciceronis Orationes, integrum Quintilianum, Columellam, qui antea detruncati et deformes apud nos erant, et item Lucretii partem, pluresque alios Latinae Linguae auctores praeclaros restituit nobis. Franciscus Barbarus Venetus (non Guarinus Veronensis qui in illa p. 55. laudatur) in collaudatione ad Poggium, data Venet. 1417. 7. Iul. *Tu Tertullianum, tu M. Fabium Quintilianum, tu Q. Asconium Pedianum, tu Lucretium, Silium Italicum, Marcellinum,* n) *tu Manilium Astronomum, L. Septimium* (Daretis interpretem,) *Valerium Flaccum, tu Caprum, Eutychium, Probum Grammaticos, tu complures alios Bartholomaeo* (de Monte politiano) *collega tuo, adiutore, vel fato functos vita donasti, vel longo ut aiunt postliminio in Latium reduxisti. — Maius quoddam a te Romanae litterae, quam adhuc praestiteris exspectant, quod in eam spem adductae sunt, ad hoc enim natus esse videris, ut per te Ciceronis de Rep. et Varronis divinarum ac humanarum rerum, et Crispi et Livii libros, et Catonis origines, ut caeteros omittam, recepturi sint.* Leonhardus Aretinus lib. IV. Epist. p. 160. ad Poggium: *Quintilianus tuus laboriosissime emendatur, permulta enim sunt in nostro vetusto Codice, quae reddenda tuo videantur.*

*

Codicem ipsum MS. Poggii, Constantiae, sede Apostolica vacante diebus 53. in Biblioth. S. Galli descriptum, exstare Londini in Bibliotheca illustrissimi Comitis Sunderlan-

*) In Diario Veneto, Giornale de' Letterati d'Italia T. IX. p. 178. Nonius Marcellus etiam a Poggio repertus traditur: fortasse pro Ammiano Marcellino. Adde T. X. pag. 417. Lectus Quintilianus et laudatus etiam a Francisco Petrarcha lib. 1. Epist. 6. et 7.

derlandiae, notavit Gedoynus. Etiam apographum Codicis Poggiani, ante ducentos annos exaratum, fuit in Bibliotheca Nic. Heinsii, et ex illa venit in Colbertinam, ibique asservatur n. 1217. Omitto aliud, quod fuit in Bibliotheca Marckiana pag. 155. Codex porro Quintiliani, quem Romae scribi iussit Pius III. Pontifex, exstat Gothae in Bibl. Serenissimi Ducis, n. LXVI. *o*) In Bibl. Thuana Tom. 2. p. 465. memorantur Quintiliani Institutiones scriptae manu Laurent. Vallae, cum eius notis. Cum notis Vallae fuere etiam in Bibl. illustris Vallettae. Ex MS. Farnesiano quaedam emendat Latinius Tom. 2. Epist. p. 46. adde p. 37. 41. 42. 58. et de aliis tribus Codicibus Tom. 1. p. 231. Ex Codice, quem a Melch. Hittorpio acceperat, loca nonnulla castigat Ianus Guilelmius III, 14. Verisimilium. Ex alio, quem a Rittershusio habuit, Mich. Piccartus cap. 18. pericul. Critic. Alium Basileensem vide laudantem Barthium XIV, 18. Adversar. ubi ex eo emendat locum Fabii IV, 2. ex Caelio Antonium temulentum ac stertentem nobis depingentis. Alii Codices aliis in locis servantur, ut in Bibl. Regia Paris. Bodleiana Oxonii. Florentiae novem sunt in Medicea, alius in monasterio S. Mariae, alius Fesulis in Bibliotheca S. Cosmae in Coenobio Canonicorum: Lugduni Bacavorum tres inter libros Vossianos, Bernae item alius ac Coloniae, alius denique in nostra (E) Bibl. chartaceus, qui olim in Bibl. Nic. Ios. Foucaut, nuper Kappii fuit, chartaceus, sine graecis: ex edito exemplo forte ductus. Graeca se suppleſſe in Codicibus Quintiliani, Macrobii, Gellii, et Pliniorum testatur Angelus Decembrius lib. VII. de politia literaria p. 592. ubi nomina figurarum Graeca exhibet. Andreas Masius in Iosuam pag. 49. *Veteres* moenire

 pro

o) Specimina lectionum ex illo Codice vide ubi lubebit in Actis Eruditor. a. 1721. pag. 71. seq. et T. VII. supplementi p. 480. seq. De aliis Codicibus Fabii MS. Matthaeus Larroque praefatione ad librum Gallice editum *Nouvelles accusations contre Mr. Varillas* * 4.

pro munire *videntur dixisse, quod verbum in vetustis ego Fabii exemplaribus scriptum reperi.*

Ille *Gallensis* ubi sit, et quid eo factum sit, in eo non consentire reperi scriptores. E Mabillonii Itin. Germ. p. 34. colligas, eum adhuc esse in illo monasterio: nam eo redisse etiam colligas e P. Mosellani epistola inter Goldasti epist. Philol. p. 156. Sed Vadianus in praef. ad Melam ait, eum Bibl. Florentinae illatum esse: in qua se vidisse clare profitetur Raph. Regius in prima ad Quintilianum nota. In ea nunc tamen non est, ablatus inde olim cum aliis. Sed praeter hunc Helveticum alius Codex eodem fere tempore in Italia repertus est per Leonh. Aretinum, ut tradit Vadianus idem de Monast. Gallensis Bibl. p. 161. in Goldasti Script. Alemann. T. III. sed vitiosum et mancum. vid. et Laur. Mehus in Vita Aretini p. 43. Ex his vero libris duobus Quintiliani opus recensuere et emendatiora exempla curavere idem ille Aretinus et Barzizius, quae per totam Italiam sparsa sunt. vid. Furietti Vitam Barzizii ante eius opera p. 36. Ex his igitur apparet Codices Quintiliani omnes esse vel ex uno exemplo Gallensi ortos, vel ex illa Barziziana recensione fluxisse: sed plerosque ex hac.

III. In prooemio testatur Quintilianus, se eo magis hoc opus institutionum ad summam perducere destinasse, quod *duo* iam sub nomine ipsius *libri* ferrentur *artis Rhetoricae*, neque editi ab ipso, neque in hoc comparati, ut ederentur. *Namque alterum*, inquit, *sermone per biduum habito pueri, quibus id praestabatur, exceperant, alterum pluribus sane diebus, quantum notando consequi poterant, interceptum boni iuvenes sed nimium amantes mei, temerario editionis honore vulgaverant.*

His

His binis libris deperditis *p*) bene eſt, quod aetatem tulerunt pulchri illi inſtitutionum libri, quibus accuratiſſime Fabius et copioſiſſime futurum oratorem inſtruit, non praecepta tantum proponens, verum *ab utero matris ſuſceptum infantem limare incipiens, format in Oratoris perfecti ſubſtantiam*, ut verbis utar Wibaldi, Abbatis Corbeienſis, ſaec. XII. clari, Epiſt. 147. T. 2. monument. V. C. Edmundi Martene p. 338. *q*) Elementa enim, progreſſum, rationem, uſum, exercitationem ponit ante oculos, non paucis adiectis, quae Cicero vel praetermiſit vel obiter attigit: quod genus ſunt de ratione concitandorum affectuum, de generibus et uſu ſententiarum, de modis amplificandi, de inventione propoſitionum, de partiendis iiſdem ac digerendis, de tranſmigratione ac concurſu ſtatuum, de modo legendi, imitandi, ſcribendi. Et D. Lutheri noſtri iudicio: *r*) *Quintilianus unus eſt, qui optimos reddit adoleſcentes, imo viros. Hunc unum rogo ante omnia ne derelinquas — — — Ego prorſus Quintilianum fere omnibus auctoribus prae-*

p) Extat liber ſub tit. *M. Fabii Grammatica admodum brevis, et ſtudioſae pubi admodum utilis* Pariſ. ap. Petrum Viart, ſ. l. et a. ſed libellus nihil aliud habet, quam L. I. Inſtit. Or. c. IV - IX.

q) v. Eraſmus in Ciceroniano p. 91. cui adde haec Rapini Obſervatt. de Eloquentia: *Quintilien prend celui, qu'il deſtine à l'eloquence dès berceau, & d'entre les bras de ſa nourrice, pour l'elever à l'etude de cet art et pour le mener pas a pas par tous les degrez des ſciences, qu'il y croit neceſſaires. Dans* le premier *livre il lui choiſit un precepteur domeſtique pour luy former la langue par les premiers elemens de la pronunciation de la Grammaire. Il le mene dans* ſecond *livre aux écoles publiques pour y étudier la Rhetorique, dont il luy explique la nature et les parties, qui ont rapport à cet art: au* troſieme *livre il developpe ce qui regarde l'elocution, et dans les* quatre *livres* ſuivans: *dans le* ſeptieme *il enſeigne ce qui appartient à la diſpoſition et l'oeconomie du diſcours, qu'il continue de traiter dans le* huitieme, neuvieme, dixieme *et* onzieme. *Et dans le* doucieme *il decrit tout ce qui appartient a la perſonne de l'Orateur, pour luy former le coeur et l'eſprit, et dont il fait un fort honneſte homme.*

r) Epiſt. ad Georgium Spalatinum, inter eas quas Rev. Ioannes Franciſcus Buddeus primus edidit pag. 8. Ad Fabii exemplum Inſtitutiones Medicas adornavit praeſtantiſſimus Vir Ioan. Baptiſta Morgagnus, quarum vulgavit ideam Patavii a. 1712. 4. Vide Diarium Venetum eruditorum Italiae T. XI. p. 409.

praefero, qui ſimul et inſtituit, ſimul quoque eloquentiam monſtrat, id eſt verbo et re docet quam feliciſſime. Nec ſine cauſa Muretus lib. XVIII. 20. Var. Lect. indignatur, pro vetere more Quintilianum adoleſcentibus praelegendi invaluiſſe et frequentatum eſſe uſum muſteorum compendiorum. In principio quidem inſtauratarum literarum lectiones rhetoricae Quintiliani interpretatione conſtabant, et qui in Lipſ. Academia nunc Profeſſor Eloquentiae dicitur, inſtitutus eſt ab initio ſic, ut *Quintiliani Profeſſor* eſſet et diceretur. Atque ea fuit cauſſa multitudinis editionum, prima illa aetate ultra medium uſque Sec. XVI. factarum.

IV. Editiones Inſtitutionum Quintiliani magna cura collegit, qui ſcriptoris illius ἔκδοσιν meditabatur, praeſtantiſſimus Vir *Theod. Ianſonius Almelovenius:* idem morti vicinus (quam obiit Iulio a. 1712.) collectas a ſe legavit Bibliothecae Traiectinae: curavit etiam ſingulari folio excudi illarum, quas vel ipſe poſſideret vel alibi exſtare comperiſſet, ſyllabum ordine annorum, quibus lucem viderunt digeſtum, quem Ioan. Maſſonus T. V. Hiſtoriae Criticae Reip. literariae p. 356. inſeruit. Numeroſiorem celeberrimus Burmannus praemiſit Quintiliano ſuo, quem repetiit Capperonerius; pleniorem item poſt Io. Matthias Geſnerus in capite editionis ſuae: ſed hi omnes catalogi ſunt tenues et ieiuni, parum aut nihil profuturi Criticae rei ſtudioſo, aut etiam hiſtoriae textus Quintilianei. Itaque nos eas, ex inſtituto noſtro, recenſebimus ex noſtris maxime obſervationibus, quoad ſciemus poterimuſque. De antiquis Quintiliani editionibus extat Maettarii diſſ. ad Io. Clericum, Lond. ed. 1719. 4. in qua p. 11-28. exhibentur ſpecimina Lectionum, quibus ab ed. R. Stephani differt editio Galli, et quaedam editiones in Annalibus eius typogr. non memoratae, indicantur: ne quis omnium antiquarum editionum notitiam ibi quaerat.

Ini-

Initium edendi factum est Romae, primum per Vlricum Han siue Gallum Viennensem a. 1470. (nam ed. a. 1468. non extat) fol. quam curavit *Io. Antonius Campanus*, Teramensis tunc, postea Aprutinus Episcopus; cuius vide Epistolas Lipsiae 1707. 8. ex editione Operum Campani Veneta a. 1502. f. in lucem reductas p. 550. seq. ubi habes perelegantem Campani praefationem, qua Quintilianum confert cum Cicerone. Subscriptio docet absolutum esse opus mense Augusto. Ex specimine Maettariano l. c. patet, in ea esse quaedam bonarum lectionum in locis vitiosis vestigia.

Iterum eodem anno Romae ap. Conradum Schweinheim et Arnold. Pannartz, f. prodiere cum *Io. Andreae* Episcopi Aleriensis Epist. ad Paulum secundum Pontificem. Prioris mentionem diserte facit Ioannes Andreas his verbis: *Hunc* (Quintilianum) *proximis calorum urbis diebus mediocri cura recognovimus, minore sane labore quam caeteros, propterea quod ab homine ordinis nostri excellenti* (Io. Campano) *ante traditus erat alteri talium opificum officinae imprimendus.*

Anno post Venetiis, ut est ad calcem, in fol. *Quintilianum eloquentiae fontem ab eruditissimo* Omnibono Leoniceno *emendatum M. Nic. Ienson Gallus viventibus posterisque miro impressit artificio.* Omnibonus Leonicenus in Epist. ad Moysen de Busarelis, Episcopum Belunensem de primae editionis vitiis conqueritur his verbis: *qui tertio ante anno librum ipsum auditoribus nostris exponere aggressus, ita vitiatum repereram* etc. Haec editio est valde bella: sed habet etiam vitia sua. Graeca non sunt expressa. Vicissim lectiones bonas reperi, ab editoribus recentioribus non notatas: unde eos hac editione non usos, aut parum diligenter usos patet. In Gesneriana quidem editione lectiones Iensonianae valde negligenter notatae sunt, ut

ut nos conferendo reperimus. Notabilis est lectio, Lib. IX, 4. *dochmius*, quae est sine dubio vera, recteque a Capperonerio, quamquam sine auctoritate librorum, recepta in textum, cum aliae habeant *dochimus*, ut vulgatae Ciceronis in Oratore. Ceterum Leonicenus nihil de libris, quibus in emendando usus sit. Nec dubitem eum, ut et in aliis libris fecit, ingenio magis quam libris nixum, in corrigendo fuisse. Fuit tamen haec prima recensio Critica.

Ex his fluxere, quae mox secutae sunt, Mediolanensis per Zarotum 1476. fol. Tarvisina et Venet. 1482. fol. et Parmensis 1490. f. Tarvisina quidem, cuius exemplum est in Bibl. Lipf. Paullina, exprimit textum Iensonianae, sed admistis multis vitiis operarum. Auctor eius fuit *Andr. Ponticus*, Brixiensis, qui ita loquitur in praefatione, tanquam magna cura rem egerit. Ceterum vere iudicat, cum dicit, qui Quintilianum recte tractare velit, eum esse debere omnium artium liberalium peritum.

Novi per criticam recensionem exempli post Leonicenum auctor fuit *Raphael Regius*, edito primum specimine observationum criticarum in Quintilianum, in Dialogo de quibusdam Quintiliani locis edito Ven. 1490. cuius libelli emendationes ab aliquo, se inscio, in textum illatas queritur in epistola, quae in ed. Ovidianarum Metamorphosium est. A quo id factum sit, et in quo exemplo, nescimus: suspicamur de Parmensi. Textum ipsum cum notis suis edidit primum Venet. 1493. f. iterum 1506. 1512. f. quae sunt prima correctiores et a vitiis operarum puriores. Correctiones suas non omnes in textum recepit, ut post factum ab aliis. Partem notarum sublectam esse *Laur. Vallae*, exprobravit ei Badius: eas Vallam, Quintiliani admiratorem unicum, scriptas habuisse in exemplo scripto. Nec falso exprobravit. Nam

Nam in ed. Venet. 1494. f. cum Vallae et Pomponii Laeti notis, prima v. c. Vallae, tota eſt et Regii in ed. 1493. Sed haec Veneta editio recepit omnes correctiones Regii, ut nos, comparatis aliquot libris, vidimus. Quod autem eadem editio in titulo habet notas *Vallae*, *Pomponii* et *Sulpicii:* primum notae Vallae et Pomponii deſinunt cum libro ſecundo, ſuntque Vallae plerumque breves: *Sulpicii* nullas reperimus: ſed ceterae omnes inde a libro III. ſunt *Regii:* videturque factum eſſe fraude librarii, volentis perſuadere hominibus, omnia ſua eſſe nova. Itaque nec nomen Regii in titulo poſuit, nec eius praefationem repetiit, ſed Campani et Leoniceni. Romanam 1496. f. non vidimus.

In hanc fere aetatem incidere videtur ea, quam Maettarius l. c. commemorat ſ. l. et a. pulcerrima literarum forma: quam eſſe repetitionem Ienſonianae, multis ῥήσεσι comparatis, cognovimus: habetque etiam Lib. IX. ea lectionem *dochmius*. Praepoſita eſt etiam praefatio eadem. Ceterum et Graeca expreſſa ſunt, quae ab Ienſon. abſunt.

Paucis annis poſt 1510. Florentiae 8. e Iuntina officina prodiit editio nova, repetita a. 1515. cui, ut multis aliis Iuntinis libris, praefuit *Nicol. Angelius*, quem dicit Iunta multa exemplaria contuliſſe, ſed eorum ope parum efficere potuiſſe, eoque nomine et ipſum queſtum eſſe, ceterum multas maculas deterſiſſe. Eſt utique textus Regii et in hac editione: a quo tamen interdum eſt diſceſſum, ut X, 1. extr. ubi omnes edd. ſuperiores habent, quoad ſcimus, *Cornelius Celſus* Sextios *ſecutus*, haec *Sceptios*, ex quo poſt *Scepticos* factum, quod videtur dare voluiſſe Angelius. Hanc excepit *Aldina* a. 1512. et 1521. 4. Ei praefuiſſe dicuntur *Naugerius* et *Ioannes Bapt. Rhamnuſius:* ſed eorum cura tantum correctionem ſpeciminum typographicorum amplexa videtur: nam

nam est mera repetitio Iuntinae, habetque etiam illam Lectionem *Sceptios*, et alias novas Iuntinae.

Eadem, quae Iuntinae, professio est *Godofr. Torini* in editione Lugd. 1510. 8. et quoti cuiusque non? Nos nihil reperimus a ceteris diversi, quod non sit in Iensoniana et Tarvisina. Nostro exemplo vir doctus (est autem antiqua manus) lectiones alias in margine plures adscripsit, nempe ex aliis edd. ut Regii, cuius et coniecturam notabilem L. X. pr. *Coelius* pro *Zoilus* adscripsit, sed sine nomine, et alias, ex Aldina inprimis, quam interdum et nominat, quae hoc ipsum *Coelius* in textu habet ut Iuntina. L. X. ubi in textu habet lectionem veterem *Sextios*, in margine scripsit: alii *Scaptios*, sc. de coniectura: nam in editis haec lectio non est: adscripsit locum Ciceronis de Scaptiis, negotiatoribus: quod est valde alienum ab h. l. Parisiis 1516. fol. primum apud Io. Badium Ascensium editus est cum notis *Raph. Regii, Georgii Merulae* (quae modo a lib. XII. cap. 7. ubi desinunt Regii, incipiunt) et *Badii*, qui ex Laurent. Vallae codice sexcenta loca restituisse se iactat: quod exemplum saepe in eadem officina repetitum est, sequiturque textum Regii. Tales suspicor esse alius Parisienses, ut 1527. apud P. Vidovaeum et Venetiis eod. a. cum Regii notis.

Coloniae apud Eucharium Cervicornum fol. 1521. editus est Quintilianus curante *Gottfr. Hittorpio*, qui in praefatione ad Melanthonem nil aliud dicit, quam se curasse, ut diligenter excuderetur opus. In Institutionis Or. opere in margine sunt lectiones variae interdum additae. Hanc editionem a. 1527. repetitam esse reperi, item a. 1538. f. Sed eo anno Basileae *Petri Mosellani* notae in Institutionum Quintiliani libros VII. primores prodierant, quae adiunctae sunt anno post Parisiis repetitae editioni Ascensianae anni 1528. additis etiam XIX. *Declamatio-*

mationibus cum eiusdem *Badii* notis et 1531. in qua et *Guil. Philander* elaboravit, additis brevibus notis, quae et separatim Lugd. 1535. editae erant cum promissione iusti commentarii, qui tamen non in lucem venit, accesseruntque et declamationes. Eodem anno 1531. etiam alia Parisiis editio facta apud Nic. Savetier, ex Ascensiana expressa, cuius et praefatio a. 1519. praeposita est. Sed et 1528. Coloniae, 8. ap. Ioannem Soterem prodiisse reperi, ut ap. Gesnerum in Bibl. A. 1529. autem Basil. f. cum *Io. Sichardi* praefatione et notis, ap. Bebelium.

Anno 1533. Paris. fol. apud Antonium Augerellum prodiisse Quintilianum tradunt, nihil aliud. Anno post Coloniae 8. apud Ioannem Gymnicum, cum *Gisberti Longolii* praefatione notulisque, item *Io. Sichardi*, et in duos primores libros *Ioach. Camerarii.* Sunt et aliae minores Colon. 1541. 1536. apud eundem Gymnicum et Io. Soterem 1535. 8.

Saepe Quintilianus editus est ex officinis Gryphianis, Sebastiani, Francisci, Antonii, de quibus uno loco dicemus. Et *Sebastianus* quidem Lugduni edidit, quod nos quidem reperimus, sexies, a. 1534. 1536. 1540. 1544. 1549. 1555. 8. *Franciscus* Parisiis 1536. fol. 1539. 4. 1543. 4. *Antonius* denique Lugd. 1575. 1585. sed in his nulla sunt, quantum reperire potuimus, novi textus exempla. Nam quod v. c. Franciscus dicit, se homini non imperito mandasse curam textus, collatis exemplis aliis, corrigendi, id nihili est. Idemque locum habet in plerisque aliis Parisiensibus editionibus, apud Vidovaeum 1538. 4. 1541. et Vascosanum 1538. et 1541. apud Io. Roigny, quae repetit Parisiensem 1536. apud Ascensium, ex *Io. Ludovici Tiletani* recensione factam, cuius opera tum Parisienses typographi utebantur. Dicit Tiletanus, se libros etiam scriptos contulisse, non quos, et Commentarium pollicetur: interea loca, in quibus haerebat, asteriscis notavit,

vit, et in fine coniecturas suas proposuit: in plerisque tamen τὸ ἐπέχειν secutus est.

Anno 1538. primum Lugduni 8. cum XIX. *Declamationibus* editus est 1538. ap. haeredes Sim. Vincentii; de qua nihil nobis aliud constat. Parisiis deinde 1538. f. apud Gervasium Chevallonium, per *Petr. Gallandium*, qui in partes minores distinxit, argumenta addidit, quae in altera editione auctiora facta sunt, quaedam etiam, ut dicit, ex libris correxit, et notulas in margine scripsit valde paucas illas, cum notis *Petri Mosellani*, *Ioach Camerarii* in lib. I. et II. et *Antonii Pini*, Lusitani in librum III. denique Paris. fol. apud Mich. Vascosanum cum notis iisdem et cum XIX. *Declamationibus*, repetita illa 1542. et 1544. 4. et saepius: optima est 1549. 4. quae repetita est a. 1584. ap. Stoerium 8.

Sed his clarior habetur editio primum facta a. 1541. 4 Instit. Or. a. 1542. Declam. apud *Sim. Colinaeum*, quam valde laudat aliquis vir doctus in Sallengrii Comm. liter (*Memoires de litterature*) T. 1. p. 173. ex eo, quod quae alii corrigenda, per coniecturas, viderunt, ea sic, u illi coniecere, in hac editione reperiuntur, ut ea, quae multo post Gerhardus in Crepundiis de coniectura cor rexit. Ceterum inde patet, in ea multa per coniectu ram, etsi non absurdam, esse correcta. Nec minus es insignis altera Instit. Orat. quae anno post (1542) Parisii apud *Rob. Stephanum* curata est. Nullam habet praefa tionem, quae rationem editionis demonstret: Ceterum Colinaei vitrici exemplum fere sequitur, additis quibus dam in margine Lectionibus aliis, et indiciis locorum quae Quintilianus e scriptoribus Graecis et Latinis com memorat.

Sequuntur edd. Basileenses altera 1541. 8. ap. Lasium, quam non vidimus, altera 1543. 4. ap. Rob. Winter, opera et studio *Ioach. Camerarii* et *Io. Sichardi*, cum castiga-

tioni-

tionibus *Guil. Philandri*, additis et XIX. *Declamationibus.* Ibi etiam ea, quae 1546. Venetiis fol. apud Hieron. Scotum facta eſt, cum notis *Moſellani*, *Ioachimi Camerarii* et *Antonii Pini*, repetita eſt 1567. item apud Weſthemerum, et Brylingerum, et Pariſ. 1548. 8. quo anno ibid. Inſtitutiones Quintiliani apud Guil. Morellum ac Bogardum, cum Morelli notis prodiere. v. J. de la Caille Hiſt. de l'Imprimerie pag. 123. Nouveau recueil des pieces fugitives a Paris 1717. 12. T. 1. parte 2. p. 85. ſqq. tum rurſus Baſileae 8. apud Nic. Brylingerum, cum XIX. Declamationibus, Inſtitutiones per *Ioach. Camerarium*, *Ioan. Sichardum* et *Iac. Hertelium* emendatae, additae etiam *Guil. Philandri* caſtigationes: quae repetita eſt, omiſſis tamen Hertelii notis, Colon. 1555. quibuſcum ſolis etiam Baſil. 1561. 8. editus eſt Quintilianus.

Poſt has aliae rurſus Pariſienſes factae, ut 1553. 4. per *Thom. Richardum*, qui eam et repetiit a. 1556. 4. additis notis ſub *Adr. Turnebi* nomine, ſed parum eius viri doctrina dignis: unde non vana ſuſpicio nata, eas eſſe Richardi illius, eiſque nomen Turnebi inditum, ut vendibilior liber fieret.

Omittimus hic plures editiones minores ad uſum ſcholarum factas, ſine aliquo proprio bono, ut Lugdunenſes quaſdam ex officinis obſcuris, Genevenſes apud Stoerium et Criſpinum plures. Ed. Francof. 1629. habet *Dan. Pareie*, non magni pretii et fere e Creſollii theatr. Rhet. compilatas notas, eſtque repetita Londin. 1641. 8. et alibi, ut Genevae.

Sequuntur iam editiones, quas recentiores appellabimus, in his quoque quaedam non magni uſus aut pretii, ut quae 1565. Lugd. Bat. et Roterdami prodiit 2. Voll. in 8. *Conr. Schrevelio* primum, deinde poſt huius obitum *Io. Fr. Gronovio* curante, quae notis variorum illuſtratas Inſtitutiones, cum Declamationibus utriſque, et Calpurnii, nec non

non dialogum de caussis corruptae eloquentiae, cum notis Ioannis Schultingii, Scheliique, Pithoei et Gronovii. In Institutionibus autem recognoscendis nullae Gronovii fuere partes, sed modo in Declamationibus. Aerodius in illis totos versus, non solum vocabula, ad sententiam complendam addiderat: Pithoeana editio multis scatebat operarum culpis, et quinquies vel sexies integras periodos, quae in Thadaei Vgoleti editione legebantur, et sine dubio auctoris sunt, dissimularat. Gronovius igitur ex tribus editionibus quartam recensuit, Aerodiique et Pithoei notis addidit suas. Vide eius Epist. ad Nicolaum Heinsium T. 3. Sylloges Burmannianae p. 510.

Oxonii 1693. e theatro Sheldoniano *Edmundus Gibson* s) Quintiliani Institutiones ad tres Codices MSS. Cantabrig. et Bodlei. et ad octo editiones castigatas edidit, subiuncta declamatione antea inedita, et deinde in Obrechti et Burmanni editione emendatius recusa, quae inscribitur *Tribunus Marianus;* additisque brevibus notulis e Turnebo et aliis, in editione altera a. 1716. 8. Londini.

Superiores omnes haud dubie superat editio facta 1720. Lugduni Bat. in 4. quae textum Quintiliani magno studio castigatum et illustratum luculenter exhibet, nitideque excusa est, curante *Petro Burmanno.* Hic *Institutionibus* quidem ineditas Almeloveni et Gallaei castigationes observationesque, editas vero Turnebi, Philandri, Parei, Colomesii, Gibsoni, Obrechti, quam plurimasque novas suo ipse marte et ingenio adiunxit, atque ex Regio, Badio, Mosellano, Camerario, Sichardo, Pino, aliisque selecta quaedam, veterumque editionum lectiones adspersit, in calce autem voluminis prioris, post Annales Quintilianeos H. Dodwelli, varias lectio-

s) Acta Erud. Tom. 2. supplem. pag. 318. Nouveau Journal de Roterdam anno 1694. Sept. et Octob.

lectiones exhibuit trium Codicum Vossianorum et Bernensis, nec non emendationes Petri Francii. Ad *declamationes* utrasque, Volumine posteriore cum Calpurnii declamationibus comprehensas, non modo nihil omisit, quod ex collatione quatuor Codicum, quos Bibl. Leidensis suppeditavit, Wittiani item et notatarum ex Gronoviano, Colbertinis et Victoriano lectionum, priorumque editionum, et ab Aerodii aut Pithoei, praecipue vero Ioannis Friderici Gronovii, et Io. Schultingii ingenio aut industria lucis accedere potuit, sed et ipse locis bene multis novam et insignem affudit. *Tribunum Marianum*, quem p. 75. post Gibsonum et Obrechtum inter Quintiliani declamationes edidit, notat multo inferiorem esse eloquentia et nitore sermonis, atque a Monacho quodam multis post illas saeculis scriptum esse suspicatur. Claudunt volumen indices satis locupletes, quos aliis conficiendos typographus locarat: operi autem praemissae sunt praefationes Campani, Politiani, Aldi, Petri Gallandii duplex, Io. Sichardi, Gisberti Longolii, Edm. Gibsoni et Vlrici Obrechti, veterumque et novorum scriptorum de Quintiliano testimonia elogiaque.

Hanc excepit alia splendidissima a. 1725. Parisiis in f. Institutionum Quintiliani cum notis *Claudii Capperonerii* et Variorum, Annalibusque Henrici Dodwelli Quintilianeis. Cum vero in notis Burmannum non raro perstrinxisset, editis etiam separatim in 4. Epistolis, operam Burmanni Fabio navatam, et Gedoyni Gallicam versionem reprehendentibus, non potuit se Burmannus continere, quin vicem rependeret non αὐτῷ τῷ μέτρῳ solum, sed λωΐον, prosa et versu, edita erudita quidem, sed nimis maledica in Capperonerium Epistola, Leidae 1726. 4. In Critica ratione fatendum est Burmanno inferiorem longe Capperonerium fuisse: ceterum non contemnendam operam Quintiliano, inprimis e Graecis Rhetoribus illu-

ſtrando navavit. In conferendis quidem edd. veteribus neuter ſatis diligens fuit.

Vltima omnium Inſtitutionum Or. eſt *Io. Matthiae Geſneri*, facta Goettingae 1738. 4. admodum illa bona et ſtudioſis ad intelligendum Quintilianum accommodata. In parte Critica uſus eſt MS. Gothano, de quo ipſius praefatio videnda eſt, et ex edd. pr. Ienſoniana, cuius et lectiones variae, ubi eam non in textu ſequeretur, memoratae ſunt, et ſub textu cum var. lect. MS. Goth. notatae: ſed, ut nos re cognovimus, non ſatis diligenter. Veluti L. IX. c. 4. lectio inſignis *dockmius* pro *dochimus*, quae eſt in omnibus locis apud Ienſonum, non notata eſt, et permultae aliae in uno illo libro nono. Sine dubio non ipſe Geſnerus contulit textum vulgatum cum Ienſoniano: nam illam quidem lectionem obſervaſſet et in textum recepiſſet: nunc ne Capperonerii quidem correctionem in textu ſine libris factam commemorat.

Sed omnino Quintiliani perfectam, a parte quidem Critica, editionem nondum habemus: quod quiſque editor, etiam principes, *Burmannus* et *Geſnerus*, cum repente ſe ad hunc laborem contuliſſent, praeſentibus copiis contenti fuere, et non omnibus edd. pr. antea conquiſitis et collatis diligenter, ad textum conformandum acceſſere: itaque etiam edd. catalogos criticos conficere non potuere. Optandum eſt, ut aliquis vir doctus et ſatis ab arte critica et literis inſtructus, florens adhuc aetate, ſibi hoc negotium deligat, et paullatim conquiſitis edd. ſecundum ſeriem noſtram et indicia recenſionum, ad extremum, ubi omnia repererit, excuſſerit, ad recenſionem ipſam ſe conferat. Vix credibile dictu eſt, quantopere textus nunc vulgatus, ab antiquis edd. diſcrepet, interdum ſine neceſſitate.

Reſtat,

Restat, ut etiam de iis dicamus, qui non totum opus Quintiliani edidere: quod tamen non pertinet ad eos, qui aut Institutiones, aut Declamationes solas dedere, de quibus iam dictum est, et post dicetur. Sed primum fuere, qui tantum *Epitomen* Institutionum ederent, qualem confecere, primum *Ionas*, Philologus dictus a semet ipso, editam primum Paris. apud Colinaeum 1531. 8. et 1539. 1542. ap. Rob. Steph. 1547. 8. etc. deinde *Vergerius*, quae edita est Paris. 1548. 8. Tale compendium et fecisse traditur *Fr. Patricius*, (v. Thomasinus de Bibl. Patav. MS. p. 48.) et compendium huiusmodi Valentiae 1554. 8. editum est, auctore Nic. Antonio Bibl. Hisp. vet. p. 58. — In hoc genere etiam posuerim *Rollinum*, qui Institutiones Quintiliani ad usum scholarum edidit, resectis iis, quae non viderentur esse apta isti aetati, h. e. difficiliora, atque tantum magistris artis cognoscenda, additis brevibus notis. Paris. 1715. 1734. 12. Voll. 2. quod institutum quare improbatum sit nonnullis, non video. Nam periculum Quintiliani operi inde nullum: et melius est, iuvenes talem Chrestomathiam Quintiliani cognoscere, quam omnino non attingere, ut fit propter magnitudinem operis et difficultatem intelligendi in locis talibus technicis, et nostra aetate non multum ad bene dicendum valituris, ut in eo, qui est L. IX. c. 4. de pedum varietate et usu in oratione.

Fuere etiam, qui unum aliquem, aut aliquot libros ederent, quorum cognitionem inprimis necessariam aut utilem studiosis putarent, quosque et ipsi lectionibus scholasticis explicare vellent. Sic Lips. 1570. 8. *Steph. Riccius* edidit *Librum decimum* cum variorum notis: sed eos commemorare nihil attinet.

Versiones Quintiliani paucas habemus. Nempe est difficilius Quintiliani Institutiones vertere in linguam novitiam, quam alios libros veteres. Gallicae duae notae

 sunt,

ſunt, altera Abbatis *Mich. de Pures*, cum notis hiſtoricis et grammaticis, Pariſ. 1663. 4. altera *Nic. Gedoyen*, quae a. 1718. Pariſ. 4. prodiit, valde laudata multis et ſuperiori longe praelata: ſane diligenter decem annorum labore abſoluta, ſed tamen multis locis fallens. Memoratur et alia *Nicolii;* ſed ea evanuit obſcurata per eas, quas commemoravimus.

Separatim in Quintilianum ſcripſere quidam, quorum et plerumque notata in editiones poſt recepta ſunt. Ex hoc genere ſunt *Petri Moſellani* notae in libros ſeptem priores, primum editae Baſil. 1527. 8. *Guil. Philandri* notae breves in totum Inſtit. opus Lugd. 1535. 8. Huc pertinent et *Turnebi* notae in Quintilianum ſeparatim primum editae, de quibus ſupra dictum, item *Colomeſii:* cuius notae inter cetera eius opuſcula reperiuntur. Loca ſingula a multis vel obiter in libris obſervationum ſunt tractata, vel etiam propriis libellis, quos omnes commemorare non poſſumus: nec fere eſt tanti. Quidam autem bene multa loca tractarunt eodem opere, ut ſtudioſiores Quintiliani fuiſſe videantur. In eo numero eſt *Ianus Gebhardus*, qui in Crepundiis ita fecit.

Commentarios in Quintilianum affectos habere ſe teſtatus Voſſio eſt *Stephanus Stephanius* in Epiſtola ad eum ſcripta a. 1637. *Henricus* quoque *Ernſtius* novam huius ſcriptoris editionem ad MSS. Codices caſtigatam molitus fuit. *Philandri* vero commentarii uberiores numquid adhuc haereant Divione, ignoratur: nec dixerit quis, quo pervenerint *Pet. Pithoei*, *Paſſeratii* et *Guieti* obſervationes, quas ad Schrevelium miſerat Bigotius, *t*) et

t) Nic. Heinſius in litteris ad Io. Frid. Gronovium T. III. Sylloges Burmannianae p. 498. *De Quinctiliani editione ne quid temere aut inconſulte* Schrevelius *veſter agat, erit monendus.* Pithoeanum *exemplar hanc in rem offert* Bigotius, *locis plurimis caſtigatum. Tum* Turnebi, Guieti *et aliorum notas, per quas editio ornari egregie poſſit. Cogitare ſe de caſtigando hoc ſcriptore* Graevius *diu eſt quod monuit etc.*

et ille eiſdem uti in Quintiliano ſuo neglexit. Ex Tullio et Quintiliano non pauca decerpſit Leo Mantuanus Iudaeus in נופת צופים, liquore favorum, ſive Rhetorica, Coloniae in 4. edita. Vide Rev. Wolfii Bibliothecam Hebraicam p. 474.

V. Indicem Scriptorum etc. dedimus ex ed. Geſneri pro Burmanniano, quia ille ſecundum libros et capita factus eſt, et ſcriptoribus addit loca, quae ex iis, et ex quibus libris ſunt, cum in Burmanniano ſecundum paginas editionis illius indicentur, ſitque inutilis iis, qui eam editionem non habent. Fecimus tamen interdum breviorem.

INDEX AVCTORVM,
VIRORVM DOCTORVM, ARTIFICVM, ETC. QVORVM A QVINTILIANO FIT MENTIO.

Calli-

Cice-

ſcriptis ad ipſum etiam literis reprehendere auſi fuerunt IX, 4. eum inceſſere audebant ut tumidiorem, et Aſianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in ſalibus aliquando frigidum, et in compoſitione fractum, exſultantem, ac paene viro molliorem XII, 10. modice reſpexit ad *concurſum vocalium* IX, 4. *nec* malum virum *eundem fuiſſe, nec* timidium XII, 1. *eum non fuiſſe* nimium riſus affectatorem VI, 3. de iocis *eius* et dictis congeſti editique libri *ibid.* delectatus eſt paribus contrariis IX, 3. iocatus in nomen Verris V, 10. *conf.* VI, 3. compoſitionem inprimis elaboravit IX, 4. in. deſcivit paullulum a Demoſthene *in ratione numerorum* IX, 4. *conf.* X, 1. XII, 10. cum omnia utilitati, tum partem quandam delectationi *ibid.* ſciens iuris XII, 3. diligentiſſimus orthographiae I, 7. in filio recte loquendi uſquequaque aſper quoque exactor *ib.* ſcripſit Aiio, Maiia I, 4. geminavit τὴν S I, 7. inſerit frequenter verſus Ennii, Accii, Pacuvii, *cet.* I, 8. Graeco nomine inſcripſit libros II, 14. ei placet, ut, quicquid loquamur, ubicunque, ſit, pro ſua ſcilicet portione, perfectum X, 7. quando legi poſſit? II, 5. Declamatio de Cicerone, ut Antonium roget, Philippicas exurat III, 8 ad Ciceronem Caelius a patre deductus eſt XII, 11. Cicero Panſam, Hirtium, Dolabellam in morem praeceptoris exercuit *ib.* in oratione Dolabellae emendavit mortem ferre VIII, 2. *quid in* Hirtii Declamatione in Panſam *reprehenderit?* VIII, 3. Velandarum varicum gratia quid facere ſolitum tradat Plinius? XI, 3. Aemulus *eius et* ſecundus, Hortenſius *ibid.*

Cicero, *Q. Tullius*, de iocis Marci fratris libros edidiſſe *dicitur* IV, 3.

Herma-

Iam-

Macer,

Theo-

Theo-

VI. Praeterea Quintiliani nomine feruntur argumenti ficti *breviores declamationes*, sive, ut Andreas Alciatus IV, 15. Parergon iuris appellat, *fragmenta Declamationum* CXLV. quae ex 388. superesse dicuntur. Harum 136. primus *Taddaeus Vgoletus* Parmae 1494. ex uno Codice, ut ipse in praefatione dicit, squalore et tineis corroso et vitiose scripto, edidit ita, ut non nisi manifesta

librarii

librarii vitia corrigeret, cetera intacta relinqueret. Huius editionis textus repetitus est et Parif. apud Ioannem Parvum 1509. Emendavit deinde, sed solo ingenio, et notis, e iure vetere Romano potissimum petitis, illustravit *Petrus Aerodius* Paris. 1563. 4. apud Morell. recus. Mediolani 1619. Veterem lectionem ubi mutavit, illam in margine notavit: si quid in textu addidit, uncis inclusit. Loca, quae corrigere non posset signo † notavit, itemque coniecturas suas, quas recipere non auderet, aliorumque, quos consuluerat, ut Brissonii, in margine posuit. Ceterum Aerodius has declamationes Quintiliani eius esse, qui Institutiones Or. scripsit, non dubitabat, cui et in notis passim adserere laboravit: quae loca notata sunt in principio. Novem reliquas ceteris e MS. Codice emendatis in sua editione addidit *P. Pithoeus* Paris. 1580. 8. repetita et Heidelbergae 1594. 8. ap. Commelin. Exstant etiam in editionibus Quintiliani recentioribus, ut Hackiana et Argentoratensi. Fuerunt sane Declamationes quaedam, a Quintiliano Institutionum auctore non habitae tantum, sed et a tachygraphis exceptae et editae, una tantum vulgata ab ipso auctore adhuc iuvene. Vide Instit. Or. VII, 11. Etiam pro *Regina Berenice*, ipsa praesente, dixisse se scribit IV, 1. Ceterum has, quas iam exstare dixi, breves declamationes, viri quidam eruditi suspicantur esse Quintiliani patris, cuius mentio Instit. Orat. IX, 3. Verum cum Quintiliani declamatoris mentio quoque fiat apud M. Annaeum Senecam patrem, prooem. lib. X. controvers. et controversia 4. eiusdem libri, non minus eorum valere possit *u*) sententia, qui eas *avo* huiusce *Quintiliani* adscribere malint, ut Angelus Vgoletus in Epist. dedic. vel plane diverso ab illis

u) Vtor verbis Vossii lib. 1. Instit. Orator. cap. 11. pag. 180. quem vide etiam p. 108. de natura Rhetoricae, ubi refert Iacobum Durantium lib. 2. Variarum cap. 17. mentionem facere manu exarati Codicis, qui declamationes illas tribuit M. Floro. Quis autem fuerit iste Florus, aut quando vixerit, haud facile dixerim.

illis tribus. Vide Nic. Fabri notas ad praef. libri X. controverſ. Senecae. Etiam *Q. Marius Corradus* lib. 1. Epiſt. 9. Quintiliani declamationes 136. memorans, quas manu ſua deſcripſerat, et a ſe emendatas a Gryphio volebat excudi, ait, illas alterius eſſe Quintiliani, illius paullo vetuſtioris. Sed cum aliae aliis ſint cultiores et elegantiores, diverſorum potius ac diverſae aetatis Rhetorum collectanea, quam Quintiliani Auguſteo aevo proſioris foetum eruditi agnoſcunt. Ibidem ſuarum in illas notarum Corradus facit mentionem: *Quae autem ſcripta ſunt a me in Declamationes ex Rhetorum et Dialecticorum praeceptis, ea venire in manus literatorum minime velim, niſi fortaſſe Epiſtolam ad Metellum, qua declamandi commoda fui perſecutus.* Praeter principem autem editionem Parmenſem, uſum ſe eſſe teſtatur duobus Codicibus MSS. Lib. 1. Epiſt. 11. *Semel* ὑπόθεσιν *Hieronymus protulit, neſcio an ex iis, quas ad CCLII. interiiſſe cognovimus. Patrum noſtrorum memoria* Iacobus Sadoletus, *ac de tranſalpinis hominibus* Rudolphus Agricola *et* Cornelius Agrippa, *reſpexiſſe ad argumenta ex his CXXXVI. mihi videntur.* Fuerint igitur non alii *libri de altercationibus*, de quibus Hieron. Cardanus lib. V. paralipom. cap. 1. T. X. Opp. pag. 487. *Meminit Georgius Agricola in tertio x) Inventionis Dialecticae, vidiſſe* libros Quintiliani de altercationibus, *qui tamen nuſquam comparuerunt.* Caſp. Barthius ad Statii IX, 169. Thebaid. pag. 967. *Non pauca nos alibi ad Quintiliani Declamationes, cuius libri reſtitutionem debemus meritis* Petri Pithoei, *nunquam ſatis laudandi vindicis multorum aliorum. Fuit tamen ante eum diu eius Auctoris exemplar in manibus* Vlrici Fabricii, *ſummi olim Iureconſulti, Conſiliarii et Legati in Hiſpanias quondam Trevirenſis Electoris, una cum duobus* Ter-

x) Cap. 15. adde eiuſdem Agricolae lib. 2. cap. 12.

Tertulliani libris de spectaculis, ut memini adolescentem me legere in vita eius scripta et praemissa processui Iudiciario dicti Fabricii a Iustino Goblero. *Etiam* Basilius Faber, *qui Scholasticum Lexicon Latino Germanicum scripsit, se aliquot centenas Quintiliani Declamationes habuisse, easque Oporino excudendas dedisse, scribit in Quintiliani commemoratione.*

Declamationes Quintiliani distinguuntur in *coloratas*, et *tractatas.* An *tractatae*, quae aliquoties tractatae sunt? ut declam. 261. *coloratae* vero, quarum thema ab ipso declamatore primum fingitur? Ita coniecit Pithoeus. Sed vix hoc cum latinitate consentit: *causae tractatae* sic dici possint, non declamationes. Arbitror *tractatas* esse, in quibus tantum causa perspicue cum argumentis explicatur, nulla ornamenta aut affectus adsumuntur, quibus colorantur orationes: quod etiam minorum et maiorum discrimen notavit Ioannes Campanus Epp. pag. 540. ed. Lips. Caeterum non omnia in illis declamationibus conficta, vide disputantem Nic. Hieron. Gundlingium in Gundlingianis parte XXIV. p. 354. seq. Sed id declamationum fere proprium est, nec indigebat longa disputatione.

VII. At *XIX.* illae *declamationes longiores*, quae et ipsae Quintiliano inscribuntur vulgo, ac Rhetoris Fabii libris in quibusdam editionibus subiici solent, neque eius sunt, qui declamationes alteras fecit, (nihil enim simile) neque illius, qui Institutiones Oratorias scripsit, cui eas Erasmus quoque recte abiudicat in Ciceroniano, quandoquidem, ut monuit Lud. Vives lib. 4. de corruptis disciplinis, plane aliae sunt a Fabii praeceptis, et tales, ut contra istiusmodi potissimum invehatur. Immo multo ante Erasmum et Vivem, Philelphus Epistola ad Ioannem Tuscanellam vehementissime eas perstrinxit. Adde, quod in codd. quibusdam MSS. *M. Floro* tribuuntur, *y)* atque a Iac.

y) Barthius ad Claudian. pag. 917.

a Iac. Durantio aliisque esse creduntur *Postumi* iunioris, z) unius e triginta tyrannis, de quo ita Trebellius Pollio: *Fuit autem Postumus, quod solum memoratu dignum est, ita in declamationibus disertus, ut eius controversiae Quintiliano dicantur insertae, quem declamatorem Romani generis acutissimum vel unius capitis lectio prima statim fronte demonstrat.* Cui sententiae accedit Alexandr. Politus de patria potestate in testam. condendis L. III. p. 166. nec non Barthius Advers. L. 170. (inedito) 12. qui has declamationes nec nimis efferendas, nec nimis contemnendas putat. Quintiliano tamen diserte tribuit Ennodius controversia VIII. ubi verba quaedam ex quinta, cui titulus *Aeger redemtus*, affert, et contraria declamatione illam oppugnat. Quintiliano etiam adscribit Vincentius Bellovacensis, has declamationes intelligens, ubi Quintiliani laudat *librum causarum*, quod saepius facit speculi doctrinalis libro quarto. Quintiliano quoque veteres librorum MSS. tituli, tum Laurent. Valla, Rudolphus Agricola, aliique tribuunt bene multi.

Declamationem pro tribuno adversus militem, sub titulo *Tribuni Mariani*, ab Edmundo Gibsono primum una cum Institutionibus Oratoriis vulgatam, emendatius recusam exhibet editio Argentoratensis Tom. 2. pag. 853. Sed eam non esse Quintiliani facile intelligitur. Vocabula *abominabilis*, *concubitor*, *dilectio*, *discretio*, *exoratio*, *illuminatio*, *impoenitens*, *improperium*, *indesinenter*, *lenocinamentum*, *obsufflo*, *particulariter*, *praedecessor*, *praepostero*, *praestrangulo*, *prolocutor*, *protectio*, *supererogatio* etc. non sunt profecto Quintiliani aut similis Rhetoris. Quintilianum in *Fanatico*, (declamationis hic titulus) commemorat Lactantius lib. I, 21.

Declamationes illas XIX. castigavit quoque plurimis locis haud infeliciter *Obrechtus*, adiunctis insuper Variis

 Lectt.

z) Io. Durantius Casellius II, 17. Variarum. Barthii Adversar. lib. 50. c. 9. p. 2356. T. 2. Lampadis Gruterianae p. 252. sq.

Lectt. e MSS. Bibl. Colbertinae et Victorinae. Novam editionem illarum XIX. declamationum castigatam ad Codices manu exaratos, cum totidem declamationibus contrariis a se elaboratis parasse traditur *a*) Venetiis *Laurentius Patarolius*, usus etiam antiquis editionibus, ut prima Veneta 1481. fol. ex recensione Georgii Merulae, Alexandrini, quam inspexit etiam celeberr. Burmannus, nec non altera sine nota loci aut temporis, quae exstat in Bibl. Leidensi pag. 256. atque a Patarolio describitur his verbis: *Altera, quae apud me exstat, editio, quam ex characteris figura coaevam iam priori iudico, non enim apparet quando et ubi prodierit; haec pariter est in fol. ipsique cum primum Quintilianum perlegerem, notas meas perpetuas in margine apposui.* Editio deinde extat curata Venet. 1482. fol. In Bibl. Sen. Lipf. est utraque Veneta, altera 1481. altera 1482. ex eadem officina, eiusdemque exempli, nisi quod ed. 1481. pulcrior est altera: utraque et habet praef. *Iac. Grasolarii;* qui dicit se vetera exempla inspexisse, et diligenter perlegisse: dein, ne quid ulla ex parte mendosum esset, Georgio Alexandrino praeceptori suo corrigendum dedisse: eum solita diligentia recognovisse. Dicit in fine, se eas declam. a situ et squalore revocasse: hortaturque, ut alii suum exemplum imitentur ad *indaganda* et *corrigenda* veterum scriptt. volumina. Qui modus loquendi videtur indicare, hanc esse primam editionem. Aldina 1514. 8. in Biblioth. Buntingiana p. 164. notata falso est. In editione Quintiliani Ascensiana 1519. ad recensendas et castigandas declamationes has vetustissimus liber e Bibliotheca Lexoviensis Collegii adhibitus esse dicitur: unde hanc editionem ceteris praefert Barthius l. c. ubi et loca plura primae declamationis corrigit et illustrat. De nitida Oxoniensi, sed ad nullos MSS. recognita codices, a. 1692. 8. cum brevibus notis, quae Dialogum de causis

a) Journal des Savans 1711. p. 567.

causis corruptae eloquentiae subiunctum habet, vid. Acta Erud. Tom. 2. supplem. p. 317. Caeteras, quae cum institutionum libris toties praela exercuerunt, supra magno numero retulimus.

Io. Schultingio, qui Noviomagi Geldrorum docuit eloquentiam, animus fuit, post Senecam Rhetorem, etiam Quintiliani declamationes illustrare: exstabatque apud illustrem Virum Gisbertum Cuperum commentarius eius in primam declamationem absolutus, in reliquas affectus: et minores declamationes cum MS. collatae. Idem Cuperus testatus est, se iuvenem, cum a. 1662. et deinceps ab Schultingii penderet ore, una cum viro illo clarissimo contulisse duo MSS. Vossii, optimae, ut ait, notae. Inter eiusdem Isaaci Vossii libros in Bibl. Leidensi MSS. in membrana servantur *b*) ex undeviginti illis Quintiliani declamationes XV. contractae. Adscriptum est: *Excerpta, ut verisimile est, ab Adelardo*, Bathoniensi nimirum, cuius praefatio ad Ricardum Baiocensem Episcopum de causis rerum subiicitur. Horum Excerptorum ope loca quaedam aliter posse constitui atque hodie leguntur, nullus dubitat Clariss. Burmannus, *sed nobis*, inquit, *temporis penuria laborantibus, et Ovidianae maiori cum voluptate Musae operantibus, non vacabat haec accuratius excutere.*

VIII. Scripsisse se *librum de causis corruptae eloquentiae*, testatur Fabius ipse praef. libri VI. Sed libro VIII. extremo, ubi idem scriptum suum commemorat, refert, se plenius in illo tractasse de tropis et singulatim de hyperbole: quod in dialogo de Oratoribus, s. de causis corruptae eloquentiae, qui hodie exstat, nusquam fit. Scriptus est libellus, (in quo Curiatius Maternus, M. Aper, Iulius Secundus et Vipsanius Messala colloquuntur) ad Iustum Fabium, ad quem Epist. Plinii iunioris I, 11. II, 7. scriptae

b) Vide Catalogum Bibl. Leidensis a. 1716. editum p. 383.

ptae ſunt, anno ſexto principatus Flavii Veſpaſiani, ſive anno C. 74. ut ex cap. 17. conſtat. Ad *Quintilianum*, auctorem, refertur a multis, ut a Lipſio in Tacitum. H. Stephano diſſ. de Criticis p. 288. 290. Aug. Buchnero lib. 2. Ep. 55. et lib. 1. de commutata ratione dicendi c. 13. Matthia Berneggero qu. 116. in Tacitum, Io. Freinshemio, Io. Henr. Boeclero Bibliographiae p. 44. Chriſtoph. Cellario §. IX. diſſ. de Silio Italico, Schurzfleiſchio, Franciſco Modio in novantiquis lectionibus, a Menagio Tom. 1. Anti-Bailleti p. 339. Graevio ad Heſiodum p. 6. Chriſt. Aug. Heumanno aliis. *Tacitum* autem, cui in MSS. tribuitur, auctorem malunt Petrus Pithoeus, qui Quintiliani et *Calpurnii Flacci* declamationibus addidit, ac notis illuſtravit; Gyraldus de Poëtis pag. 199. Colomeſius ad Gyraldum p. 241. et Henricus Dodwelius V. C. in Annalibus Quintilianeis p. 135. ſeq. At neque Taciti neque Quintiliani eſſe, T. Faber putabat ad Longinum, et *Suetonio* a nonnullis adſcriptum ex eruditiſſimo Baluzio T. 2. Miſcell. p. 451. diſcimus. Morabinus autem, qui hunc dialogum fecit Gallicum, malit eum tribuere *Curiatio Materno*, cuius Cato, Thyeſtes, et Domitius cap. 2. §. 3. memorantur, quemque occiſum deinde a Domitiano, quod in tyrannos declamaverit, refert Xiphilinus e Dione pag. 765. Inter tam diverſas ſententias vix video, quos ſequar, cum quos fugere debeam, videar mihi videre. Equidem Quintiliano et ſententiarum convenientia et ſtili et plurima argumenta alia hoc ſcriptum vindicant, ut ſi locum illum de tropis cap. XXXV. dicamus excidiſſe, illi forte quam veriſimillime tribuatur.

Prodiit ſaepe in Quintiliani et Taciti editionibus. Primis edd. Quintiliani non additus eſt hic libellus: noſtris quidem exemplis edd. illarum omnibus, Ienſ. Regii, Aldi, Torini, R. Steph. etc. abeſt. Sed poſt ortam de auctore Quintiliano opinionem demum: at edd. Taciti a prima inde Vendelini Spirenſis habent. Etiam ſeparatim

tim Vpsaliae admodum nitide atque emendate cum notis integris Rabodi Hermanni Schelii, P. Pithoei, Iusti Lipsii, Io. Freinshemii, Io. Frid. Gronovii et Io. Schultingii; selectis vero M. Antonii Mureti, Curtii Pichenae et Val. Acidalii 1706. 8. edidit *Ericus Benzelius*, personasque colloquentium diligenter distinxit, utilissimo et in omnibus dialogis observando instituto. *Conradi Samuelis Schurzfleischii* observationes postumae in hunc dialogum in lucem sunt prolatae a fratre Henrico Leonhardo in Actis litterariis vulgatis Vitebergae 1714. 8. Mox pro Quintiliani foetu *Christoph. Aug. Heumannus*, dialogum hunc recognitum a se et notis illustratum edidit Goettingae 1719. 8. addita Epistola Critica de iure Latinam Linguam augendi novis vocabulis, nempe ut occurreret iis, qui verbis et phrasibus insolentioribus eius libelli moventur, velut illi S. F. D. auctori observationis de soloecismis et barbarismis huius Dialogi, insertae Tomo X. supplementi Actor. Eruditor. p. 227. Dialogi huius exemplo Anna Daceria doctissima femina, scripsit Gallica lingua de caussis corrupti de pulchro iudicii, *des causes de la corruption du gout*, libros duos, quibus Homerum adversus Hurtadi Mottaei et Io. Harduini censuras defendit. *Girii* versio Gallica vidit lucem Paris. 1630. 4. Vertit et *Maucroisius*, Canonicus Remensis, in cuius opusculis postumis prodiit Paris. 1710. 8. In iisdem gallice etiam redditus occurrit locus insignis ex Quintiliani X, 3. et 4. Instit. Orator. de stili exercitiis instituendis. Sed elegantior Dialogi illius interpretatio Gallica habetur, quam clarissimo librorum Ciceronis de Legibus interpreti *Morabino* debemus edita Paris. 1722. 12. ut ante dictum. *Germanice* vertit *Ioan. Christoph. Gotschedius* ad calcem element. rhetoricorum Lips. 1728. 8.

Ex editionibus Quintiliani una ed. antiquior omnia ista, sive vere sive falso Quintiliano tributa habet Hackiana

na a. 1665. 8. in qua *Institutiones* exstant cum praefat. et notis Adr. Turnebi, Ioach. Camerarii, Danielis Parei, Io. Frid. Gronovii et selectis variorum: *Declamationes XIX.* cum notis paucis eiusdem Gronovii, *Declamationes minores* cum Petri Aerodii, P. Pithoei et eiusdem Gronovii obseruationibus: *Calpurnius Flaccus* cum notis Pithoei, Gronovii et Io. Schultingii: *Dialogus* denique *de Oratoribus* cum Schelii commentario, notis Pithoei et Gronovii, Schultingiique, et ex Lipsio, Pichena, atque Acidalio excerptis animadversionibus.

CALPVRNIVS FLACCVS (etenim eum huc referemus, etsi serioris aetatis est) vixit Hadriani et Antonini Pii temporibus, ut e libris ICtorum demonstravit Io. Frid. Gronovius. Eius Declamationes in libris scriptis dicuntur *Rhetorum minorum*, ut Controversiae Senecae, *maiorum*, versanturque pariter in argumentis confictis. Sunt numero *una et quinquaginta.* Eas primus e libro scripto edidit cum notis suis *Petr. Pithoeus*, cum Quintil. Decl. Paris. 1580. 8. de quo supra dictum. Cum *Io. Frid. Gronovii* et *Io. Schultingii* notis leguntur in editione Quintiliani *Schreveliana*, et novissima *P. Burmanni*, qui suas etiam et *Almelovenii* obseruationes quasdam adspersit, et qui post Pithoeum easdem recensuit *Eliae Obrechti.* Alios Calpurnios persequitur Ioannes Glandorpius in Onomastico Historiae Romanae pag. 187. ad 193.



CAPVT



CAPVT XVI.

DE STATIO, POETA.

I. *Statii aetas.* II. *Scripta.* III. *Vetus interpres Lutatius. Ibid. Editiones.* IV. *Index Scriptorum in Scholiaste vetere Statii.*

I. P. Papinivs statiṿs Neapolitanus, patre • natus, Praeceptore Domitiani, qui multa carmine et oratione ſcripſerat, ut filius teſtatur Epicedio in patrem lethargo ſublatum. Silv. V, 3. a) Extemporali poëmata componendi facilitate Imperatori Domitiano gratiſſimus fuit, et a maieſtate carminis *Aquilinus* librariis dictus: tamen victus in agone quinquennali Domitiani, aliis Poëtis contra ipſum coronatis, ut ipſe innuit carmine ad Claudiam uxorem et in patrem epicedio.

a) Perperam quidam, ut Domitius Calderinus, Lindenbrogius, Fr. Morellus *Papinium Surculum Statium* appellant. *Statius* modo *praenomen* fuiſſe obſervatur, ut in priſcis inſcriptionibus Statius Aebutius, Statius Marcellus, et apud Livium Statius Caelius Imperator Samnitium: modo *nomen*, ut in iiſdem inſcriptionibus C. Statius Fauſtus, C. Statius Primigenius, C. Statius Neuretus, Statius Saturninus et L. Statius Vrſulus, Toloſenſis Rhetor ſub Nerone, de quo Pontacus ad Euſebii Chron. p. 569. et Statius Seboſus Plinio et Solino laudatus ſupra 235. 246. modo *cognomen* denique, ut Caecilius Statius Comicus (de quo Gellius IV, 19.) et Poëta noſter P. Papinius Statius. Vide Io. Marium Mattium L. 2. Opinionum cap. 13. Sed iſta ita ſunt ex vetere ratione nominum: ſub imperatoribus autem, inprimis inde ab ſeculo primo extremo, ratio nominum vel imponendorum vel aſſumendorum valde mutata eſt, habuitque idem ſaepe plura nomina v. c. alterum a patre, alterum a matre etc. unde nec praenomina nec cognomina fieri debent: de qua re accurate nuper ſcripſit Cannegieterus ICtus in libro: *de nominum mutatione ſub Principibus Romanis*. add. filium in Comm. ad fragm. Iuris vet. in Collat. legg. Moſaic. et Rom. p. 240.

Quod vero aliqui narrant, eum praeacuto ſtilo ab indignante Imperatore eſſe confoſſum, id magis videtur credibile, quam quod Aligerius Dantes prodidit, eum Chriſtiano addictum nomini, ſaevitiam Domitiani in Chriſtianos pro virili temperaſſe. Extemporali Statii verſus pangendi facultati invidiſſe Martialem, atque ideo ſub *Sabelli* nomine IX. Epigr. 40. perſtrinxiſſe, ſibi perſuaſit Gevartius cap. 35. Papiniarum lectionum. Inopia eius tangitur a Iuvenali Sat. VII, 87. *Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven.* Ipſe epicedio in patrem queritur, quod *vilis honos ſtudiis.* Adulatorum maximum, ut Poëtarum ſuo aevo, longeque poſt et ante principem vocat Barthius in notis Tom. I. pag. 287. Iulius Caeſar Scaliger *equum alatum.* Thoma de Pinedo iudice pag. 488. ad Stephanum Byz. Statius Papinius *eruditus Poëta in Silvis, ſublimis in Thebaide, blandus in Achilleide.* Franciſcum Malherbam Lyricorum Gallicorum principem, ad Statii clangorem et crepitacula inſaniiſſe, illaque praetuliſſe Virgilio, indigne fert Huetius p. 24. ſeq. de vita ſua. Tempus obitus a Barthio quoque Tom. I. editionis ab eo curatae p. 366. et Dodwello ad a. C. 96. ſive Domitiani poſtremum refertur. Sed omnino de Statii vita et rebus vid. Dodwellus in Annalibus Statianis Oxon. 1698. 8. editis. add. Barthium loc. cit. et Crenium Animadverſ. P. XI.

II. Exſtant eius *I. Silvarum b) libri quinque*, quorum primus Stellae, ſecundus Meliori, tertius Pollioni, Marcello quartus, quintus denique Abaſcantio ſingulis Epiſtolis ab auctore inſcribitur, ex quibus Vavaſſor p. 211. 228. de ludicra dictione collegit, eum minus valuiſſe in ſoluta quam ligata oratione: quod de Virgilio c) quoque fertur.

b) De ſilvis, quae apud Graecos dicuntur σχεδιάσματα, vide G. Io. Voſſii inſtitutiones poëticas lib. III, c. 22. et Gaſp. Gevartium lect. Papin. cap. 2. et Iac. Pontani φιλοκαλίων IV, 19.

c) Laertius in Xenocrate IV, 5. ποιηταὶ μὲν ἐπιβαλλόμενοι πεζογρα-

fertur. Porro in his libris quaedam versibus Phalaecis, vel Alcaicis, ut IV, 5. et Sapphicis IV, 7. reliqua hexametris scripta sunt.

II. Thebaidos, d) sive de bello septem Ducum adversus Thebas, *libri XII.* compositi ad imitationem Antimachi et Aeneidos Virgilianae, de qua ipse:

Sed longe sequere, et vestigia semper adora.

Hoc Statii opus respicit Stephanus Tornacensis Epist. V. *divi-*

γραφεῖν ἐπιτυγχάνουσι, πεζογράφοι δὲ ἐπιτιθέμενοι ποιητικῇ πταίουσι. Sed tam Virgilii prosa, quam Ciceronis Iuliique Caesaris ac Bruti versus, iis se minus probavit, qui Maronis Poëmata, et Tullianae orationis flumen ac vim, acutam Bruti Caesarisque in scribendo elegantiam admirabantur. Vnde Cassius Severus de Sallustio ita iudicabat, ut eius orationes nihilo meliores esse diceret, quam aut Ciceronis versus, aut Virgilii prosam. Seneca 3. controv. praef. *Virgilium illa felicitas ingenii oratione soluta reliquit, Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit.* Confer dialogum de oratoribus c. 21. Iuvenal. X. 121. seq. Theodecten magis tragico carmine, quam prosa placuisse, refert Hyginus apud Gell. X, 109. Similiter de Malherbio Poëta Gallorum celeberrimo cives eius observant, *que sa prose beaucoup plus negligée que ses vers l'a fait comparer a l'irondelle, qui marche mal, encorqu'elle vole tres bien.* De Molierio clarissimi nominis Comico Gallo Menagius in Menagianis pag. 45. *la prose de Moliere vaut beaucoup mieux que ses vers.* Eobano Hesso contra Erasmus lib. 26. Epist. 45. gratulatur contigisse, *quod M. Tullio fuit negatum, quod Philelphus arroganter sibi vindicavit, ut ita pangeret carmen, quasi nunquam attigisset solutam orationem, ita scriberet prosam, quasi cum Musis nihil unquam fuisset commercii.* Idem de Buchanano pronuncies, ac de Hugone Grotio. His adde Cornelium Gallum, qui *saepe Poëtarum mendacia dulcia finxit,* nec minus ipse de se: *Orator toto clarus in orbe fui.* De Antonio Maria Visdomini, Augustinus Oldoinus in Athenaeo Ligustico p. 545. refert hos versus Dominici Carmellae:

Qui prosa volat, Etrusco qui carmine vadit,
Hinc demum Latio carmine serpit humi.

d) Thebaidem e Graecis Poëtis scripsere Antagoras, Antiphanes Colophonius, Menelaus Aegeus, (forte Anaeus ex Anaea Cariae civitate) Anonymus quidam, Pausaniae in Boeoticis et Svidae in καδμεία νίκη laudatus, & alii. Vide Colomes. ad Gyrald. p. 148. Apud Erasmum in adagio *Boeotia auris* pro Anaxagora Thebaidos librum recitante, legendus Antagoras. Statii Thebaidem laudat Iuvenalis VII, 83. ad quem locum confer Casaubonum in Domitianum Svetonii c. 4. Graevium p. 90. ad Hesiod. E Latinis ante Statium in hoc argumento versatus est Ponticus, de quo acutissimus Brouckhusius ad Propertii lib. 1. Eleg. 7. et lib. 2. Eleg. 25.

divinam eius responsionem, ut Thebais Aeneida, longe sequor, et vestigia semper adoro.

III. Achilleidos, de iis, quae bellum Troianum *e*) antecesserunt, *libri II.* etsi in quibusdam MSS. unus liber procedit, in aliis vero in quinque *f*) dispescitur, inscite, iudice Barthio LII, 13. Adversar. Vtrumque Poëma Achilleida et Thebaida Statius dicavit Domitiano Imp. quem a Poëseos studio commendat praeter Statium Silius. Achilleida vero absolvere fata prohibuerunt. Ac ne illa quidem, quae perfecit Statius, ad nos omnia pervenisse existimabat Barthius T. I. p. 460. qui ad lib. IV. Silv. 3. p. 366. itidem dubitat, an libros, quibus Domitiani res gestas in agone Albano celebrasse se innuit, unquam ediderit et in manus hominum venire iusserit.

III. Princeps Statii editio non est Veneta a. 1490. ut putabant Bernartius et Gevartius p. 173. lect. Papinian. quae Luctatii in Thebaida commentarios iunctos habet. Nam praeter Silvas excusas Parmae 1472. fol. per Stephanum Corallum, et cum *Domitii Calderini* Veronensis Secretarii Apostolici commentario Rom. 1475. f. per Arnoldum Pannartz, additis notis in Sapphonem Ovidii et Propertii loca obscuriora, item eodem anno Venet. 1475. quam memorat Gronovius in Diatribe in Statium, etiam *Achilleis* prodiit, cum commentario *Io. Britannici*, Brixiae 1485. fol. et Silvae cum Calderini, Achilleis cum *Francisci Maturantii*, et *Thebais* cum *Luctatii* commentario, Venet. 1483. fol. quae repetita deinde editio commentariis instructa Venetiis a. 1490. fol. per Barthol. de Zanis, nec non 1498. et 1508. fol. Sed videtur esse vitium in numero 1490. pro 1472. nec enim illi docti viri has tot edd. ignorare potuere. Et ea, nempe Veneta

e) Vid. Dan. Heinsium ad Nonni Dionysiaca p. 183.

f) Vt in Codice XIV. seculi, qui cum glossis et librorum argumentis extitit MS. apud Federicum Pacium Lugd. Bat. atque ante fuit Ioannis Vgolini.

neta 1472. f. est omnium prima, ut recte vidit Marklandus in praef. ad Silvas, qui cum ope Parmensis, Heinsio etiam valde laudatae, in his Silvis restituisset plura loca, quae nulla alia ratione corrigere potuisset: ea omnia reperit deinde in illa Veneta, et plura quoque alia. In Domitii Calderini recensione, quaedam bene correcta, quaedam valde atque interdum prope pueriliter depravata, dum, quicquid non intelligeret, id corrigere voluit. Et praefuit ille editioni Romanae. Ex his autem duobus exemplis, Veneto illo 1472. et Romano videntur ceterae edd. veteres fluxisse, sed ita, ut passim aliquid ab his, qui iis praeessent mutaretur, etiam erroribus operarum.

Hinc memorandae editiones seculi sequentis, primum Aldinae 1502. et 1519. 8. quibusdam coniectura correctis. Parisiensis Simonis Colinaei 1530. 8. Lugdunensis Sebast. Gryphii 1547. 12. Basileensis 1541. 8. apud Henr. Petri, Lugdunensis alia 1559. 12. apud heredes Seb. Gryphii: in quibus parum novi boni: Plantiniana, cum annotationibus eruditis *Ioannis Bernartii* 1595. 8. recusa Lugd. 1598. 12. Genev. 1605. et 1612. 12. Parisiensis porro ex diligenti recensione *Friderici Tiliobrogae* sive *Lindebrogii* cum Variis Lect. et *Luctatii* sive *Lactantii* g) *Placidi*

g) Ab aliis *Lutatius* vel *Luctatius Placidus*, aliis *Placidus Lactantius* appellatur, sub quo nomine glossae veteres latinae et in Ovidii Metamorph. argumenta exstant. Longe quidem diversus est ab elegantissimo scriptore Lactantio Firmiano, Arnobii discipulo, cuius eloquentiae et eruditioni pauca similia in istis ad Statium scholiis leguntur. Theodosii Imp. aequalem fuisse affirmat Io. Rhodius diss. de acia pag. 25. At non tantum meminit Sedulii, sed Boethii quoque, unde Iuniorem esse recte colligit Vossius de Poëtis Latinis c. 46. Perseum praeceptorem suum in VI. Thebaid. p. 213 laudare videtur his verbis: *Sed de his rebus* (de Antipodibus ibi sermo) *prout ingenio meo connectere potui, ex libris ineffabilis doctrinae Persei praeceptoris seorsim libellum composui.* Vossii iudicio commentaria eius sunt centones ex Servio, Hygini Mythologicis et Astronomico, eiusdem Arateo, et aliis quibusdam, quod de eod. Luctatio ante Vossium etiam pronunciaverat Ios. Scaliger p. 19. ad Euseb. Adde Vossium p. 736. de Hist. latinis. Merito tamen Nicolao Loensi *doctus lectuque dignus exegetes* audit, *praeter quidem glossemata*,

Placidi scholiis antiquis in Thebaida, emendatius editis atque in Achilleida tum primum vulgatis e Codice MS. Francisci Pithoei *h*) 1600. 4. et Genevae anno eodem. Commeliana cum notis *Iani Gruteri*, Heidelbergae 1600.

Fed. Morelli et Domitii Calderini observationes ad Statii Silvas, cum Lindenbrogii annotationum ad easdem corollario, Paris. 1602. 4. *Ioannis Barclaii* admodum adolescentis commentarii in Statii Thebaidem, incassum hactenus a me perquisiti, prodiere Mussiponti 1601. 8. de quibus sinistrum iudicium Barthii T. 1. ad Statium p. 1273. ad Thebaid. IV, 796. *Georgii Merulae* notas in Statium memorant Gesnerus in Bibl. et Iac. Gaddius T. 2. de scriptoribus non Eccles. p. 72. *Marci Musuri* Orthographia Statiana subiicitur editioni Aldinae a. 1502. 8. Sed et Luctatii scholia in Statium ab Aldo excusa a. 1508. notavit Io. Masson in Hist. Crit. Reip. literar. T. 1. p. 191. Commentarius *Bernartii* in Silvas Statii (a scholiis et notis

semata. Confer Barthii commentar. in Statium T. 2. pag. 871. et LII, 13. Adversar. Priore loco Vossium quoque reprehendit Barthius, quod scripserat Lutatium a Lindenbrogio primum editum, et centones vocaverat ex Servio et Hygino, quorum tamen commentationes vix centesimam illius partem sibi possint vindicare. Lutatius in Thebaidem iam Venet. 1490. fol. cum Statio lucem viderat, sed in Achilleidem primus edidit Lindenbrogius e MS. Codice Francisci Pithoei. In catalogo Pseudonymorum Viri Cl. Vincentii Placcii p. 216. pro Luctatii Commentario *in Statium* typographus perperam *in Tacitum* excudit. Porro Christianum scriptorem fuisse apparet ex iis quae in IV. Thebaidos scribit pag. 144. *Dei vocabulum sciri a nullo hominum potest, sed quid veritas habeat, percipe. Huiusne Dei nomen sciri potest, qui nutu tantum regit, continet cuncta, cuius arbitrio deserviunt, cuius nec aestimari potest mundus, nec finibus claudi? Sed cum magi vellent virtutis eius ut putabant sese comprehendere singulas appellationes, quas per naturarum potestates abusive modo designarunt, et quasi plurimorum nominum nobilitate Deum appellare conati sunt quasi ab effectu, cuiusque rei ductis vocabulis sicut Orpheus fecit et Moyses Dei summi antistes et Esaias, et his similes.* Plura huius Scholiastae loca illustravit emendavitque Thomas Munkerus notis ad Mythographos latinos.

h) Haec editio cum novis emendationibus et observationibus Lindebrogii MSS. tum ad Statium tum ad eius commentatorem servatur Hamburgi in Bibliotheca Ioannea.

notis antea editis diversus) lucem vidit Antverp. ex officina Plantini 1599. 8.

Porro cum notis *Emerici Crucei* prodiit Paris. 1618. 4. additis Scholiis Luctatii, et recentium animadvers. Barthio T. 1. p. 233. iudice, *Cruceus Papinium prius diligentius legere et penitius intelligere debebat, quam in tantum scriptorem commentarium moliri, tam male propitiato eius genio.* Caspar Gevartius autem III, 9. elector. pag. 113. *Miseret me profecto, quoties illius interpretis notationes lego, qui meris commentariorum suorum senticetis aureolas elegantissimi Poëtae Silvas nuper obduxit.* Plures ibidem in Crucei scholiis, sive ut vocat scoriis, ad Statium admissos errores castigat usque ad p. 153.

Cum eruditionis elegantis lectionibus Papinianis *Casparis Gevartii*, Lugd. Bat. 1616. 8. prodiit, et minori forma Amst. 1624. ex recensione *Danielis*, ni fallor, *Heinsii:* e *Io. Frid. Gronovii* Amst. 1653. 12. quam recensionem impense laudat Reinesius p. 151. Epp. ad Daumium. *Valde me delectarunt notae tam accuratae, et in pondere non magno satis ponderosae, viri ad restituendum genuinum auctoris sensum, peculiari quopiam genio nati a Charitibusque educati.* Confer Hugonis Grotii Epist. 673. ubi suas ad loca quaedam Statii coniecturas ad Gronovium transmittit. Eiusdem *Gronovii* in *Statium diatribae* seorsim prodierant Hagae Comitis 1637. 8. quarum lectionem omnibus rei Criticae studiosis vehementer commendamus. Hinc ipsi lites intercesserunt cum Emerico Cruceo, qui illi Antidiatribam Paris. 1639. forma minore, et deinde Muscarium ad Statii Silvas, Paris. 1640. 8. opposuit. At Gronovius eum probe depexum dedit, edito Elencho antidiatribes Mercurii Frondatoris, Paris. 1640. 8. Cum notis *Francisci Guieti* et versione Gallica *Michaelis Marollesii*, Paris. 1658. 8. tribus

bus Voll. Sequitur editio, quam cum eruditissimis *Casp. Barthii* commentariis, inspersis ad Thebaida et Achilleida *commentariis ac glossis veterum*, ante bonam partem ineditis, et *Scholiaste Luctatio*, multis locis castigato, *Christianus Daumius* curavit Cygneae 1664. 4. 2. Voll. In hac editione textus ex recensione *Io. Frid. Gronovii* descriptus est, margines Var. Lect. habent e MSS. etc. Sed omnino praefatio Daumii legenda est de hoc opere Barthiano. Porro Statium selectis variorum notis illustratum edidit *Io. Veenhuysen* Lugd. Bat. ex officina Hackiana 1671. 8. *Claudius* vero *Beraldus* in usum Delphini notis, paraphrasi, et indice omnium verborum ornavit Paris. 1684. 4. duobus Voll. omnium in usum Delphini editionum obvia rarissime.

Nostra aetate de Statio bene meruit *Ieremias Marklandus*, editis *Statii Silvis*, e libris antiquis, scr. et edd. emendatis, cum eruditissimis notis et animadversionibus suis Cantabr. 1728. 4. Huius praefatio omnibus legenda, qui de Codd. scriptis, et edd. pr. cognoscere cupiant, aut verae Criticae rei sint studiosi: quamquam ille putatur interdum paullo plus ingenio et doctrinae exquisitae contra libros obsecutus esse.

Ex Ios. Scaligeri Epistola 374. apparet, eum quoque, et Io. Wowerium iunctis operis novam Statii, veterumque in eum Scholiorum, editionem molitos. At enim eorum conatus, vulgato Parisiis Lindenbrogii, aemuli Woweriani, Statio sufflaminati videntur. Lipsius quoque in Epistola ad Ianum Lernutium testatus est, sibi notata quaedam fuisse ad sublimem hunc Poëtam. Multa etiam Statii loca vel emendantur vel illustrantur in Observ. Miscell. Vol. I. pag. 53—269. p. 317 — 363. II, p. 62 — 84. 217 — 239. 405 — 407. Auctor Britannus se usum dicit duobus MSS.

Ver-

Versioni *Gallicae* prosariae *Marollesii* supra memoratae, adiunctae sunt notae *Franc. Gujeti*, *Po. Peyra-redi*, aliorumque. *Italico* carmine (senza rima) Thebaida expressit *Hyacinthus Nini*, Senensis: quae versio excusa est Senae 1630. 8. Novae Metaphraseos Hetruscae (quae et ipsa homoeotelevtorum rhythmorum rationes negligit) sub nomine *Selvaggio Purpura* editae Rom. 1729. 4. auctorem esse constat *Cornelium* Cardinalem *Bentivolum*, Regis Hisp. apud Pontificem Oratorem. Mem. de Trev. 1729. p. 2096. Acta Erud. 1731. p. 122. 123. ubi celebratur non modo interpretis implevisse officia, sed ipsum etiam interdum Statium ingenii felicitate antegressus omnino videri. Pro *Valvasore* autem ibidem legendum *Valvasone*. Nam *Erasmus Valvasone* est, qui primus Thebaida Statii versibus Italicis octonis (ottava rima) expressum edidit Venet. 1570. 4. Novissime Mediolanenses polliciti, se daturos quicquid superest Poëtarum veterum Latinorum adiuncta singulis Italica metaphrasi, auspicium fecerunt a Statii Thebaide, *Corpus omnium Veterum Poëtarum Latinorum cum eorundem Italica versione* Tomus I. et II. *Statii Thebais, e la Tebaide di Selvaggio Porpora.* Mediolani 1731. 4. in Regia Curia ap. Ios. Richinum Malatestam.

Lexicon et paraphrasin Statianam adornavit Henricus Schaevius. Specimen Lexici illius pridem produxit, qui Schaevio praeceptore usus fuit, Morhofius lib. 3. polyhistoris cap. 10. sed integrum ab auctore absolutum exstare Stetini apud filios, testatus est a. 696. Michael Filitzius in specimine Analectorum ad Olaum Borrichium de Poëtis. Hinc a. 1702. in Novis literariis p. 73. eius vulgandi spes facta est a Fred. Redtelio scholae Stetinensis Conrectore. *Inveniet etiam amicus quidam noster*, inquit Rodolphus Martinus Meelfuhrerus praefat. Accessionum ad Bibliothecam promissam Almelovenii a. 1699. *quas e Manu-*

ſcripto quodam, quo olim Ioannes Trithemius Abbas Spanheimenſis uſus fuit, aliorum in Statium obſervationibus addet.

IV. INDEX SCRIPTORVM IN SCHOLIASTE VETERE STATII COMMEMORATORVM.

ad paginas edit. Lindenbrogianae.

Lactan-



CAPVT

CAPVT XVII.

DE

Q. CVRTIO.

I. *Curtii aetas, et sententia eorum, qui Historiam eius recentis scriptoris commentum esse opinantur explosa.* II. *Supplementa libri primi et secundi.* III. *Editiones.*

I. Q. *a*) CVRTIVS RVFVS quis fuerit et quando vixerit, incertum est. Nam locus lib. 10. cap. 9. unde aetatem eius colligere conati sunt viri eruditi, ita ambiguus est, ut ibi per *novum sidus* P. Pithoeus et Iac. Bongarsius *Augustum*, Popma, Matthaeus Raderus, Carolus Sponius et Iacobus Perizonius V. C. *Tiberium*, Iustus Lipsius, Barnabas Brissonius, Valens Acidalius, et Mich. Tellerius *Claudium*, Ianus Rutgersius, Gerh. Io. Vossius, Io. Henr. Boeclerus, Io. Tristanus Tom. 1. p. 279. Io. Loccenius, Philippus Caroli, et Io. Clericus *Vespasianum*, Io. Isaacus Pontanus *Traianum*, Caspar denique Barthius p. 1165. ad Claudian. *Theodosium* intellexerit. Et fuit sane Theodosii aevo *Curtius* quidam, sive *Turcius Rufius Apronianus*, qui Virgilium emendavit, sed longe is a nostro haud dubie diversus, cuius aetatem innuit et alter locus IV, 4. *Tyrus nunc tandem, longa pace cuncta referente, sub tutela Romanae mansuetudinis acquiescit.* Iam si idem est Curtius, de quo Tacitus libro XI. cap. 21. Annalium, et Plinius Iun.

a) Mentio etiam Q. Curtii apud Ciceronem lib. 3. Epist. 2. ad Q. Fratrem. Alius Curtius Montanus Iuvenali Sat. 4. et 11. et Tacito lib. 4. hist. memoratus; Curtius denique Salassus ap. Euseb.

Iun. b) lib. VII. Epist. 27. vel uti If. Casaubono, Vossio, Perizonio, aliisque, atque, si hoc addere operae pretium est, mihi quoque verisimillimum videtur, cuius inter claros Rhetores meminit Svetonius, mirum fuerit, historiam eius elegantissime scriptam a veteribus non memorari. Vnde reperti denique sunt, qui observatis quibusdam in Curtio locis, quae cum Geographia difficulter conciliari possent, qualia tamen in Herodoto etiam et aliis gravissimis c) auctoribus occurrere constat, non dubitarent affirmare, libros qui sub Curtii nomine feruntur, confectos esse ab erudito quodam Italo ante annos trecentos. Vide Bodinum d) c. 10. Methodi Hist. ubi Curtium Platinae aequalem fecit, Guid. Patini Epistolam 27. a. 1650. scriptam p. 96. editionis primae, et ad Carolum Sponium T. 1. pag. 232. seq. et Dan. Guil. Mollerum diss. de Curtio Altdorf. 1683. 4. add. Rapini observatt. de Historia et Historicis (reflex. sur l' Histoire) p. 233. et Vignolium Marvillium T. 1. Misc. Hist. et litterar. p. 57. Non paucos alios naevos in hoc scriptore visus est sibi animadvertisse Ioannes Clericus, in *iudicio de Q. Curtio*, quod

b) Nescio cuius Rufi opus omnibus numeris absolutum laudat idem Plinius lib. IX. Epist. 33. an illius, quem *Ciceronem Allobroga* dictum propter eloquentiam testis Iuvenalis VII, 214. Etiam Tacitum quaedam e Curtio in Annales suos transtulisse notat Lipsius ad VI. annal. p. 242. Vide eundem ad XI. p. 274. Arriano antiquiorem Curtium (non ex Arriano pleraque sua, ut volebant Isaacus Pontanus, et Angelus Decembrius, mutuatum) fatetur etiam Iac. Gronovius V. C. notis ad Arriani Alexandrum p. 260. in quibus Freinshemii supplementa et notas ad Curtium subinde castigat. Curtio Arrianum praefert, pluraque in Curtio reprehendit praeter *Rollinum* Hist. veteris Gallice editae Tomo VI. (Biblioth. raisonnée T. 13. p. 90.) Anglicus Arriani interpres *Roockius*, qui etiam Io. Clerici censuram recudi curavit, additis quibusdam Iac. Perizonii pro Curtio vindiciis et observationibus. Lond. 1729. 8. Curtium non adeo idoneum, qui adolescentibus ad imitandum proponatur, disputat Iacobus Bruckerus, Augusta Vindelicus in Miscellaneis Lipsiensibus T. IX. p. 12. seqq.

c) Confer Clerici artem Criticam parte 1. p. 33. Benedicti Averani diss. 3. in Thucydidem T. 1. Opp. p 232.

d) Bodinum impugnavit Ioannes Rainoldus praelectione centesima in libros Apocryphos T. 1. p. 123. Morellum *Magnus Daniel Omeisius* sive *Hermannus Breverus* Rigensis diss. de Curtii aetate Altdorf. 1683. 4.

quod pro exemplo Criticae in libris exercendae exſtat parte poſteriore Artis Criticae ſect. 3. nec eo indigno lectu iis, qui iudicandi hoc munus appetunt, ut excutere omnia conſveſcant, ſed et retinere iudicium diſcant. Acerbius quandoque Curtium reprehendi hic, arguerat Iac. Perizonius in eruditiſſimis notis ad Aeliani Var. p. 728. Reſpondit ſtatim Perizonio Clericus, ſub Theodori Goralli nomine in praefat. ad Pedonem Albinovanum. Tum vero ſcripſit Perizonius Q. Curtium Rufum, reſtitutum in integrum et vindicatum Lugd. Bat. 1703. 8. librum exquiſitae doctrinae et rectiſſimi iudicii, cuius lectione optime diſcere ſtudioſi poſſunt, quomodo in talibus rebus modeſte et accurate iudicari debeat, et quomodo ſpecies errorum, repugnantiae et ſimilium vitiorum, diſpelli poſſit. Clericus tamen ne tum quidem tacuit, et aliquid defenſionis cauſa dixit librum hunc recenſens in Bibliotheca ſelecta T. 3. p. 171. ſeq. Idem Clericus cum temporum quoque notationem Curtio neglectam obieciſſet, obſervatum tamen eſt, Clericum ipſum c. 7. iudicii de Curtio, ex ſolo illo ſcriptore omnem rerum geſtarum ſeriem a praelio ad Iſſum uſque ad Porum ab Alexandro victum Chronologico ordine digeſſiſſe. v. Memoires de Trevoux a. 1705. p. 811. Sed totum hoc de Curtii libris recentiori aetate ſcriptis facillime et breviſſime refellitur iis, quae Wagenſeilius in Pera librorum Iuvenilium T. 4. p. 178. diſſeruit in haec verba: *Etſi quacunque de cauſa non occurrit apud Antiquiores, qui extant, Curtii mentio, tamen ii, quorum aetas tria ſecula longe excedit, eius meminere, ut ſic ſaltem longe ante illa tempora vixiſſe illum neceſſe ſit. Iohannes nimirum Sarisberienſis, Carnotenſis Epiſcopus, quem anno 1182. vita exceſſiſſe conſtat, Curtium allegat in Policratico lib. 8. cap. 18.* (Vincentis Bellovacenſis lib. IV. ſpeciali doctrinalis cap. 125. Iacob. de Vitriaco, in Geſtis Dei per Fr. p. 1132.) *Philippus vero Gualterus Epiſcopus Inſulanus,*

nus, quem nonnulli Sarisberienſis aequalem temporum autumant, alii, ut Voſſius de Poëtis latinis, a. 1250. claruiſſe ferunt, in Alexandreide, ſive carmine, quo libris X. cecinit res geſtas Alexandri, Curtium ad verbum, e) quantum poterat, imitatus eſt. De Alphonſo quoque decimo Hiſpaniae Rege, qui ſapientis cognomen meruit et anno 1252. imperare coepit, Antonius Panormitanus in vita eius prodit, eum, cum gravi morbo laboraret, remedia Medicis fruſtra praeſcribentibus, coepiſſe legere Q. Curtii hiſtoriam de Alexandro M. adeoque illius dulcedine captum fuiſſe, ut ex ſola lectione ſanitatem recuperarit, haec ſaepe deinde repetiit verba erumpens: Valeant Avicenna, Hippocrates, Medici ceteri, vivat Curtius ſoſpitator meus. *Quamquam quid verbis opus eſt? monſtravit mihi olim ſolidum Reip. literariae columen, omnique laude dignus Vir, Antonius Magliabechus in Bibliotheca Medicea f) codicem Curtii antiquiſſimum,* forma minore quarta, *atque Lucae Holſtenii, quod ſimul literis conſignatum exhibebat, veriſſimo, quo in talibus pollebat, iudicio, haud minus annis ſeptingentis gravem. Quod ſupereſt, hic ſcriptor ab iis, qui grandem et pudicum Latinitatis ſermonem amant, aſſidue in manu ſinuque geſtari debet. Sunt enim illi verba electiſſima, acutae crebraeque ſententiae, expoſitiones mirificae, conciones multa facundia inſtructae, ita, ut oratio eius, utique ſervet Maieſtatis*

e) Idem notatum Barthio LII, 6. Alexander quoque Benedictus in libris de bello Veneto integras deſcriptiones e Curtio eſt mutuatus. Neque dicere licet Pſeudo-Curtium e Gualtero ſua expreſſiſſe, cum Curtius a Sarisberienſi ante Gualterum lectus fuerit. Laudatur etiam Curtius a Ioanne Tortelio lib. de Orthographia edito a. 1485. et liber Curtii primus a Iacobo de Creſollis Lombardo, qui ante annos amplius 400 ſcripſit, obſervante Barthio pag. 1165. ad Claudian. Saltem incredibile videtur temporibus illis poſt Gualterum quemquam fuiſſe idoneum ad Hiſtoriam ſcribendam tam eleganter, et tam nativo colore antiquitatis.

f) Hic eſt fortaſſe Codex ille, quem commemorat Decembrius Polit. liter. p. 487.

statis suae pondus. Io. Isaaci Pontani de Curtio sententia, qui illum e Tacito quaedam mutuatum et ex Arriano pleraque transtulisse existimavit, videnda Sylloge Epistolarum editarum ab Antonio Matthaeo, Pontani nepote, Lugd. Bat. 1708. 8. p. 108. 166. 229. 258. seq. Petrus Blaesensis Epist. 101. inter libros in scholis celebres, praedicat profuisse sibi *frequenter inspicere historias Q. Curtii.* Scholas frequentavit Petrus circa a. C. 1150. MS. Codicem Historiarum Curtii annorum octingentorum, qui exstat Parisiis in Bibliotheca Colbertina, laudat Bernardus Montfaucon V. C. praefat. ad Palaeographiam Graecam et Dan. Maichelius de Bibliothecis Parisiensibus p. 56. Journal literaire T. XII. p. 95. 96. Alium Schonhovii, exaratum ante aliquot saecula, Brugis evolvit Hadrianus Iunius. Alius Codex antiquus Curtii membranaceus fuit in Bibliotheca Menarsiana p. 64. Alius e seculo decimo, qui fuit Bongarsii, est in Biblioth. Bernensi. De Alfonso Hispaniae Rege, qui per Curtii lectionem morbo levari se sensit, traditur etiam apud Aeneam Sylvium p. 476. Opp.

II. Ex *libris decem de rebus Alexandri* Regis Macedonum duo *g*) primores interciderunt, qui in antiquioribus editionibus, ab anno 1545. Supplementis *Christophori Brunonis*, Monachii in Bavaria bonarum literarum in schola Poëtica Professoris, utcunque resarciuntur. His in editione Lugdunensi a. 1615. 12. adiunguntur alia quaedam, descripta e Bibliotheca S. Victoris *h*) a Ioanne Massono Baiocensi in Neustria Archidiacono, Papyrii fratre.

 Horum

g) Ita quidem editiones et plerique libri MSS. etsi Codex manu exaratus Petri Danielis, librum primum duntaxat, alii ne illum quidem integrum deesse innuunt. Vide Raderum c. 8. prolusionum ad Curtium, et Freinshemium in limine notarum. Porro fallitur Morerius, qui in Lexico Historico affirmat, Raderum supplementa in Curtium composuisse.

h) Vide Colomesii Bibl. selectam p. 185. et Catalogum MSS. Isaaci Vossii Cod. latin. IV.

Horum auctorem esse *Franc. Petrarcham i*) notavit Iosephus Scaliger. Etiam *Quintianum Stoam k*) libros illos supplevisse, ex Antonio Possevino et Iac. Gortonio narrat *Ioannes Freinshemius*, qui longe luculentius, doctius et plenius defectum librorum illorum supplevit, ut Mich. Tellerius dixerit, iacturam fere optabilem fuisse, quam tam feliciter et opportune restituerit Freinshemius. Idem Freinshemius et alias in Curtio lacunas explevit, quae occurrunt lib. 5. cap. 13. et libri sexti principio, et lib. 10. c. 1. et 4. Ab eo tempore vir doctissimus *Christophorus Cellarius*, cum Brunonem sterilitate, Freinshemium copia et prolixitate quodam modo peccare animadverteret, novis, succinctis et elegantibus supplementis Curtium auxit. Nova denique supplementa Curtii adornare tentavit *Christianus Iunkerus*. In Actis Eruditorum Lipsiensibus a. 1726. pag. 438. scripsit Vir doctus: *Incidebat nuper in manus nostras liber decimus Quinti Curtii, in membrana scriptus, integer sane et nullis lacunis deformatus, sed ab edito Curtio valde diversus. Servabant hae membranae integrum caput V. huius libri, maximam partem, prout editur, et reliqua cum hoc capite una et perpetua serie erant connexa. Sed si quis propterea, quod eae membranae unum caput Curtii repraesentant, affirmare auderet, reliqua etiam Curtii*

tii

i) Scaliger in Scaligerianis secundis pag. 61. *Omnia Q. Curtii, quae habemus, descripta sunt ex unico exemplari, reliqua recentia sunt ad unum omnia. In Bibliotheca S. Victoris primus liber Q. Curtii erat, sed deprehendi, compositum esse a Petrarcha.* Addubitant tamen auctores Diarii Veneti eruditorum Italiae Tom. IX. p. 144.

k) Respici videtur libellus sedecim vix paginarum nullius pretii editus Vener. 1555. 8. hoc titulo: *Q. Curtii Rufi Historiarum Alexandri Magni Macedonis duo priores libri hactenus desiderati.* Sed Stoam supplementa Curtii fecisse, negat Mottanus Vayerus in iudicio de Historicis T. 1. p. 376. Idem de *Henrico Glareano: Henry Glarean n'est suivi pas personne dans sa distribution de l'Histoire le Quinte Curce en douze livres, retablissant les deux premiers, et divisant le reste en dix autres, au lieu des huit ordinaires.* Integrum Curtii opus extitisse MS Viennae Austriae in Bibl. Wolfgangi Lazii, falsa, ut videtur, fama fuit.

tii esse, is morem compilatorum vetustiorum ignorare se fateretur. Sed ubi illae membranae sint, et cuius fuerint, reperire non potuimus. In antiquis editionibus, ut prima Vendelini, ordo turbatus est, ita ut quintus et sextus liber in unum contrahantur, adeoque novem tantum libri numerentur, pro septimo nimirum sextus, pro octavo septimus, atque ita deinceps usque ad ultimum, in quo multae lacunae. In nonnullis etiam, ut in versione Italica Pub. Candidi, quae sequuntur a capite duodecimo, post verba: *intuentibus lacrymae obortae*, petita feruntur e libro Curtii non decimo, sed duodecimo. *Seguita el resto del duodecimo libro del Quinto Curtio Ruffo.* Alexander Decembrius libro VI. de politia literaria cap. 67. ubi nonnulla in Curtio reprehendit, librum unum tantum ab initio desiderari existimabat. Glareanus in libros duodecim Curtium divisit.

III. Editiones et interpretes Curtii diligenter recensuit Freinshemius in prolegomenis commentario suo praemissis, cuius industriae nonnulla adiungemus. Prima librorum Curtii editio, cuius apud nos exemplum est, sine temporis notatione apud Vindelinum Spiram facta est Venetiis fol. parvo, his in fine versibus:

Vindeline, meae prius hic rediturus in auras
Spiritus, et corpus linquet inane meum
Quam tua nobilitas, virtus atque inclyta fama
Pectore labatur, candide amice meo.

Hanc editionem a. 1470. adsignat Maettarius in Catal. Bibl. du Boze a. 1471. Secuta proxime videtur Romana f. a. et l. per Georg. Laver. Tum editio a. 1474. quae fuit apud Casp. Barthium, eoque exemplo usus est Freinshemius. Erat et in Gudiana editio in fol. recusa per Georgium Laver, forte eadem cum Romana illa. Mediol. 1475. et 1481. fol. per Ant. Zarotum editus est, impendio Ioan-

Ioannis Legnani, Veron. 1491. fol. fuit in Bibl. Nicolai Heinſii, eſtque et in noſtra. Eius lectiones ab vulgata diverſas excerpſit Maettarius et edidit in exemplo Curtii ab ſe curato. Veneta 1494. fol. curata eſt a Bartholomaeo Merula, quem Barthius vere ſcripſit, primum optimo auctori corrumpendo audaciae ſignum ſuſtuliſſe. Veneta 1497. fol. ad eandem Merulae expreſſa per Ioannem de Cereto de Tridino, al. Tacuinum, quam Perizonius habuit, et 1502. fol. apud eundem Tacuinum, cui editioni, cum priore in caeteris ſimili per omnia, acceſſerunt Epiſtolae Curtio ſuppoſitae, quae ſeparatim interim viderant lucem Regii Lepidi 1500. 4. Inde commemorandae editiones Curtii ſeculi XVI.

Argentorati 1508. fol. prodiit cum annotatt. *Eraſmi.* Tubingae a. 1513. fol. apud Anſelmum Badenſem, ex Veneta anni 1494. expreſſa, cum praefat. Barth. Merulae. Florentiae apud Phil. Iuntam a. 1517. 8. ex recognitione *Lucae Robiae*, cuius ad Alex. Acciaiolum praefatio poſt Petri Bargetani ad Robiam Hendecaſyllabos praemittitur: Baſileae 1517. f. per Beatum Rhenanum cum notis Eraſmi, Hutteni, Glareani, Hoeningeri, adiecta Alexandri Epiſtola *l*) ad Ariſtotelem de Indiae ſitu ac mirabilibus. Argentorati iterum 1518. apud Schurerium f. cum Eraſmi Annotat. Epiſtola ad Erneſtum Bavariae Ducem. Aldina 1520. 8. in qua plures libri etiam ſcripti adhibiti ſunt. Compluti Laurentius Balbus Lilienſis edidit 1524. 4. quam editionem nec ipſi vidimus, nec a quoquam deſcriptam

l) De hac dixi lib. 2. Biblioth. Graecae c. 10. § 17. Quod autem in Petri Bembi Epiſtolis lib. IV. p. 549. legas: *Sadoleti Curtius valde eſt hic in hominum oculis*, non eſt intelligendum de editione huius ſcriptoris, ſed de poëmate Sadoleti Latino heroico, quod *Curtium* inſcripſit, et quo Antonius Florabellus in illius vita ait conſtare, quod gravis et grandiloquus Poëta evaſurus fuiſſet, ſi ei ſe ſtudio penitus voluiſſet addicere. Poëma ipſum in C. Curtium Cos. a quo Curtius lacus nomen tulit, legitur in Sadoleti Operibus pag. 844-872. Mogunt. 1607. 8. et in anthologia ſelecta Poëmatum Italorum qui Latine ſcripſere, Lond. 1684. 8. p. 181.

ſcriptam reperimus. Pariſiis cum notis et indice Eraſmi 1533. 8. Simon Colinaeus, quae editio repetita eſt a. 1543. et 1553. 8. Baſileae 1534. Thom. Wolfius cum notis Eraſmi, et Vlr. Hutteni floribus ſive indice elegantiarum. Secuta eſt alia Veneta a. 1535. itemqe altera Coloníenſis 1538. apud Ioannem Gymnicum, cum Eraſmi notis, floribuſque Hutteni: Lugdunenſis apud Gryphium 1541. 8. et altera in 12. 1551. Baſileenſis a. 1545. fol. apud H. Petri dicata Alberto Comiti Palatino Rheni, utriuſque Bavariae Duci, cum ſupplemento primorum librorum ex Arriano, Plutarcho, Iuſtino et Diodoro per *Chriſtophorum Brunonem*, nec non finis in quinto libro, et fragmentorum in decimo reſtitutione, Vita Alexandri a Ioanne Monacho ſcripta, et Epiſtola Alex. de Indiae ſitu, notiſque Eraſmi et Hutteni floribus. Antverpienſis 1546. 8. non inſpecta Freinshemio, ex officina Io. Loëi, curante *Hadriano Iunio*, qui antiquiſſimi Codicis Schonhoviani lectiones diligenter annotavit, et ex eo Curtium bene caſtigavit. Et Francofurtenſis cum Acidalii animadverſ. itidem in 8. Lugdunenſis 1545. 8. 1555. 12. et tertia a. 1584. 12. apud Anton. Gryphium cum *Chriſtophori Brunonis* praefatione et ſupplementis, emendationibuſque *Franciſci Modii*, et variis lectionibus ex vetuſto Codice Benedicti Theocreni, ſubiuncta etiam vita Magni Alexandri auctore Io. Monacho. Huius editionis notitiam accuratam dedit Chriſtophorus Auguſtus Heumannus *m*) in ſchediaſmate de libris Anonymis et Pſeudonymis p. 127. eſtque ea in optimis numeranda. Lugdunenſis a. 1546. cum Alexandri Epiſtola. Lugdunenſis 1551. et alia 1569. parum accurata, ut Modio et Acidalio notatum. Antverpienſis 1568. 12. cum eadem vita Alexandri a Io. Monacho ſcripta et ab Angelo Coſpo latine reddita.

Hen-

m) Hanc videre ſibi non contigiſſe dolet Snakenburgius, cui Cl. Heumannus non fuiſſet eam negaturus, qui poſſidere ſe illam teſtatus eſt in conſpectu Reip. litterariae p. 175. edit. ſecundae.

Henrici Glareani Curtius, cum eius notis, Basil. 1575. 8. prodiit nova partitione in Libros XII. inducta, et supplemento libri primi ex Arriano, libri secundi e Diodoro addito, argumento etiam singulis libris. Sed omnis eius opera parum probata fuit Acidalio, Modio et aliis. Curtius a *Francisco Modio* ad MSS. Codices recognitus, cum eius notis, prodiit Colon. 1579. 8. atque iterum 1591. 8. quae est e Modianis optima. Editus Lugduni eodem a. 1591. 8. Curtius ex Antonii Candidi typographia, una cum Plutarcho de vita et fortuna Alexandri, et Gnomologia Curtiana, atque iterum cum praefatione S. G. S. ibid. 1597. et 1624. forma minore. Hinc memoranda editio Francofurtensis anno 1597. cum *Valentis Acidalii* animadversionibus a. 1594. ibid. ante excusis: Genevensis a. 1602. apud Iacobum Stoer; et altera a. 1614. Cum synopsibus, et argumentis *Matthaei Raderi* Monachii 1615. 12. at e recensione *Raderi* primum Colon. 1623. 8. iterum Coloniae 1630. 8. cum eius etiam notis, quae ante prodierant, ibid. 1628. fol. Lugdunensis a. 1615. 12. apud Paulum Frellonium, habet prima supplementa Curtii e Biblioth. S. Victoris, de quibus supra §. 2. dictum. Amstelodamensis a. 1621. apud Guilelmum Iansonium. Leidensis cum notis *Titi Popmae*, anno 1622. 1633. 12. Leidensis cum eiusdem notis *T. Popmae* et *Ioannis Loccenii*, a. 1625. 12. Recusae sunt *Loccenii* notae etiam in editione Amst. 1656. 12. Amstelodamensis a. 1628. 12. cura *Ioannis Isaaci Pontani*, apud Ioannem Iansonium, *quam ego*, inquit Freinshemius, *habeo pro emendatissima earum, quae hactenus prodierunt.* Est et altera perquam nitida et emendata Elzeviriana Lugd. B. 1633. 12. E recensione *Nic. Blancardi* prodiit Lugd. Bat. 1649. 8. et Amst. 1673. 8. Ex *Andreae Reyheri* editione, Gothae 1658. 8. Cum notis *Io. Loccenii* Lipsiae 1674. 1685. praemissa Ioach. Gesenii praefatione, et cum Loccenii indice Philologico, Amst. 1648. 12.

Prae

Prae caeteris vero laudandus ipse iterum *Ioannes Freinshemius* est, qui Curtium accurate recensitum, minutisque sectionibus distinctum, cum variis Lect. *n*) commentariis doctis et copiosis, novis supplementis, locupletissimoque indice vulgavit Argentorati 1648. 8. 2. Voll. In capite quarto Prolegomenon, in quibus de Curtii aetate, dictione, editoribus disserit, alii etiam scriptores Graeci et Latini, qui res *o*) Alexandri M. literis consignarunt, recensentur, quibus non pauca addi possunt ex Reinesii Epistolis ad Hoffmannum, p. 311. seq. De commentario autem Freinshemiano ita ad Io. Lud. Fabricium scripsit Taneguidus Faber lib. I. Epist. 5. *Librum commentarium, quem in Curtium edidit, postquam a nobis abisti, legimus, nullam unquam bonarum rerum messem uberiorem videor vidisse, nullam latius patentem omnigenorum librorum lectionem, opus haud dubie ultima posteritate dignum.* Sed ista elogia tamen pro illius temporis ingenio ac modo sunt intelligenda. Saepius ab eo tempore in Germania et Belgio Curtius prodiit, cum iisdem Freinshemii et selectis aliorum notis per paginas singulas textui statim subiectis. Praecipue laudatur editio Argentoratensis, studio Ioannis Henrici Rapp. 1670. 4. *p*) ut editionem cum notis variorum Amst. 1664. et 1672. 8. *Cornelio Schrevelio* curante vulgatam, et Francof. 1668. 8. recusam, praeteream, in qua Freinshemii commentarii, sed non integri, sunt adiecti. Exstat et Curtius cum Freinshemii supplementis excusus Amst. 1687. 8. cum emendationibus quibusdam *Iani Rutgersii*, et *Iosephi Scaligeri* palmaria correctione loci lib. III. Amst. 1670. forma minore. Rutgersii emendationes occurrunt etiam in

n) Freinshemium hinc inde reprehendit Iac. Gronovius in notis ad Arrianum de expedit. Alexandri. Vide et Io. Clericum parte III. Artis Criticae p. 708.

o) Confer si placet Bibliothecam Graecam lib. III. cap. VIII.

p) Editio Argentoratensis 1670. 4. notas *Freinshemii* non singulis paginis substratas, sed ante locupletissimum indicem separatim impressas exhibet.

in edit. Lugd. Bat. 1625. 12. ex Freinshemii editione cum indice necessario, cura *Io. Gezelii*, Aboae 1675. 12.

In usum Delphini novam Curtii editionem adornavit *Mich. Tellerius*, Paris. 1678. 4. praelo iterum subiectam Lond. 1705. 8. In hac editione Tellerii perquam incommodum est, quod capita aliter distincta sunt, quam in aliis editionibus. *Samuel* quoque *Pitiscus* selectis commentariis, variisque iconismis aeri affabre incisis, quas ex Lipsii et aliorum Antiquorum scriptis repetiit, illustratum edidit Curtium Vltraiecti 1685. et auctius *q*) 1693. 8. et iterum Vltraiect. 1708. 8. opera parum viris doctis probata. Cum pluribus etiam iconibus in aes incisis et variorum notis Raderi, Bongarsii, Popmae, Salmasii, Gronovii, Loccenii et Freinshemii nitide excusus est Amst. 1696. 8. apud Petrum vander Aa.

Circa idem tempus *Christophorus Cellarius* eundem scriptorem floridissimum novis supplementis, tabulis Geographicis, notis et dissertatione de moribus Alexandri utiliter auctum in lucem emisit Lipsiae 1688. 1691. 1696. 12. et 1711. 12. cui editioni suas in tironum usus notas adiunxit *Christianus Schoetgenius*. Mittimus editiones factas in usum tironum, ut *Iunkeri*, *Stübelii* etc. quo et Maettariana editio Lond. 1716. 12. pertinet. Restat una, de qua dicendum sit, maioris operae et formae editio, quam debemus *Henrico Snakenburgio*, factam Delph. et Lugd. B. a. 1724. 4. In ea basis textus facta est recensio Freinshemiana secundum primam editionem, a qua sine gravi et iusta causa non discederetur, quod et paucis locis factum est. Libris scriptis usus est tribus, uno vetere et bono, duobus recentioribus Vossianis, excerptis e MS. altero, forte Florentino, lectionibus ab Heinsio in exemplo Veneto scriptis. Ab exemplis editis parum instructus

q) De mendis typographicis atque integris versibus in hac editione omissis queritur Christianus Iunkerus.

ſtructus fuit, nec habuit ullam Aldina priorem. Nempe vir doctus, ut ſaepe fit, ad edendum Curtium acceſſit, non, quia libros Curtii, et eius exempla antiqua, diu tractaſſet, et obſervaſſet multa, quibus ei prodeſſe vel corrigendo, vel illuſtrando poſſet: ſed quia a librariis opportunitas edendi oblata eſſet. Neque tamen haec editio contemnenda eſt, in qua quicquid boni ab ſuperioribus vel editoribus, *Modio* in primis, *Freinshemio*, *Acidalio*, in Curtii libros ſcriptum eſt, aut ab aliis viris doctis per occaſiones alias bene, vel ad emendandum vel ad explicandum, dictum reperitur, cum Vindiciis etiam *Perizonii*, item Supplementa omnia ante edita, denique in capite, quae Freinshemius de aetate, vita, edd. Curtii ſcripſit, adſperſis etiam ſuis notis. Inter textum et notas interiecta eſt Lect. Var. collectio.

Editionem Curtii paraſſe vel curaſſe *Io. Bapt. Nicoloſium*, Siculum, in quo eum Geographicis in primis notis illuſtraret, tradit Ant. Mongitor in Biblioth. Sicula T. I. p. 333. Moliebatur et editionem novam *Heumannus*, cui proluſit ſpecimine emendationum edito in Act. Erud. Tom. VII. Suppl. p. 54. et in Parergis Criticis, quarum et ratio ab Snakenburgio habita eſt.

Verſiones Curtii quamplurimae exſtant. De *Germanica* quidem Ioannis Friderici von Leiſten ſive Lehſten, Francofurti 1653. 8. et 1696. 4. recuſa, ſiniſtram fert ſententiam I. H. Boeclerus in brevi iſagoge ad Auctores claſſicos recte tractandos p. 20. Longe hanc verſionem poſt ſe relinquit nova, Leonh. Chriſtophoro Ruhlio, ut ſuſpicio eſt, concinnata auctore, quae a. 1720. Halae Saxonum lucem vidit 8. *Svecica* interprete Io. Sylvio, Holmiae 1695. 8. prodiit. *Danice* ſupplementa Freinshemii et liber Curtii tertius per Wingaardum, Hafniae 1704. *Bohemicam* verſionem Kaczerii Archigrammatei Poſonienſis, neſcio an editam, memorat Dan. Guilelmus Mollerus

lerus diss. de Curtio §. 21. *Italice* per Nic. Castellum Lips. 1698. 8. At vetus Italica interpretatio elaborata a *Publio Candido*, vidit lucem Florentiae 1519. et 1530. 8. ex officina Philippi Iuntae et Venet. 1535. 8. subiecta comparatione Alexandri et Caesaris, eodem Candido auctore. Aliam versionem Italicam Curtii, a *Thomasio Porcacchio* adornatam, memorat Hieronymus Ghilini in theatro virorum doctorum Tom. I. p. 217. Vidit illa lucem Venet. 1558. 4. *Gallica N. Seguierii* prodiit Paris. 1613. 8. Genev. 1614. 8. *Vogelasii* vero Paris. 1647. 4. et iam quinta editione 1659. 4. recusa etiam Amst. 1673. 8. 1699. 8.

Notum est, *Claudium Fabrum Vogelasi Dominum* Gallicae Curtii versioni integros triginta annos insudasse. Balzaco dicta *l'Alexandre inimitable*. Freinshemii supplementa non Vogelasius vertit, sed *Petrus Ryerus*. Quod non animadversum D. Christiano Thomasio *r*) qui miratur Vogelasium in primo statim libro, capite primo gravem errorem commisisse. In Annae Daceriae elogio *s*) notatur, eam a parente suo Tanaquillo Fabro seorsim sensisse in hoc, quod Faber, perinde ut alii, multi Vogelasianum Curtium, velut specimen eloquentiae Gallicae insigne, fuerit admiratus, ipsa vero multa in illo, ut affectata, et parum Gallica, reprehenderit. Anti-

r) Vide Christiani Thomasii muntige Gedanken a. 88. part. 2. pag. 354. seq. Ceterum Adamus Ebertus in relationibus e Parnasso p. 192. ait Vogelasium expertum esse fatum, quod tonsor aliquis Lutetiae habuerit, qui tonsuram secundum morem novissimum incipiendo, illius mutationem intellexisset antequam ad alteram pervenit partem: sic illum quoque secunda vice recensita versione, et opere ferme finito, animadvertisse, praesentem linguae Gallicae genium non respondere ei, qui viguisset, cum versionem ordiretur, ideoque triplicandum fuisse tentamen. Martial. VII, 82. *Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci Expungitque setas, altera barba subit.* Similis interpretis cunctatoris mentio in T. 2. Menagianorum p. 18. *M. Patru à été quatre ans à traduire la premiere periode de l'Oraison de Ciceron pour le poëte Archias, encore n'at il pas rendu ces mots:* quod sentio quam sit exiguum.

s) Journal des Savans 1721. Jan.

Antiquior Curtii verſio Gallica in membrana cum iconibus eleganter depictis ex Bibliotheca Reginae Svecorum Chriſtinae pervenit in Menarſianam p. 67. Etiam in Catalogo Bibliothecae Marckianae p. 100. memoratur Curtius Gallice ante aliquot ſaecula verſus ſcriptuſque in pergamena, et imaginibus pulcherrimis ornatus, folio magno. MStum etiam tale Gallicum in membrana ſervat Bibl. publica Ienenſis, teſte nobiliſſ. Struvio introduct. in notitiam rei literariae pag. 182. *Belgica* Glaſemakeri verſio Amſt. 1663. 8. ut accurati interpretis, laudatur in Catalogo Bibliothecae illuſtris viri Gerhardi van Maſtricht, pag. 717. Prodiit iterum Belgice Curtius Amſt. 1728. 8. tabulis etiam in aes inciſis exornatus. *Anglice* prodiit Curtius Lond. 1694. Recentior verſio *Anglica* interprete *Ioanne Digbaeo* armigero, Lond. 1715. 12. duobus Volum. nitido charactere typorum et 1726. Hanc Gallicae Vogelaſii nihil cedere elegantia iudicant Memoriarum Trivoltinarum auctores a. 1716. p. 179. *Polonice*, Cracov. 1624. fol. *Ruſſice*, ab *Elia Kopvewitz*, Moſcuae 1710. 4. Memoires de Trevoux a. 1710. p. 1098. et 1711. p. 1658. *Hiſpanice* a Gabriele de Caſtaneda a. 1534. fol. et noviſſime a *Matthaeo Ybannez de Segovia*, Madrit. 1699. fol.

De *Epiſtolis* Curtio ſuppoſitis ita Io. Frid. Gronovius in elencho antidiatribes Mercurii Frondatoris pag. 99. *Quis aeſtimabit ſcriptum nihili, cui docti viri nomen adſcribitur? Quis Epiſtolas Q. Curtii, Pauli et Senecae amoebaeas, otioſorum et putidiſſimorum hominum figmenta, miratur, quia illuſtria nomina praeferunt?* Eas prodiiſſe adiunctas editioni hiſtoriarum Curtii Venetae 1502. fol. diſcimus e Bibl. Barberina. In Bibl. Kielmanniana Epiſtolas illas Curtii nomine editas primum Regii Lepidi 1500. 4. ab Vgone Rugerio ſive de Rogeriis, Regienſe, dominante Bononiae Ioanne II. Bentivolo traditur.

ditur. Paucis foliis conſtant, diviſaeque ſunt in *libros quinque;* venditantur autem ſcriptae non a Q. Curtio Hiſtorico, ſed a Curtio longe vetuſtiore Duce Romano, variiſque aliis Romanorum et Carthaginienſium Ducibus, et Senatus Rom. nomine ad Curtium, et nomine Fabii, Lucii, Papyrii Cos. et Decemviri, Hannibalis, Perſici, Haſdrubalis, Ariolorum, Fauſtini, Iambuli, Poſtumii Decemviri, Quintiani Procos., Valgarii, Eulibii, Portii, Portiae, Sertorii, Alethis Regis Corinthi, Cincinnati, Hiſtilii, Numae Pompilii, Sertorii, Viridiani, Ennii Montani, Maſiniſſae, Manlii Torquati, Alexandri, Bruti Conſulis primi, Livii, Sextii, Antoniani, Appii Claudii, Pampiniani (Pompeii) magni, Iulii, Catonis Vticenſis, Parthici maioris, Fabii max. M. Curii, Fabricii, M. Attilii Reguli, Fulvii, Metelli, M. Marcelli, Samnitium, Scipionis Africani, Sulpicii auguris, Cambii adoleſcentis, Corneliae, Lupii Liribii. Libro quarto praefigitur oratio brevis contra aſſentatores et detractores. In MS. Bongarſiano apud Bernenſes e Sec. XV. reperiuntur harum Epp. L. tres, quarti autem tantum prima et ſecunda, deinde tres aliae varii argumenti. v. Sinneri, V. Cl. Catal. Bibl. Bern. p. 361.



CAPVT



CAPVT XVIII.

DE

IVVENALI.

I. *Iuvenalis aetas.* II. *Satirae.* III. *Earum editiones atque interpretes.* IV. *Versiones.* V. *Miscella.* VI. *Index Scriptorum in Scholiis antiquis ad Iuvenalem laudatorum.*

I. DECIMVS *a*) IVNIVS IVVENALIS Aquinas, ut ipse testatur III, 319. unde in nonnullis libris script. et edd. factum *Arpinas*, cum satira non absurde composita in Paridem pantomimum, qui in deliciis aulae erat, Domitianum *b*) offendisset, per honorem militiae, quanquam octogenarius, urbe summotus est, missusque ad praefecturam cohortis in extrema parte tendentis Aegypti, ut narrat Svetonius in eius vita: quamobrem *Histrionis exsul* vocatur a Sidonio IX, 270. Scripsisse pleraque Traiani imperio, imo Hadriani, iam observavit Lipsius, quem vide lib. IV. Epistolicarum quaest. 20. et Salmasius ad Solini c. 32. pag. 319. seq. Marium Priscum, qui sub Traiano condemnatus est, tangi Sat. I. v. 49. notat Camillus Silvester Comes Rhodiginus in notis ad Italicam Iuvenalis Metaphrasin p. 47. Sub Hadriano

a) Non *Decium*, sed Decimum huius scriptoris praenomen esse, docet Lud. Carrio libro emendationum et capite primo. Ab antiquis librariis communiter *Ethicum* cognominari notat Barthius in Adverf. VI, 1. ut Martialem *coquum*, Propertium, *nautam*, Ovidium *Getam*, Statium *Aquilinum*, Prudentium *Amoenum*. Confer Nic. Antonium Bibl. Vet. Hispanae lib. 1. p. 62.

b) Fallitur vetus Scholiastes, qui ad Sat. 7. v. 92. notat Neronem a Iuvenale tangi, et hunc propterea missum esse in exsilium a Claudio Nerone. Forte legendum: *a Calvo Nerone*, id est a Domitiano. In Pentapolin Libyae relegatum esse a Domitiano Iuvenalem scribit Io. Malalas T. 1. Chronographiae p. 341. cuius verba repetit Svidas in Lexico.

no demum satiras edidisse, ab eodemque in exsilium missum esse a. C. 119. contendit Dodwellus in Annal. Quintilianeis, in quibus et Iuvenalis vitam persequitur. *Ethici* nomine passim laudant sequioris aetatis scriptores, ut Petrus Blaesensis in Epistolis, Io. Sarisberiensis, Vincentius Bellov. et alii. Honorius Augustod. praefat. ad lib. 4. de philosophia Mundi: *ut iam verbis Verbicii* (leg. Vmbricii) *possit uti, atque ideo nulli comes ex eo tanquam mancus et existens c) corpus non utile dextrae.* Petrus, Epist. 77. *Non sumus ergo pares,* dicit Vmbricius, *melior qui semper et omni nocte dieque* etc. Iuvenal. III, 104.

II. Exstant eius *Satirae XVI. in libros quinque digestae*, ut primus quinque priores, secundus sextam, tertius et quartus singuli ternas, quintus reliquas quatuor complectatur. Satira 1. alios poëtas perstringit, exposita causa, cur ipse accesserit ad hoc genus scribendi. 2. tangit Hypocritas: 3. urbis incommoda: 4. convivas Domitiani: 5. parasitos: 6. mulierum flagitia et scelera. 7. artium *d*) neglectarum querelam continet, et 8. de claritate natalium. 9. perstringit cinoedos, 10. vota inania ridicula, 11. luxum, 12. heredipetas: 13. docet scelera tandem non impunita abire: 14. de exemplis parentum, 15. de religionibus peregrinis, 16. de *e*) privilegiis commodisque militiae. — Quod ad genus Satirae attinet, in ea imitatus est Comoediam graecam antiquam, et dum voluit vitia invisa reddere, asperius atque etiam obscenius scripsit, (neque enim amore obscenitatis ita scripsit) cum Horatius leni-

c) *Extinctae* Iuvenal. III, 48.

d) Tarteronus praef. ad Iuvenal. *la septieme quinzieme, et seizieme Satire ne furent pour lui que des coups d'essay. Il commenca ses coups de maitre âgé d'environ quarante trois ans, et fit les treize autres dans le cours de vingt années, c'est à dire jusqu'à la troisieme du regne de l'Empereur Adrien, et se reposa ensuite, ou mourut.* Confer quae de Iuvenali Franciscus Vavassor libro de ludicra dictione p. 242. seq.

e) De auctore Satirae 16. addubitat Grotius ad Lucae III, 14. et Rutgersius p. 338. Var. Lect. Genuinam negat Decembr. p. 59. s.

lenitatem potius comoediae novae ſequatur, ridendo magis quam indignando verum dicens: veterem imitatus in eo, quod et nominatim, ſed fere obiter perſtringit hominum vitia.

III. Iuvenalis editiones plures iam retulimus ſupra in Perſio, qui ſolet coniungi, et licet iunior aetate, ſubiici, ut Mediolan. per Zarotum 1474. fol. etc. Sed exſtant etiam aliae tunc indictae. Prima omnium facta eſt Romae 1470. fol. ſine anni nota et typographi (v. Maettar. T. 1. pag. 296.) Eodem tempore ibid. ſine anni nota, per Vlr. Gallum. Proxima his eſt cum commentario *Domitii Calderini* Veronenſis, Rom. 1474. f. et Venet. 1475. fol. per Iacobum de Rubeis: Vicentiae per Henr. Liberarium 1480. fol. Venet. 1483. et 1485. f. per Baptiſtam de Tortis, ibid. 1483. fol. per Thomam de Alexandria, et Mediolan. 1483. fol. per Leonhardum Pachel et Vldericum Scincenzeler ſocios. Cum *Georgii Merulae* Alexandrini enarrationibus, addito eiuſdem commentario in orationem Ciceronis pro Ligario prodiit Tarviſii 1478. fol. per Barthol. de Confoloneris, et Venet. 1478. f. per Gabrielem Petri, et Brixiae 1486. f. et cum aliorum notis Venet. 1493. et 1497. etc. porro per Iacobum de Rubeis, Pinarolii 1479. fol. Lipſiae 1497. 1507. f. Pariſ. 1498. f. Argent. 1518. 4. etc. Cum comment. *Ant. Mancinelli*, Veliterni Norimb. 1497. fol. In Capite notavit loca, in quibus inprimis laboravit, et e quibus tractatis de ſua opera iudicari velit. Eiuſdem cum *Calderini*, *Georgii Vallae*, et *Georgii Merulae* commentariis et 1500. quo nos exemplo utimur, Venetiis a. 1498. fol. per Ioannem de Tridino de Cereto. Cum Perſio, addito commentario erudito, edidit *Ioannes Britannicus* Brixianus 1501. fol. *f*) Poſt prodiit additis quibuſ-

f) Ante hanc aliam editionem factam, diſputatur in Brixiana literat. pag. 145. e praefat. ed. Aſcenſ.

busdam *Angeli Politiani*, *Phil. Beroaldi*, et *Baptistae Egnatii* annotationibus Mediolan. 1514. f. *Badii* item *Ascensii* Paris. 1519. et adiunctis scholiis *Caelii Secundi Curionis* Basil. 1551. fol. apud Froben. et addito ad Britannici et Curionis commentaria etiam vetere scholiaste, Parisiis 1602. 4. apud Claudium Morellum et 1613. 4. cum Persio editus est nitide a Rob. Stephano Paris. 1544. 8. cum notis brevibus *Theodori Pulmanni*, qui tribus Codd. MSS. usus, et *Hadr. Iunii* observationes addidit, Antverp. 1565. 8. et 1566. 12. tum Paraphrasi *Federici Ceruti* Veronensis addita Venet. 1597. 4. Augustae Taurinor. 1599. 1603. 4. quo anno et Hanoviae ap. Wechel. prodiit, e MSS. duobus et comment. vet. MS. plus quam ducentis locis, ut titulus habet, correctus: additis comment. *Eilh. Lubini.* Ea editio etiam repetita est 1619. 8. In Iuvenalem et Persium Observationes *Bernardi Autumni* lucem viderunt Paris. 1607. et Paradoxa in Iuvenalem dedit *Angelus Sabinus* Rom. 1474. f.

Praestantissimam Iuvenalis editionem debemus *Henrico Christiano* g) *Henninio*, in qua Poëtae vita ex codice Isaaci Vossii auctior, et diss. Nic. Rigaltii de Satira Iuvenalis praemittitur ex edit. Paris. 1616. 12. tum Poëtae versibus per singulas paginas subiiciuntur veterum *h*) Scholia

g) Clariss. *Henninius*, cui luculentam Iuvenalis editionem debemus, Historiarum et Eloquentiae in Academia Duisburgensi Professor, diem a. 1706. successore Henrico Mascampio, cuius praeclarae Institutiones Historiae exstant.

h) Non unius autoris esse quae P. Pithoeus sub veteris scholiastae nomine vulgavit, satis est perspicuum. Ante Pithoeum in octavam satiram quaedam vulgaverat Georgius Valla, sed non ita diligenter exscripta, quae *Probo* autori tribuit. Sed Valerii Probi, Berytii Grammatici, esse nequeunt, quae in quibusdam aperte sapiunt aevum Imperatorum Christianorum. Itaque fuerint alterius Probi, scriptoris Christiani, de quo Lupus Ferrariensis Epist. 34. et 20. ubi satiram illius memorat, qua Ciceronem ac Virgilium coelo intulit, contendens Christum morte sua etiam paganis sapientibus profuisse. *Petrum Birthium* Scholiorum in Iuvenalem autorem appellat Gonsalus de Salas ad Petronium p. 130. Sed verius est, centonem

lia ex editione P. Pithoei Parif. 1585. 8. et integer *Ifaaci Grangaei* commentarius, ibid. 1614. excufus. Seorfim deinde comparent commentarii *Ioannis Britannici i)* et Scholia *Coelii Secundi Curionis* cum excerptis enarrationibus *Georgii Merulae.* Hinc notae et caftigationes *Theodori Pulmanni*, *P. Pithoei*, *Nic. Rigaltii:* commentarii *Domitii Calderini*, et felecta ex quaeftionibus *Angeli Sabini* fuper Iuvenale, ex *Georgii Vallae*, *Antonii Mancinelli*, *Iodoci Badii Afcenfii* commentariis, Scholiifque *Adriani Turnebi*, *Eilhardi Lubini*, *Bernhardi Autumni*, et *Thomae Farnabii.* Has obfervationes excipit fylloge notarum ab Henninio excerptarum e fcriptis utriufque Voffii, Iof. Scaligeri, Salmafii, Graevii, Octavii Ferrarii, Barthii, Bocharti, Sam. Claverii, Ludovici Dorleans, Iof. Ant. Gonfalii de Salas, Scioppii, Rutgerfii, Io. Frid. Gronovii, Nic. Heinfii, Ezech. Spanhemii, Iac. Ouzelii, Philippi Rubenii et aliorum. Almelovenii deinde et ipfius Henninii Spicilegia fequuntur cum peplo notarum ad veterum Scholia, concinnato ex Pithoei, Rutgerfii, Almelovenii, Henninii et aliorum obfervationibus. Henninius fuas notas vocat *Spicilegium*, eaeque maxime ad res hiftoricas explican-

tonem effe e variis et a variis confutum, *alicubi*, ut ait Pignorius, *fine delecta.* Et multa alia eiufmodi fcholia in MSS. libris praeterea occurrunt, quorum etiam nonnulla affert in commentario fuo Domitius Calderinus. Lambecius certe lib. VI. de Bibl. Vindobonenfi p. 243. narrat, fe in veteribus MSS. reperiffe fcholia ad Iuvenalem, quae a Pithoeanis plurimum differrent, ut fruftra ex iis medelam locis hiulcis fperaverit: quales etiam funt in MSS. Biblioth. Bernenfis, quorum fpecimina quaedam dedit Sinnerus V. C. in Catal. MSS. Bibl. B. pag. 500. fqq. Adde, fi placet, Barthium LVI, 3. Adverfar. Noviffime Iacobus Tollius Iuvenalem edere voluit cum fcholiafte vetere, tertia parte auctiore, e Codicibus, ut videtur Vindobonenfibus.

i) Io. Britannicum non fuiffe primum e recentioribus eruditis, qui Iuvenalem illuftravit, ex his ipfius Britannici verbis probe obfervat Baelius adverfus Coelium Sec. Curionem: *Iuvenalis Satiras etfi temporibus noftris à nonnullis egregie litteratis Commentatoribus vel cum magna ipforum laude enarratae fuerunt, aggreffi fumus, quod omnino animadverteremus in toto opere multa ob iis five incuria quadam five confulta opera praeterita effe.*

plicandas vel illuſtrandas pertinent. Denique ſuccedit index omnium vocabulorum ad hanc editionem accommodatus, qualem a Ioſepho Langio in Iuvenalem et Perſium nos habere, ſupra in Perſio dictum eſt. In capite notatae ſunt *Var. Lect.* notabiliores e MSS. et edd. Sed editiones primas omnino non habuit, et contulit tantum edd. R. Stephani utramque et Gangraei. Ceterum haec editio lucem adſpexit Vltraiecti 1685. 4. iterum cum Perſio Lugd. Bat. 1695. Anno 1685. 4. Rhotomag. prodierat editio in Vſum Delphini cum interpr. et notis *Ludovici Pratei*, omiſſis locis obſcenioribus, quod et factum in alia editione min. 1685. 12. Sed illa cum notis deinde ac perpetua interpretatione *Ioſephi Iuvencii* S. I. prodiit auctior, cui acceſſit nova appendix de Diis et Heroibus Poëticis, Rhotomagi 1709. et Pariſ. 1715. Denique anno 1716. 12. prodiit cum Perſio Londini, cum Var. Lect. per Maettarium.

Ceterum de Iuvenalis edd. ſuperiorum ſeculorum ſatis accurate dicere non poſſumus: cum eae nec ab alio quo adhuc accurate excuſſae fuerint, nec nobis principes illae unquam in manus venerint, ut eas recte cognoſcere, et ad uſus criticos apte deſcribere poſſemus. Vt nunc eſt, textum inprimis bene tractatum et conſtitutum eſſe, cognovimus a *Pulmanno*. Ceterum cum Henninii editio ſit nimis onerata notis, nec ad uſum ſatis apta, cum adeo multis locis ſit quaerendum, ſi ſcire interpretum ſententias velis, omninoque nondum ſatisfactum ſit in hoc ſcriptore: optandum videtur, ut aliquis vir doctus, tum literis latinis egregie inſtructus, tum in Satiricis ſcriptoribus cognoſcendis tritus, ſuſcipiat novam editionem, etiam mole minorem Henniniana, et ad eam bene curandam ante omnia libros ſcriptos et edd. excutiat paullatim, ut materiam ei inſtituto aptam habeat, per quam deinde et purgare Satiras, et illuſtrare deinde poſſit.

IV. Dua-

IV. Duabus *Gallicis* verſionibus ab Henninio memoratis, quarum una *Andreae Quercetani* eſt, altera *Marolleſii*, adde tertiam a *Tarterono* concinnatam Pariſ. 1689. 12. et quartam *Conſtantis Silvecani*, qui verſibus Gallicis reddidit et obſcuriora loca notis adiectis explicavit, ibid. 1690. 1691. 12. 2. Volum. Tertia Tarteroni recuſa etiam eſt Amſt. 1695. 12. qui proſam Gallicam, latino Iuvenali e regione poſito, addidit, praetermiſſis ſubinde, editionis Colonienſis a. 1610. 8. et Pratei, Rodelli et Ioſephi Iuvencii exemplo, locis obſcenis, propter quam foeditatem Caeſar Scaliger III, 98. Poëtices ait, *ſe vel iubere vel optare toto opere abſtinere virum probum.* Et Octavius Ferrarius, qui huius poëtae multa loca egregie illuſtrat II, 14. Electorum, ait ſe plenum Commentarium dare meditatum, *ſed abſterruit*, inquit, *frequens obſcenitas. Non enim conſilium emaſculare, quod infortunium Hiſpano Poëtae* (Martiali) *contigit, qui inteſtabilis factus eſt, et ſi laniena placuiſſet, totus fere excidendus erat. Plurima enim, ut cenſet Caeſar Scaliger, in eo occurrunt, non modo non explicanda, ſed ne legenda quidem honeſto viro.*

Iuvenalem *Italica* Metaphraſi, poſt veterem *Georgii Summae* ſive *Summaripae* Veronenſis interpretationem, a. 1475. compoſitam, et Tarviſii 1480. fol. excuſam, atque poſt imperfectas verſiones *Aſcanii Varotarii*, ICti Patavini, et *Franciſci Rotae* Cremonenſis, Iuvenalem a. 1692. donavit *Fridericus Nornius* Aretinus, cuius etiam latinae ſatirae ſedecim, felici genio ad Iuvenalis imitationem elucubratae, exſtant, in quarum editione Leidenſi *Nomius* appellatur pro *Nornio.* Vt primas duas ſatiras italicis verſibus reddidit Varotarius, ita ſextam *Ludov. Dulcis*, Venet. 1538. 8. Sed noviſſime illuſtriſſ. Comes *Camillus Sylveſter* Rhodiginus integrum Iuvenalem et Perſium cum metaphraſi ſua Hetruſca e regione

poſita

posita in lucem dedit Patavii 1712. 4. adiunctis etiam eruditis notis, quibus praeter alia Inscriptiones antiquae antea ineditae eruditorum oculos advertent.

Anglice vertit *Rob. Stapletonus* Oxon. 1644. et Londin. 1660. fol. cum animadversionibus et iconibus aere descriptis, ac *Bartholomaeus Holyday* Oxon. 1673. fol. novissime etiam *Io. Drydenius*. Sed et illustris *Stepneus* quaedam Iuvenalis Anglico carmine haud inscite reddidit. *Hispanice*, addito commentario, *Diegus Lopez*, Madrit. 1642. 4. *Belgice* Valentinus, Lugd. Bat. 1682. 12. *Germanice* Iohnsonus quidam, Henninio inspectus. Satiram XIV. metaphrasi *Danica* donavit *Christianus Falsterus*, addita etiam interpretatione sive paraphrasi Latina notisque, Hafniae 1731. 4. Acta Erud. 1733. pag. 176. totum deinde Iuvenalem, additis etiam notis a. 1731. *Bibl. Germanique* T. 22. p. 184. *Belgico* carmine etiam prodiit Iuvenalis Harlem. 1709. 8. post singulas quasdam satiras, ut VIII. XI. XIII. a. 1679. 1695. 1704. editas a sodale societatis literariae Amstelod. cui symbolum *nil volentibus arduum*, nec non a *Laurentio Bake* et *Petro Nuits*. Boeksaal van Europe 1695. Iul. et Aug. p. 48. tuemaandelyke uyttreksels 1704. Mai. Iun. p. 539. *Henrici Schaevii* paraphrasin latinam vulgaturum se recepit Fridericus Redtelius, Conrector scholae Stetinensis. Vide nova literaria maris Balthici anno 1702. pag. 73.

V. *Hadriani Valesii* et *Io. Burdelotii* notas ad Iuvenalem et Persium in lucem prodituras Parisiis scripsit Iacobus Bernardus in novellis Reip. litterariae a. 1700. T. 1. p. 357. In Obs. Miscell. Dorvill. Vol. V. IX. X. reperiuntur observationes criticae in Iuvenalem et eius Scholiasten. *Scholiasten veterem* ineditum in Iuvenalem, quem Mediolani servat Bibliotheca Ambrosiana, laudat Octavius Ferrarius lib. 2. de re vestiaria cap. 1.

Gun-

Guntheri Henrici Plathneri, Barthio olim probati, lectionum Iuvenalium libri V. inediti ſunt in Bibl. Gothana. Hafniae novam Iuvenalis editionem ad MSS. caſtigatam cum notis parabat D. *Chriſtianus Reitzer*, *Iſ. Caſauboni* notae, qui a. 1591. tribus MSS. a Dionyſio Gothofredo ſuppeditatis uſus (vid. Epiſt. 112. edit. Graevianae) Iuvenalem ſimiliter uti Perſium illuſtrare voluit, *Caſparis* item *Barthii* laudatae Daumio pag. 52. Epiſt. ad Reineſ. et *Iani Douſae* in Iuvenalem praecidanaea, non viderunt lucem. Iuvenalem a Iac. Thomaſio collatum cum MS. Cod. et vetere editione, memorant auctores Ephemeridum litterariarum, quae Germanice editae ſunt Lipſiae 1710. p. 603. Alios, qui in Iuvenale edendo laborarunt, dabit Henninius in capite editionis ſuae. Servo et ipſe varias lectiones ex Codd. Gudianis deſcriptas ad editionem Schrevelianam, et obſervationes quaſdam Frid. Brummeri Lipſienſis, elegante ipſius manu appoſitas in margine.

VI. INDEX SCRIPTORVM
IN SCHOLIIS ANTIQVIS AD IVVENALEM LAVDATORVM.

ad paginas editionis 1610.

Aruſpi-


k) Togatarum, Octav. Ferrar. VII, 1. de re veſtiaria.

Hora-

Quinti-



CAPVT



CAPVT XIX.

DE SEXTO IVLIO FRONTINO.

I. *Frontini aetas.* II. *Libri de aquaeductibus.* III. *Strategemata.* IV. *De Coloniis.* V. *De Scientia militari.*

I. Sextus Iulius Frontinus a) Vir Consularis, Vespasianorum, Domitiani, Nervae, et Traiani temporibus, variis muneribus functus, sub Traiano decessit, circa a. C. 106. Vrbis 859. Successorem in auguratu habuit b) Plinium Iuniorem. Monumentum sibi exstrui vetuit his verbis: *Impensa monumenti supervacua est: memoria nostri durabit, si vita meruimus.* De Frontini effigie barbata in numis, vide etiam numismatum antiquorum syllogen Londini 1708. 4. editam pag. 10. ubi idem numus Graecus, qui a Sponio et Poleno affertur. Et apud Valentem exstat numus Hadriani, in quo occurrit nomen Frontini Fusci. ΕΠΙ ΣΤΡΑΤ. ΦΡΟΝΤΕΙΝΟΥ ΦΟΥΣΚΟΥ. Vitam huius scriptoris accurate consignatam, et distinctam per Consules vir eruditissimus *Ioannes Polenus*, commentario de aquaeductibus praemisit, de quo mox dicetur.

II. Extat

a) Fallitur Gaddius, qui T. I. de scriptoribus non Ecclesiasticis p. 193. ait, hunc Frontinum fuisse Rhetorem Alexandri Severi. Sed idem cum nostro videtur, qui ab Aeliano in Tacticis, a Dione et Martiali appellatur Fronto. Vide Sixtum Arcerium ad Aelian. p. 93. 94. 98. Sane Frontonis, et Frontini nomina confusa olim fuisse patet etiam ex Luciano de scribenda historia T. I. p. 616. edit. Amst.

b) Vide Plin. lib. 2. Epist. 8. et lib. 9. Epist. 19.

II. Extat huius Frontini opus, quod vulgo inscribitur: *de Aquaeductibus Vrbis Romae L. II.* Sed nomen *aquaeductus* nunquam in ipso opere usurpavit Frontinus. In antiquissima editione, ad calcem Vitruvii, titutulus est: *de aquis, quae in Vrbem influunt, libellus mirabilis.* Distinctionem in libros duos, in editionibus vulgo obviam, servavit Polenus, sed totum opus distinxit in Capita CXXX. nec ea est in illa prima editione. Atque etiam in Libros duos in omnibus exemplis est eadem.

Scripsit hunc librum Frontinus, cum ei cura aquarum a Nerva mandata esset: unde ad eum sine dubio pertinet titulus, in tubo plumbeo repertus, cum nomine *S. Iulii Frontini*, apud Fabrettum Inscr. p. 543. Sed absolvit opus mortuo iam Nerva, ut docet Polenus. Prodiit autem hic liber ab initio una cum Vitruvio; ut in ed. Sulpicii prima, editionibus Iucundi, et quae eius castigationem sequuntur, de quibus supra dictum. Adiectus est etiam Onufrii Panvinii de Rep. Rom. Commentariis cum *Io. Obsopoei* notis Paris. 1588. 8. editioni operum Frontini Scriverianae 1607. 4. ad calcem Vegetii, et Keuchenianae 1661. 8. Etiam Graevius inseruit T. IV. Antiqq. Rom. additis Keuchenii notulis, et Fabretti de eodem argumento Dissertationibus, quae Frontino non parum lucis adferunt. In quam partem etiam proderit legisse praefationem Graevii ad illum Tomum Ant. Rom. item Aldum in quaesitis per Epist. in Lampade Crit. Grut. T. IV. p. 181. seq. Cuiacii Obss. XVI, 17. Lipsii Admiranda Rom. III, 11.

Primus hoc opus scriptum reperit in Bibl. Montis Cassini, *Poggius*, ut ipse testatur in Descriptione ruinarum urbis Romae, ubi et nunc ille Codex servatur, ut testatur Mabillonius Mus. Ital. T. I. p. 133. add. Aposto. Zenus Diss. Voss. T. I. p. 44. Ambrosius Camaldul. Epp.

XVI.

XVI, 16. T. III. Collect. vett. monum. Martenianae, cuius specimen aeri incisum dedit Polenus, unde Sec. XIII. aut XIV. scriptum esse patet. Ex eo igitur Codice primum descriptus hic liber est, eiusque descriptionis exempla sunt in quibusdam Bibliothecis: ex quo genere sunt Poleniana duo. Hinc patet diversitatem editionum esse non e diversitate Codd. scr. sed ex ingenio editorum. Prima editio est Sulpiciana ad calcem Vitruvii. In fine libelli dicitur, mendosissimus cum fuisset (sc. in scripto exemplo, quod suppetebat) diligenter correctus (sc. ex ingenio) a *Pomponio Laeto* et *Sulpicio*. Haec igitur est prima recensio. Proxima Flor. 1496. f. Venet. 1497. f. etc. Altera recensio est *Iucundi* Veronensis, qui cum Vitruvio primum edidit hunc libellum Florent. 1513. 8. (in prima Vitruvii editione, 1511. Frontinus non erat additus) quanquam et exempla Frontini seiuncta a Vitruviano reperiuntur. Ea recensio cum Vitruviana saepe repetita est, et Florentiae 1522. 1523. 8. et Basil. 1530. 4. Argent. 1543. 1550. — *Scriverius* l. c. ait, se Frontinum e septem libris scriptis correxisse: sed ii libri, an huius opusculi alteriusve fuerint, non tradit: nec ii antiqui esse potuerunt: *Keuchenius* autem, ut in aliis, satis negligenter in eo negotio versatus est, nec profuit textui Frontini. At *Ioannes Polenus* dedit egregiam huius operis editionem Patavii a. 1722. 4. In textu quidem *veteres libros* se dicit secutum, et ed. inprimis Iucundi, raro coniecturis, nec nisi urgente necessitate, usum: quae est solennis modestiae professio, hic non valde apta, ubi proprie unus tantum scriptus est, et lectiones ab eo diversae omnes e coniectura natae Pomponii Laeti, Sulpicii, Iucundi etc. Sed quanto minus in textu praestare potuit, tanto plus praestitit in rebus explicandis et illustrandis: ad quam ille partem boni editoris tanto erat instructior, quanto erat et mathematicis doctrinis, et literarum scientia paratior. Ad calcem addidit Collectio-

nem Constitutionum Imperialium de Aquaeductibus veteris et novae Romae, de quibus et universe disseruit in Prolegomenis operi praepositis cap. 6. sect. 7. Accessit etiam duplex Index, primus *verborum*, ineptus ille, et parum profuturus, quippe tantum verba singula posita sunt, ut factum in edd. in usum Delphini; alter, melior, rerum, quae in Prolegomenis et notis traditae sunt. Adiectae sunt et ante Indices notulae *Obsopoei*, *Scriverii*, *Keuchenii*, item Scaligeri coniecturae quaedam ex ipsius exemplo descriptae. Additae etiam passim sunt figurae rerum descriptarum a Frontino.

Illustrando huic libro servire possunt, qui hunc locum de Aquaeductibus aliqua parte attigerunt aut explicarunt, quales supra memoravimus. Qui ipsum opus tractare totum et edere illustratum emendatumque voluerit, nec tamen absolverit institutum, neminem aut ipsi legimus aut notatum reperimus, praeter Manutium. Atque etiam in libris Criticorum, etiam eorum, qui omnes prope alios scriptores attigere, nulla fere est huius libelli mentio. Nempe argumenti ratio plerosque abstraxit, quod est et ieiunius et difficilius, quia sine mathematica doctrina bene intelligi et tractari non potest, quae raro fuit in iis, qui ad libros latinos tractandos accessere.

Fuerunt, qui dubitarent, an auctor huius libelli sit idem cum Strategematum scriptore, ut Philippus Rubenius Elect. II, 35. ob diversitatem orationis, quae in Strategematibus sit elegantior: quod contra disputat *Gratianus*, Patavinus in Epist. ad Polenum, in Prolegom. Fuit in Strategematis facilius, bene et nitide scribere, praesertim cum narrationes ex optimis scriptoribus sumerentur, quam in altero libro, cuius argumentum siccitatem et ieiunitatem orationis natura sua adfert.

III. *Stra-*

III. *Strategematicon*, ſive de ſollertibus Ducum Graecorum, Romanorum et aliorum in bello factis et dictis *libri III.* Domitiano a Germanicis bellis reduce, quem quinquies laudat, ſcripti a. C. 84. V. C. 837. ut laudatus Polenus p. 4. annotavit. His Frontinus deinde adiunxit *quartum*, in quibus, ut ipſe ait, exempla potius ſtrategicon ſive diſciplinae militaris, quam ſtrategematicon exhibentur. Strategematica Frontini memorat inter alios Petrus Blaeſenſis Epiſtola XCIV. quae, velut ante inedita, occurrit in B. Nicolai Staphorſti Hiſt. Eccleſ. Hamb. Tom. 3. pag. 214. Epitomen potius habere nos, quam ipſum Frontini opus, ſine idonea cauſſa ſuſpicatur Barthius libro Adverſar. II, 11. XIV, 9. ut bene docet Polenus in Proleg. c. de ſcriptis Frontini.

Prima, quod quidem conſtet, editio facta eſt Bononiae a. 1486. fol. per *Phil. Beroaldum.* Altera Romae per Eucharium Silber, cum Vegetio et Aeliano, quae repetita eſt a. 1494. 1497. 4. Sicut Beroaldina repetita eſt Bononiae a. 1495. Hae igitur editiones eiuſdem fere formulae ſunt. Seculo proximo autem ſaepe editum eſt hoc opuſculum, ut Pariſ. 1513. 1515. 4. cum aliis opuſculis, ut Vegetii, Solini, item 1535. ap. Wechel. quae et ipſae a ſuperioribus parum, et forte caſu modo, aut per coniecturas, recedunt. Melius ei conſultum eſt in Germania, ubi primum Colon. 1524. 8. per *Hittorpium*, deinde Baſileae 1555. f. per *Heroldum*, una cum aliis exemplorum ſcriptoribus editum eſt; at maxime per *Fr. Modium* Colon. 1580. 8. qui et textum meliorem fecit, et notas addidit. Secutus eſt *Godeſchalcus Stewechius*, qui cum *Modii* notis et ſuis coniectaneis (ante Antw. 1685. 4. editis) Lugd. B. 1592. 8. edidit, ut *Petrus* poſt *Scriverius* ibid. 1607. 4. cuius notae etiam auctiores factae ſunt in ed. Lugd. B. 1644. 12. inter alios rei militaris ſcriptores: a quo ſuperiores eſſe ſuperatos planum eſt. Nam MSS. copia, et ſaga-

ſagacitate atque ingenio eos ſuperabat. Inter alia Frontini ſcripta, cum notis ſuis edidit *Rob. Keuchenius*, Areniano uſus MS. Amſt. 1661. 8. Hinc ſeparatim cum notis praeclaris *Samuel Tennulii*, qui *Franciſci Guieti*, *Io. Frid. Gronovii*, et aliorum virorum doctorum animadverſionibus et quatuor Codicibus MSS. uſum ſe profitetur, Lugd. Bat. 1675. 12.

Noſtro ſeculo primum *Franciſcus Oudendorpius* tribus Codicibus Leidenſibus, totidem Cantabrigienſibus, multorumque aliorum lectionibus adhibitis, *Strategematica Frontini* recenſuit, ac praeter notas integras Modii, Stewechii, Scriverii etiam ex autographo auctiores, et Tennulii, ineditaſque Io. Friderici Gronovii, ac Lipſii, nec non copioſas ſuas adiunxit, praemiſſa Frontini vita, ſcripta a Io. Poleno, et ſubiuncto uberrimo indice, quem in latinam ſtrategematicon dictionem adornarat *Michael Benedictus*, qui bonas litteras docebat in Gymnaſio Leidenſi. Lucem vidit luculenta haecce editio Oudendorpiana Lugduni Bat. 1731. 8.

Poſt hunc nuper huic libro admovit manus *Nicolaus Swebelius*, Rector Gymnaſii Onoldini in Francis. In textu ſecutus eſt exemplum Oudendorpianum: ſubiecit notas, partim e Scriverianis, Tennulianis, et Oudendorpianis ſelectas, partim ſuas, eaſque et criticas et inprimis ad intelligendum textum comparatas: bene utique de ſtudiis iuventutis meritus hoc labore, atque de Frontino ipſo. Additae etiam ſunt notae *Io. Friderici Herelii*, Viri doctiſſimi, criticae, eaeque elegantes, in quibus et alii ſcriptores obiter emendantur. Praemiſſa eſt eadem Vita Poleni, et in fine ſubiecti ſunt indices. Prodiit Lipſiae a. 1772. 8.

Loca quaedam huius libri tractavit, erroribus etiam quibuſdam Frontini notatis, Weſſelingius in Obſſ. II, 18.

ante

ante eum etiam Perizonius in Animadverſ. hiſtor. praeſtantiſſimo libro.

Italicam verſionem *Io. Baptiſtae Pii* Gaddius celebrat: exſtat et alia *M. Antonii Gandini*, Venet. 1574. 4. *Gallice* vertit *Nicolaus Perottus Ablancurtius*, ad calcem Apopthegmatum e Plutarcho, Laertio et aliis priſcis ſcriptoribus collectorum, Pariſ. 1664. 4. et *c*) 1695. 12. *Hiſpanice* Didacus *Guillenus de Avila*, Canonicus Palentinus, Salmanticae, 1516. 4. *Anglica* translatio prodiit Lond. 1539. 8. the ſtrategemes, ſleyghtes and policies of warre; *Germanica* denique *Fronſpergeri*, quam inſeruit parti primae operis, quod ſpeculum bellicum inſcripſit, Francof. 1578. fol.

Lucam quoque *Holſtenium* in Frontino illuſtrando elaboraſſe, didici e Marquardi Gudii Epiſtolis. Ab eo tempore illam ſpartam ornandam in ſe ſuſcepit eruditus Danus, *Nicolaus Benzonus*, cuius in flore aetatis, anno 1709. Hafniae elegantioribus literis erepti obſervationes MSS. pervenere in Bibliothecam *Friderici Roſtgaard*, atque ex eius Bibliothecae *d*) ſectione publica a. 1726. in theſaurum librarium Comitis illuſtriſſimi *Chriſtiani Danneſkiold de Samſoa.* Inter recentiores ſtrategemata collegerunt latine Elias Winſtrupius Danus, Amſt. 1632. 12. Emericus Roſeus etc. Elias praecipue Reuſnerus in ſtrategematographia, ſive theſauro bellico de ſtrategematis Francof. 1609. 4. Gallice Renatus Rouſſeau, Pariſ. 1514. 8.

IV. Scriptorem *de Coloniis et limitibus agrorum* a Frontino, de quo hactenus dixi, tanquam antiquiore, diſtingunt Goëſius, eique aſſentiens Polenus. Confer Noriſii

c) Boekſaal van Europe 1696. pag. 362.

d) Vide Catalogum Bibl. Roſtgaardianae p. 467. ſeq. et Danneſkioldenſis p. 436. in qua etiam Codex MS. ſtrategematum Frontinianorum melior editis memoratur p. 405.

risii opera T. IV. p. 881. Neque audiendus Hieron. Ragusa, qui Iul. Frontinum Siculum fuisse disputat in elogiis Siculorum pag. 130. et in Siciliae Bibliotheca vetere p. 124. atque Antonius Mongitor T. 2. Bibl. Siculae p. 222. Nam nec Frontinum agrimensoriae scriptorem Siculum fuisse, satis exploratum est, cum distincta nomina ferantur, *Frontini* et *Saeculi*, sive *Siculi Flacci*. Tum vero *Libri de Coloniis* duplex, idque longe diversum exemplar occurrit, de quorum utroque, et de iis, quae sub Frontini nomine inter scriptores agrimensorios leguntur, *de qualitate et limitibus agrorum*, cum *Aggeni Vrbici* in Frontinum commentariis, dicetur infra. *Aggenum Vrbicum*, qui in Frontinum de limitibus agrorum scripsit, Fulvius Vrsinus in Virgilio cum Graecis scriptoribus collato p. 75. appellat *Aggabenum*.

V. Libri *de scientia militari*, quos ante libros Strategematum ad Domitianum scripsit Frontinus, laudati Vegetio lib. 1. cap. 8. sicut et de tactica Homeri tempore usitata, quos memorat cap. 1. Tacticorum suorum Aelianus, temporum iniuria perierunt. Vide Stewechium ad Veget. lib. 2. cap. 3. Vossium de Hist. Latinis pag. 737. Naudaeum Bibliographiae militaris pag. 44. etc. Neque audiendi, qui libro quarto strategematicon illud de scientia militari opus superesse sibi persuaserunt.



CAPVT



CAPUT XX.

DE

M. VALERIO MARTIALI.

I. *Martialis aetas.* II. *Epigrammata.* III. *Editiones.* IV. *Supposita Martiali.*

I. M. VALERIUS MARTIALIS, *a*) ex Bilbili Celtiberae oppido, Hispanus, sectator Epicuri scribendique Epigrammatis non insulsus artifex, at scurrilis interdum ac frequenter obscoenus, *b*) Domitiani, Nervae,

a) Alius *Gargilius Martialis* historiarum scriptor, Vopisco ac Lampridio memoratus ac forte Sidonio IX. Epist. 14. ubi Iuvenci Martialis historiam memorat. Fenestella quoque Annalium conditor, Martialis dicitur a Fulgentio L. 3. Mythol. Confer Savaronem ad Sidonium pag. 580. Notus praeterea *Martialis Lemovicensium* Apostolus; sub cuius nomine Epistolae binae, sed spuriae, exstant latine, quas Geverh. Elmenhorstius notis illustravit Hamb. 1614. 4. *Gargilius Martialis* de cura boum, ante ineditus, fuit in Bibl. Isaaci Vossii, iam editus extat in scriptt. Rei Rust. a Gesnero curatis. De hoc Cassiodorus cap. 28. divinar. lect. *De hortis scripsit pulcherrime Gargilius Martialis, qui et nutrimenta olerum et virtutes eorum diligenter exposuit.* Eodem opere usus Palladius de re rustica lib. IV. tit. 9. et alibi *Martialem Medicum* Erasistrateum, cuius libri duo Ἀνατομικῶν tunc exstabant, quique Galeno annum aetatis trigesimum quartum agente, iam erat septuagenarius, memorat libro de scriptis propriis Tom. 4. pag. 36. Praetereo *L. Cincium L. Fil. Martialem* in vet. inscriptione apud Sponium pag. 59. Miscell. et alios. De nostro Martiale, Epigrammatum Poëta, multis agit Nic. Antonius Bibl. veteris Hispanae lib. 1. c. 13. quem, si placet, vide. Apud Lampridium in Alex. Severo c. 38. laudatur *Martialis coci Epigramma*, sed in antiquis Codd. et prima edit. vocabulum *coci* desideratur, teste Salmas. Itaque non opus Meursii emendatione c. 13. auctar. Philolog. qui pro *coci* legebat *coce* quod putabat scriptum pro *quoque*. Sane Martialis a recentioribus dicitur *Cocus*, ut a Io. Sarisberiensi VI, 3. policrat. Iacobo Magno Toletano in Sophologia etc.

b) Michael Verinus castissimus iuvenis in distichis:

Carmina sunt fateor pulcherrima vatis Iberi,
Ad mores faciunt non tamen illa bonos.

Hic

Nervae, et Traiani tempora ingenio ſuo illuſtravit, ſenex autem, urbe relicta, patriam ſuam repetens, in illa obiit ſub eodem Traiano. Ipſe de ſe III, 95. ita:

Praemia laudato tribuit mihi Caeſar uterque (Titus et Domitianus)
Natorumque dedit iura paterna trium.
Ore legor multo, notumque per oppida nomen
Non exſpectato dat mihi fama rogo.
Eſt et in hoc aliquid, vidit me Roma tribunum,
Et ſedeo, qua te ſuſcitat Oceanus (in quatuordecim, inter equites.)

Calendis Martiis natum ſe, paſſim docet, ut IX, 53. X, 24. XII, 60. Marcellam uxorem celebrat XII, 21. 31. et hortos ſuos IV, 64. XII, 31. patriamque Bilbilin XII, 18. etc. undam Salonis lib. I, 49. et IV, 54.

De patria eius exſtat D. Mich. Martinez de Villar lib. de patronatu, Antiquitatibus, Regimine ac Viris illuſtribus Bilbilitanae Civitatis atque Archidiaconatus, quem laudat Papebrochius Tom. I. Act. Sanctor. Iunii p. 108. De Martiale ipſo et eius vita videndus V. C. Io. Maſſonus in vita Plinii iun. p. 112. ſeq. ubi docet, eum non ante adultum a. C. 101. (V. C. 854.) obiiſſe. Ibidem promittit ad examen revocare, quae de aetate eius et ſcriptis notavit H. Dodwellus in praelectionibus Cambdenianis ad Spartian. et in Annalibus Quintilianeis. Temporum notationem in Martiale inſigniter illuſtrat Guil. Loydius Epiſtola ad Antonium Pagium, quam hic edidit in Critica Annalium Baronii ad a. C. 88.

Forma

Hic eſt Verinus, qui anno aetatis XVIII. moriturus, haec de ſe, diſticho 318.

Promittunt Medici Venerem mihi ferre ſalutem,
Non tanti vitae ſit mihi certa ſalus.

Andream Naugerium nobilem Venetum refert Iovius in elog. quotannis recurrente geniali die ſcripta Martialis ſolennibus flammis ſolitum adfulare, manibus Catulli, ut ait Famianus Strada, annuum ſacrificium.

Forma Epigrammatum Martialis differt a Catulliana in hoc, quod ille acumina et lusus magis captat, eaque fere in versu ultimo habet: cum Catullianorum festivitas sit tracta per totum epigramma: de quo late et eleganter disputantem legant, qui volent, Fr. Vavassorem, in elegantissimo eruditissimo libro de Epigrammate. Ceterum eius ratio magis placuit plerisque: quia in ea forma facilius et magis sentitur acumen ab uno quoque, quam in illo, sicut omnino naturalis et simplex pulcritudo non ita sentitur et placet vulgo, quam quaesita.

II. Exstant eius *Epigrammatum libri XIV.* quorum penultimo *Xeniorum*, ultimo *Apophoreton* c) titulum ipse auctor inscripsit. Quo nomine appellantur munuscula quae in Saturnalibus, et aliis festis ac solennibus conviviis domum deportanda convivae accipiebant. Vide quae viri docti ad Svetonii August. cap. 75. et Petronium Petri Burmanni p. 277. Thomasinum de donariis veterum cap. 17. Tom. 12. thesauri Antiquitatt. Rom. p. 818. Rosweidum ad S. Paulini Epist. 1. p. 747. et Benedictinorum notas ad S. Ambrosii exhortationem virginitatis, T. 2. p. 277. Qui vero Epigrammatum libris praemittitur *liber Spectaculorum*, eruditis non improbabili coniectura videtur esse collectio carminum, non ab uno Martiale, sed a variis poëtis conscriptorum in spectacula fratrum Titi ac Domitiani, edita forte a Martiale, qui insertis propriis quibusdam Epigrammatis illam συναγωγὴν locupletavit. Librum IX. et X. de industria contractiores fecisse se testatur XII, 5.

III. Edi-

c) Apophoreta Martialis simili distichorum libello imitatus est vir summus Hugo Grotius p. 356. seq. Poëm. Martiali praeiverat Graecus Grammaticus *Philetas*, cuius ἑρμηνεία, simile fuit opus versibus scriptum, quo voces interpretatus fuerat. Vide Casaubonum ad Strabonis III. p. 79.

III. Editio princeps Martialis eſt Veneta, per Vindelinum Spirenſem, ſine anni nota in 4. circa a. 1470. facta, *Georgio Alexandrino* correctore, cum Epigrammate, cuius primus verſus ſyllaba prima abundat ſive procephalus eſt: *Raphael Zovenzonius Iſter Vindelino Spirenſi ob eius incredibilem imprimendi ſolertiam. D. D.*

Conſummatiſſimus ille Martialis
Impreſſus digitis Vindelianis
Hic eſt: hic lepidus facetiarum
Princeps et ſalis Attici Latinique.
Hunc, hunc lector emas, tibi futurum
Praeclarum comitem domi foriſque
Iſtri conſilio tui Poëtae.

Hanc ſecuta primum Ferrarienſis 1471. 4. non repetitio illius, ſed ex alio libro, eoque valde diverſo ducta, carens libro de ſpectaculis. Dein Romana 1473. f. quam Scriverius in coelum laudibus tollit. Sed prima iuſta recenſio fuit *Domitii Calderini*, quinque MSS. Codd. uſi, cuius cum commentariis, ad Laurentium Medicem prodiit primum Venetiis 1474. fol. et ibid. 1475. f. per Ioannem de Colonia, item Venet. 1480. fol. cui editioni iam ſubiungitur Calderini defenſio, cum recriminatione in calumniatorem; *d*) et 1482. 1493. 95. 98. 1510. in quibus exemplis et *Georgii Merulae* commentarii Domitianis adiuncti ſunt. — Mediolani porro 1478. per Phil. de Lavagnia, 1483. fol. per Baptiſtam de Tortis, et 1491. f. per Philippum Pincium de Canato. Cum commentariis *Petri Marſi* Venet. 1492. f. apud Bonetum Locatellum, editus traditur, etiam ab Nic. Antonio, qui tamen negat ſe vidiſſe, nec mihi videre contigit.

Initio

d) Is fuit *N. Perottus*: de cuius cum Domitio litibus literariis vid. inpr. ſi lubet cognoſcere, Literaturae Brix. P. I. p. 153. ſqq. quamquam et *Merulam* habuit adverſarium in his Commentariis, a cuius partibus ſtabat Politianus, cuius vid. Miſcell. c. 9. unde cauſa totius litis apparet.

Initio Sec. XVI. prodiit Martialis sine notis Venet. apud Aldum 1501. 8. et sine praefatione, item 1510. 1517. Argentor. 1515. 4. Lugd. 1522. et Paris. 1528. 8. 1540. 1544. apud Simonem Colinaeum, et 1554. 4. apud Vascosan. editiones rarae et nitidae. Lugd. 1535. 8. et 1546. ap. Gryphium. Basileae 1538. 8. ap. Henricum Petri, et 1559. 8. cum *Micylli* notis apud Hervag. Lugd. 1560. 12. ap. Vincentium e castigatione *Io. Boulierii* ad fidem vetustissimorum librorum, ut est in titulo, cum notulis in margine, et 1563. 12. per Nicolaum Brylingerum, et Goslar. 1612. 12. Sed in his editionibus omnibus nulla est nova et accurata et certa recensio facta, quae exempli novi formam haberet: nuspiam commemorato recensionis modo.

Post *Adr. Iunius*, cuius Martialis prodiit Antverp. 1566. 8. et 1579. 12. ex Plantini officina, et Lugd. apud Anton. Gryphium *e*) 1584. 12. quaedam Martialis antea inedita e MS. Codice vulgavit lib. V. Animadvers. c. 17. *Ramiresii* commentarium fuere, qui dicerent esse *Francisci Sanctii* Brocensis, qui notas suas Ramiresio dederit suo ipsius nomine edendas: vide Maturini Veisserii la Croze Vindicias veterum scriptorum p. 192. Plus praestitit *Theodor. Pulmannus*, cuius, ut et *Adr. Iunii* notis et *Christophori Coleri* ad quaedam loca castigationibus, et Iosephii Langii indice Argentor. 1595. 12. editus est Martialis. Post *Theodorus Marcilius* cum notis edidit suis Paris. 1584. 8. quas notas perstringit etiam Scaliger Epist. LXIII. et LXVI. Idem, notante Nic. Antonio, Marcilius est, qui sub *Claudii Musamberti* nomine commonitoria ad *Ramiresii* quatuor libros hypomnematum in Martialem edidit, quae viderunt lucem Paris. 1607. 8. Sed Musambertus iste, iuvenem esse se innuit, Marcilius autem iam a. 1584. commentarios in Martialem ediderat.

Paucis

e) Haec editio collata cum insigni MS. fuit in Bibl. Fabric. ut et Aldina prima.

Paucis annis post a. 1601. 4. prodiit Martialis ibidem cum Calderini, Merulae, Heraldi et Rigaltii notis in 4. ap. Morellum.

Ex *Iani Gruteri* iam accuratiori ad MSS. Palatinos, et edd. vett. recensione Francof. 1596. et 1602. 12. prodiit, quae editio cum MS. Viennensi ab eodem Grutero collata servatur in Biblioth. Leidensi, in qua etiam obviae, praeter plures MSS. Martialis Codices, aliae editiones huius scriptoris cum castigationibus MSS. doctorum virorum, Is. Vossii, Francisci Iunii etc. Plures Martialis editiones recensentur apud Nic. Antonium in Bibl. vetere Hispana T. 1. pag. 65. seq. Praecipuae sunt, Parisiensis a. 1617. fol. quae *indicem* omnium vocabulorum auctore *Iosepho Langio*, ex edit. Argent. 1595. 12. adiectum habet, et praeterea instructa est commentariis doctorum virorum, notisque *Domitii Calderini*, *Georgii Merulae* Alex. *Theodori Pulmanni*, *Hadr. Iunii*, *Nicolai Rigaltii*, *f*) *Christophori Coleri*, *Steph. Claverii*, *Fed. Morelli*, et *Ramiresii de Prado* in librum spectaculorum, et quatuor primos Epigrammatum libros, *g*) atque adversus hunc commonitoriis *Claudii Musamberti*: *Theodori* item *Marcilii* in librum spectaculorum et in libros XII. Epigramm. *Desiderii Heraldi.* In hac editione occurrit quoque *Metaphrasis Graeca* felicissima selectorum Martialis Epigrammatum composita a viro summo *Iosepho Scaligero*, et cum Is. Casauboni praef. edita Paris. 1607. 8. atque inter Poëmata Scaligeri, P. Scriverio curante, Lugd. B. 1619. 12.

Martialis tertiis *Matthaei Raderi* curis illustratus, *h*) Moguntiae 1627. f. Prima editio lucem viderat a. 1602. altera

f) Confer Rigaltii notas ad Artemidor. p. 58. seq.

g) Prodierant Paris. 1607. 4. Insolentem typhum huius Ramiresii perstringit Thom. Gatakerus cap. 26. et 39. Adversar. Confer Nic. Antonium p. 66. 67. laudatae eius Bibl. veteris Hispanae.

h) Observandum est, Raderum obscoena praetermisse. *Nobis*, inquit,

altera 1611. f. Ingolstadii. De prima sic Iosephus Scaliger Epist. 159. ad M. Velserum: *Valde laudo operam Raderi vestri in Martialem. Itaque me auctore multi emerunt librum illum, ut ego pretium illius excandefecerim. Laudo, inquam, eruditionem hominis et candorem Germanicum, qui sine ulla rubigine et maledicentia tam bene de bono scriptore meritus sit.* Confer Velseri Ep. 21. Commentarius Raderi est omnium optimus, plenusque egregia doctrina, quem legisse neminem poenituerit. Haec editio cum multis MSS. collata fuit in Bibl. Cortii, unde per Kappianam in publicam Senatus Lipf. venit. Ex hac *Raderi* recensione, sed sine notis, prodiit Ingolstad. 1602. 8. Colon. Agripp. 1624. 12. Dillingae 1626. 12. obscoenis rescissis.

Ad criticam autem rationem omnium optima nunc quidem est editio ex recognitione *Petri Scriverii*, *i*) cum notis eiusdem, et *Iani Gruteri*, *Iosephi Scaligeri*, *Io. Brodaei* (ex libro X. Miscell.) *Hadriani Turnebi*, *Angeli*

inquit, *non licet esse tam latinis, qui Musas colimus pudiciores.* Adde Iac. Porti poëmata pag. 179. et Raderi Epistolam ad Lipsium T. 2. Syllog. Burmannianae p. 34. Thom. Crenii Animadverf. P. III. p. 18. seq. Ceterum ptimus, qui ex Martiale loca nupta resecuit fuit *Gesnerus*, si credas Grutero Epist. ad Iungermannum, inter Gudianas pag. 210. Martialis ex Gesneri castigatione prodiit Tiguri 1544. 8. cum notis *Iac. Micylli.* Sed pridem ante Gesnerum Parisiis a. 1514. idem fecerat *Franciscus Sylvius* Ambianus, hoc titulo: *M. Valerii Martialis Epigrammatum lectoris castimonia dignorum liber, ubi omnia Veneris illius despuendae quasi irritamenta, quibus passim sordidatus lectorum mores corrugabat, accurata diligentia, debet ibi spongia detersa sunt et electa.* Vide Vavassorem libro de Epigrammate pag. 255. seq. et Baelii Lex. T. 3. p. 2717. Etiam a. 1535. et 1554. Martialis lucem vidit, qui castus et ab omni obscoenitate purgatus in fronte voluminis dicitur. Etsi librum titulo haud respondere observat idem Vavassor pag. 258. *Edmundi Augerii* Iesuitae Martialis ab omni turpitudine vindicatus Antverp. 1568. 8. apud Plantin. *Andreae Frusii* Galli Rom. 1608. 8. et Lugd. 1618. minore forma. His accedit denique Martialis a *Iosepho Iuvencio* e Soc. Iesu Parisiis ante paucos annos editus, et *Petri Roncelli* editio, qui libros quinque Epigrammatum e Martiale selectorum cum notis suis vulgavit Tolosae 1680. 8.

i) Vide Scriverii Epistolam ad Lipsium T. 2. Sylloges Burmannianae p. 127.

Angeli Politiani, *Iusti Lipsii*, *Iani Rutgersii* et *Isaaci Pontani*, Lugd. Bat. 1619. 12. atque iterum 1650. Amst. Non diu ante cum notis *Thomae Farnabii* editus est Martialis Lond. 1615. 8. post Sedan. 1624. 8. Amst. 1645. 12. usibus iuventutis aptis. Vsus erat aliquot MSS. ad textum corrigendum et superiorum optimorum notis. Eius notas repetiit, additis selectis aliis, *Corn. Schrevelius* Lugd. Bat. 1656. 1661. Amst. 1670. 8. Quam in usum Delphini adornavit *Vicentius Collesius* Paris. 1680. 4. recuderunt Londinenses anno 1701. 8. et eodem anno Amstelod. 8. Huguetani, emendatam variis locis, tum in libro ipso, tum in indice omnium verborum, et numismatis antiquis illustratam a *Ludovico Smids*, Med. D. Ex Michaelis Maettarii recensione nitida editio Martialis, Lond. 1716. 12. facta est apud Iac. Thonsonum.

Ceterum ex hac recensione editionum apparet facile, nondum extare iustae recensionis et perfectae editionis exemplum: cuius tamen facultatem perficiendae Critico accurato et in poëtis praesertim trito praebet MSS. Codd. qui pluribus Bibliothecis extant multitudo: quorum et collationes plures iam a Viris doctis factae sunt. Is. Vossius scribit: *In Bibliotheca Ambrosiana Mediolani, Martialis ter MStus habetur. Vnus Codex ex iis in charta scriptus, cui varias lectiones et commentarios suos ad oram adscripsit Perottus, longe est optimus.* Epist. ad Nic. Heinsium data a. 1646. T. 3. Sylloges Burmannianae p. 565. adde p. 572.

Librum spectaculorum et primum prolixis commentariis illustravit *Nicolaus Perottus*, Archiepiscopus Sipontinus, qui saepius editi sunt sub invidiosa inscriptione *Cornucopiae*, Venetiis apud Aldum a. 1513. f. Tusculani et Basileae 1526. fol. Non autem ille tantum Martialis verba interpretatus est, sed de verbis singulis latas disputationes dedit, quales v. c. apud Eustathium in Homerum repe-


reperimus: unde et a nonnullis in Lexicorum numero commemoratur. *Io. Maregi* a. 1407. defuncti commentariolos in Martialem memorat Io. Lelandus pag. 411. de Britanniae Scriptoribus. *Balthasaris Bonifacii* coniecturae in Martialem prodiere Venet. 1635. 4. *Caesaris Zaroti* de Medica sive Philosophica Martialis tractatione commentarius, ibid. 1657. 4.

Martialis *Gallica* prosa redditus est a *Michaele de Marolles*, Paris. 1655. 4. *Iuvencii* Gallicam Metaphrasin et *Faillii* in Martialem notas memorant Auctores de l'Histoire des Ouvrages des Savans 1693. Nov. pag. 130. *le P. Jouvency Jesuite a publié une traduction des Epigrammes de Martial*, *demtis obscoenis* id. p. 131. *Mr. de la Faille a publié quelques petites ouvrages, comme des notes sur Martial.*

Hadriani Beverlandi notae ineditae ad Martialem et Iuvenalem MSS. memorantur in novellis Reip. litterariae a. 1699. T. 1. p. 468. Nescio quem Martialis interpretem perstringit Barthius ad Statium T. 1. pag. 473. Marcilium an Scriverium? qui Scaligero in Epistolis dicitur Lentulus, et in quo nihil ornati, nihil culti reperiri ait Holstenius Epist. ad Elmenhorstium (*post Gudianas*) pag. 920. Salmasii et Isaaci Vossii editionibus fata intercessere.

IV. Epigrammata quaedam Martiali perperam tributa, et ab Hadriano Iunio inserta, P. Scriverius reiecit ad calcem suae editionis. Scriverium secuti plures, ut Schrevelius in edit. Amstelod. 1644. 12. in qua *Io. Frid. Gronovii* notae in loca quaedam etiam occurrunt. Tamen in illis, a Scriverio reiectis, nonnulla Martiale haud indigna esse iudicat Nic. Antonius Bibl. vetere Hispanae T. 1. pag. 67. Adscribam et haec ex Christiani Daumii viri doctissimi notis ad Catonis disticha p. 140. *Martia-lis*

lis nomine ὑποβολιμαῖος *scriptor laudatur Hieronymo Paduano libro* undique susceptо c. 6. Alterius censor, et esto tuus. *Nisi forte Gofridus Wintoniensis est, qui vixit a. 1107. et teste Baleo centur. 2. c. 59. f. 168. et ex eo, Ioanne Pitseo p. 192. 193. scripsit Epigrammata Satirica, quorum initium:* Vndique susceptum qui misćuit etc. Epigramma, quod e prisco lapide inter inscriptiones veteres exhibet Gruterus p. DCLV. 3. Barthius V, 13. Adversar. Martiali tribuit.



CAPVT XXI.

DE

C. CORNELIO TACITO.

I. *Taciti aetas.* II. *Scripta maiora, Annalium libri, et Historiarum.* III. *minora, Vita Agricolae, de Germanis, de caussis corruptae eloquentiae.* IV. *Editiones et notae.* V. *Versiones.*

I. C. CORNELIVS *a*) TACITVS, Eques Romanus, gener Cn. Iulii Agricolae, sub Vespasianis procurator Galliae Belgicae, *b*) etiam sub Domitiano *c*) ac Nerva (sub quo consul a. V. 850. Chr. 97. suffectus T. Virginio Rufo) et sub Traiano varios honores gessit; scriptis vero suis, prudenti et arguta brevitate disertis, immortalem sibi lau-

a) In MS. Flor. praenomen habet *Publii.* Alius, ut videtur, *Cornelius Verus Tacitus* in inscriptione vetere apud Reines. quem vide p. 307. Epist. ad Bosium: et Baelii Lex. in Tacito, nota (k) pag. 2829.

b) Plin. lib. 7. Epist. 16. vide Iustum Rycquium ad Taciti histor. I, 1. 5. et Gundlingiana XXV, 1.

c) Vide quae Lipsius in vita Taciti, et ad Lib. 1. Hist. c. 1.

laudem et gloriam comparavit, ſtatuamque meruit, quae ipſi poſita ab interamnatibus a. C. 1514.

II. Scriptorum eius ordo ſecundum temporum rationes eſt, ut bene Ryckius ad Ann. III, 24. 4. obſervavit, hic: 1) *Vita Agricolae*, vivente adhuc Nerva c. 2. 3. 2) Liber *de moribus Germanorum* ſecundo Traiani conſulatu 37. 4. 3) *Hiſtoriae* ſub Traiano, iam Divo Nerva I, 1. 6. et Ann. XI, 11, 2. hiſtorias citat. Scripſit ergo prius ſui temporis hiſtoriam, deinde 4) Annales Tib. Cal. Cl. Ner. addidit: additurus etiam Auguſti principatum l. c. Sed librarii ordinem fecere ex rerum geſtarum ordine, et librorum dignitate, qui et in omnibus libris obtinet. Scribendae hiſtoriae munus detulerat amico ſuo, Plinio: qui cum non recepiſſet, ipſe ſuſcepit. vid. Sidon. Epp. IV, 22.

Annalium quidem, *d*) quo opere Res Romanas ab exceſſu Auguſti ad mortem Neronis uſque perſecutus fuerat Tacitus, extant *libri VI. primi*, *e*) quorum quintus mutilus eſt, ſextus, qui integer ad nos pervenit, in Tiberii exceſſu deſinit. Deinde poſt quatuor librorum *f*) lacunam, *liber undecimus ἀκέφαλος ad librum XVI. g*) *ſed extrema parte mutilum*, a C. Valerii Aſiatici ſub Claudio Imp. per inimicorum fraudes ad voluntariam mortem adacti exitio ad interitum Thraſeae et Paeti, quem Nero mori iuſſerat.

d) Sic ipſe vocat IV, 32. ut fallantur, qui *Ephemerides* ſive *Acta diurnalia* appellant, ut in MSS. fere fit et edd. primis, a quibus diſerte diſtinguit XIII, 31. *Annales* vero et *Hiſtoriae* quomodo differant, vide apud Gellium V, 18. Primo annales fuerunt, poſt Hiſtoriae factae ſunt ſi credimus Victorino in 1. Rhetoricorum Cic. p. 82. Sed vid. Interpr. ad initium Hiſtor.

e) Hi unde reperti, poſt dicetur.

f) Lipſius iuvenis ſupplementa Taciti ſcribere molitus eſt, ſed poſtea abiecit conſilium.

g) Iſ. Voſſius notis ad Melam p. 40 haec allegat verba ex Taciti libro vigeſimo: *Per Gallias edixere, ut miſſis legatis in commune conſultarent.* Exſtant lib. 4. Hiſt. c. 67. Olim ſic numeratum, non dum ab editoribus diſcretis Annal. et Hiſt. libris. v. infr.

Ab his Annalium libris diverso *h*) scribendi genere exarati fuere a Tacito *libri Historiarum*, quorum *quinque primores* similiter supersunt (nisi quod quintus extremo mutilus est) et complectuntur res a consulatu Galbae et Titi Vinnii usque ad pacem initam inter Cerealem Romanum et Civilem Batavum, qui audita Vitellii morte turbas excitaverant. Non desunt Viri docti, qui libros Historiarum a Tacito ante Annales scriptos esse contendunt, quoniam ipse XI, 11. Annalium ad illos lectorem remittit: *Vtriusque principii rationes praetermitto, satis narratas libris quibus res Imperatoris Domitiani composui.* Vt adeo orsus fuerit Tacitus ab Imperatoribus aetatis suae coniunctioribus, deinde ad priores

h) Fateor, mihi (F.) olim minus absurdam visam fuisse Antonii Quaerengi opinionem, qui uti Leo Allatius in apibus urbanis pag. 45. auctor est, singulari scripto probandum susceperat, Taciti libros falsa coniectura dividi in duo genera atque opera diversa, Historiarum alterum, alterum annalium: itaque verisimile videri, libris illis quinque historiarum initium fecisse operis Historici, quod a Tacito exaratum memorat S. Hieronymus, partem posteriorem fusius et accuratius perscriptam ab excessu Neronis Imp. fuisseque in ordine librum XVIII. XIX. XX. XXI. et XXII. Sed lectis iis, quae hac de re a Cl. Baelio in Lexico p. 2825. et 2827. disputata sunt, accuratiusque perpendens verba Hieronymi lib. III. in Zachariae cap. XIV. *Cornelius quoque Tacitus qui post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta voluminibus exaravit*, et considerans spatium temporis, quod libris quinque Historiarum scriptor persequitur, nondum integri biennii, cum tamen ab excessu Neronis ad Domitiani exitium maius quam duodetriginta annorum spatium intercedat, idque pluribus maximis ac perquam variis eventibus insigne, saltem dubiam illam Quaerengi sententiam atque incertam esse affirmo, quoniam nisi valde dissimilis sibi fuit Tacitus non minore, quam viginti quinque librorum spatio, illa pertexere potuit. Accedit quod in quinto Historiarum libro hodie leguntur, quae repetit e quinto Taciti libro Tertullianus lib. de spectaculis. Quae vero c. 16. Apologetici, ubi iterum quintus liber laudatur, proferuntur, exstant libro 16. Annalium, ubi numerum potius corruptum velim caussari vel memoriam Tertulliani vacillantem, quam cum Brissonio ad leg. Codicis Theodosiani de spectac. p. 17. mihi persuadere, aliter olim Taciti fuisse libros digestos. Pro Quaerengi tamen opinione facit, quod utrinque Tertullianus sine distinctione operis, tantum numerum librorum laudat, et quod Hieronymus libros illos triginta testatur coepisse *post Augustum*, a quo tempore Annalium libri ordiuntur.

res ad remotiores dicendos ſe converterit, qua ratione Plutarchum quoque in vitis ſuis pertexendis uſum fuiſſe notat Io. Rualdus in eius vita c. 21. *Quod ſi vita ſuppeditet*, inquit Tacitus lib. 1. Hiſtoriar. cap. 1. *principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem ſecurioremque materiam ſenectuti ſepoſui.* Sed hoc opus nunquam perfeciſſe videtur, etſi ſunt qui tradant annum aetatis octogeſimum attigiſſe. Ceterum ex hoc ipſo loco conſtat Hiſtorias a Tacito ſcriptas Nerva iam defuncto. De cognomine Imperatore *M. Claudio Tacito* praeter alios adi Laurentium Begerum in theſauro Palatino pag. 353. ſeq. Huius tanto magis hoc loco iuvat meminiſſe, quod illius ſtudio fortaſſe debemus, quaecunque ex Taciti ſcriptoris lucubrationibus adhuc temporum iniuriis erepta ſunt. Nam ut Vopiſcus in Taciti Imp. vita cap. 10. *Cornelium Tacitum ſcriptorem Hiſt. Auguſtae, quod parentem ſuum eundem diceret, in omnibus Bibliothecis collocari iuſſit, et ne lectorum incuria deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi publicitus in Conſulum archivis iuſſit et in Bibliothecis poni.*

Vt Livius Hiſtoriam ſuam ab initio hexametri orditur, ita Salluſtius *i*) bellum Iugurthinum, et Tacitus Annales incipiunt ab integro verſu hexametro. Sed et in operis ipſo decurſu plures Tacito non cogitanti verſus exciderunt, quos obſervavit D. Io. Bambanius, *k*) lectione Taciti aſſidua delectatus inprimis, et variis centonibus e Taeito Hamburgi circa a. 1690. editis notus.

Vrbem Romam a principio Reges habuere, l)
Se coram mandata darent, acclamavere, m)
— — per ludibrium rogitantes, n)
Damnatos ſibi iam miſcent, flagrantior inde, o)
— inter

i) Idem Salluſtius Catilinar. XIX, 4. *Cneii Pompeii fides veteresque clientes.*

k) Journal de Hamb. T. 2. p. 152.

l) Annal. I, 1, 1. *m*) I, 19, 3. *n*) I, 20, 3. *o*) I, 22, 1.

— *inter signa interque Aquilas veherentur,* p)
— — *qualem ira & dissimulatio gignit,* q)
Subiectis campis magna specie volitabant, r)
Afficerent, quanto laudabilius periturum, s)
Donec consensu Patrum deterritus est, ne, t)
— *bellum anceps an pax inhonesta placeret,* u)
Occurrens armatis, et scelus exprobans, ac, x)
Castra alia excipient? illic signa armaque vestra, y)
— *imperitabat pollens nobilitate,* z)
Commendans, postremo fletu praepediente, a)
— *tradunt undantesque bitumine moles,* b)
— — *sive inscitia aedificandi,* c)
Auguriis Patrum et prisca formidine sacram, d)
Reges, et monstratus fatis Vespasianus, e)
Incertus testamentum pro pignore scribam, f)

Similiter in Isocrate Oratore, numeri oratorii apprime studioso, ad triginta versus animadversos notavit Iacobus Gaddius de scriptoribus non Ecclesiasticis T. 1. p. 264. et a Cicerone ipso, qui versus in oratione per imprudentiam dictos, vehementer vitiosum genus et longa animi provisione fugiendum appellat, g) plures passim versus aliud agenti admissi sunt, quos produxit Marcianus Capella lib. V. p. 168. et plures etiam Dionysius Lambinus ad 1. Verrinam cap. 7. et Franciscus Hotomannus in Orat. ad Quirites c. 6. Caspar Barthius XXXII, 17. Adversariorum, et amicus noster Rev. Fridericus Simon Loeflerus in diss. de versu inopinato in prosa, Lips. 1688. §. XVIII. In eadem diss. multa alia in aliis scriptoribus observata ver-

p) Annal. I, 37, 3. q) II, 57, 4.
r) XV, 9, 1. s) XV, 59, 4.
t) XV, 73, 4. u) XV, 25, 2.
x) Hist. I, 43, 1. y) III, 24, 4.
z) III, 45, 2.
a) III, 68, 4. b) IV, 6, 9.
c) Germ. XVI, 2. d) 39, 1.
e) Agric. 13, 7.
f) Or. 13, 7.

g) Lib. 3. de Oratore cap. 44. adde Ciceronis Oratorem cap. 51. et 56. In eandem sententiam Quintilianus IX, 4. Instit. Orator. *Versum in oratione fieri multo foedissimum est totum, sectum etiam in parte deforme: utique si pars posterior in clausula deprehendatur, aut rursus prior in ingressu.*

verſuum ſponte natorum exempla afferuntur, quemadmodum et a Taubmanno ad Plauti Trinum. IV, 1. p. 1171. Barthio ad Statium Tom. 2. p. 598. et Adverſar. IV, 13. VIII, 21. XI, 16. XVI, 14. XXXI, 17. XLI, 22. a Io. Henr. Meibomio ad Caſſiodori formulam Archiatrorum p. 73. Ioanne Pincierio lib. 2. parergon otii Marpurgenſis c. 31. et Io. Iac. Schudt in Iudaeo Chriſticida p. 409. Sed et in ſacris Scriptoribus Hexametri notati ſunt Matth. XIV, 14. Luc. X, 24. 25. XXI, 18. Io. VI, 63. XIII, 5. XVI, 28. XVIII, 36. XIX, 39. Tit. III, 2. et 3. Iac. I, 17. IV, 4. Ebr. XII, 13. et Pentametri Luc. XIV, 30. Rom. IV, 13. et 1. Tim. VI, 16. Iambici denique bini quaternarii Matth. VII, 7. Scazon ſenarius Matth. XIII, 13. Anacreonticus Luc. XVIII, 41. Sane cum metra verſuum infinita excogitari poſſint, et quae excogitata ſunt, ab libero ingenio et electione hominum unice pendeant, non hoc opus fuit ſacris ſcriptoribus, nec haec cura ſollicitare illos debuit, ut omnes verſus ubique effugerent, neque divinus, qui ſcribentes moderatus eſt Spiritus, dignum hoc exiſtimavit, a quo eos velut a re vitioſa revocaret. Recte Caſſiodorus libro de inſtitutione Divinarum litterarum c. 15. T. 2. pag. 547. *Expedit interdum praetermittere humanarum formulas dictionum, et Divini magis eloquii cuſtodire menſuram. In proſa caput verſus heroici finemque non corrigas, id eſt quinque longas totidemque breves non audeas improbare, trocheum triplicem laudabilis neglectus abſcondat, iotaciſmos et hiatus vocalium omnino derelinque, quoniam hic locum habere non poſſunt, quae Doctores litterarum liberalium ſingulariter cuſtodire noſcuntur.* Quam in rem plura diſſerit laudatus Loeflerus in Epiſtola ad Rev. D. Georgium Serpilium de verſibus, qui in ſoluta Novi Foederis Oratione habentur, Lipſiae 1718. 4. Sed ad Tacitum noſtrum redeamus.

De Codice Corbeiensi Annalium Iustus Lipsius in dispunctione notarum Codicis Mirandulani: *Codicem illum tuum advocas, quorum unice unicum in tota Europa exemplar esse hactenus audimus. Id Leoni X. Pontifici Optimo Max. oblatum, in Corbeiensi Monasterio ad Visurgim repertum, servat etiamnum inclyta illa Bibliotheca Medicea.* Em. Cardinalis Henricus Norisius ad Cenotaphia Pisana p. 462. *Exstat in Bibliotheca Medicea Taciti volumen, quod unum in Germania repertum ac Leoni X. oblatum Philippus Beroaldus in publicum emisit. Is Codex Annales de Imperio Tiberii Caesaris complectitur.* Illustriss. Fürstenbergius in monumentis Paderborn. pag. 62. Epigrammate in Visurgim fluvium:

Sed quota pars rerum superaret Roma tuarum,
Aut quisnam Arminii nosceret arma mei,
Ni mihi quam Tacitus scriptor dedit inclytus, illi
Reddita Corbeiae munere vita foret.

Plura idem Fürstenbergius p. 71. 72. vid. et praefat. nostram ad Tacitum.

In libri quinti Annalium fine desunt acta duorum annorum Tiberii 17. et 18. (a 19. Aug.) qui respondent annis Chr. 31. et 32. Sed post sextum librum desideratur Imperium integrum Caligulae cum sex primoribus annis Claudii Imp. hoc est, res, quae contigerunt ab a. C. 38. ad 48. Vltimus liber Annalium desinit in anno Neronis 13. (a 13. Oct.) cui respondet Chr. 67. Historiarum liber I. incipit a Galbae imperio, a. C. 69. Veniamus ad libros minores.

III. Primus ergo est de *Cn. Iulii Agricolae Vita.* Is primum editus est in exemplis Mediolanensibus Fr. Puteolani; quoad quidem scimus: inde in ceteris. In eum libellum plures, praesertim e genere politico, scripsere separatim, ut *Mich. Virdungus*, Norib. 1637. 8. valde lauda-

laudatus Io. Frid. Gronovio in notis ad hunc libellum: *Boxhornius* Lugd. B. 1642. 12. qui et vindicias earum notarum scripsit: *Aug. Buchnerus* Lipſ. 1683. 8. *Io. Andr. Boſius* Ien. 1656. 8. et 1664. additis Boxhornii notis: Gallice verſus eſt Pariſ. 1656. 12. per *Hoberium* quendam.

Libellus *de ſitu, moribus, populiſque Germaniae*, ſaepe ſeparatim editus eſt. Antiquiſſima editio videtur ex eo genere eſſe, quae ſine l. et a. prodiit in 4. quem Codicem Adolphi vocat Rhenanus: ex qua pleraeque lectiones in textu Rhenani fluxere, quibus illa a ſuperioribus exemplis differt. A *Rhagio Aeſticampiano* editus eſt Lipſ. 1509. 4. cum commentariolo Baſil. 1519. 4. et cum notis *Willichii, Glareani, Melanthonis*, Francof. ad Viadr. 1551. 8. ab *Althamero* Norib. 1529. 4. qui liber a Theologis Pariſ. in Catal. librorum prohibitorum eſt relatus. v. Argentré T. II. p. 167. *Mich. Beuthero* Arg. 1594. 8. *Chriſt. Colero* Hanov. 1602. 8. *Virdungo* Norib. 1637. 8. *Georg. Caſp. Kirchmaiero* Viteb. 1664. 8. *Vettero* Erlangae 1714. 8. ut mittamus, qui inter res Germanicas eum librum edidere et illuſtravere, et *Rhenanus* in libro de reb. Germ. — Addendae *Bernecceri* quaeſtiones miſcellaneae in hunc librum et Agricolam Argent. 1640. 8. Plurimum lucis in rebus Geographicis ei attulere Cluverius, Cellarius, et alii per occaſionem ſcribendi de rebus Germanicis; quos hic commemorari non eſt neceſſe.

Liber *de Oratoribus*, qui a nonnullis Tacito male tributus eſt, edi ſolet et illuſtrari in edd. Taciti, de eo dictum in cap. de Quintiliano.

IV. De editionibus librorum univerſorum Taciti ea, quae in praefat. editionis Lipſienſis dicta ſunt, breviter et ad operis huius inſtitutum accommodate repetemus. Prima igitur omnium editio eſt Veneta 1468. vel 1469.

(nulla enim anni nota adſcripta eſt) per Vendelinum Spiram fol. cum hoc ad calcem tetraſticho:

Caeſareos mores ſcribit Cornelius, eſto
Iſte tibi codex; hiſtoriae pater eſt.
Inſigni quem laude feret gens poſtera, preſſit
Spira premens artis gloria prima ſuae.

Ea habet libros Ann. ab L. XI. Hiſtoriarum, libellum de Mor. Germ. et de Oratoribus: ductaque eſt e MS. valde bono, ſed incertum quo: de quo plenius dictum in praefatione illa.

Huic proxima eſt, cuius quidem certa fides ſit (nam aliae, ut *Romana*, fictitiae ſunt) Mediolanenſis, f. l. et a. facta a *Franciſco* Puteolano, adiuto a Bernardino Lanterio, omnium Mediolanenſium, ut ille ait in praef. doctiſſima. Baſin fecit ed. Venetam, cui vitia ſc. typographica multa exprobrat, uſus etiam libris ſcriptis, neſcimus quibus. Ea repetita eſt cum ipſa praefatione Franciſci Venetiis 1497. f. ap. Phil. Pincium: itaque illam habet, qui hanc habet; quae et facilius reperitur. Sequitur editio *Io. Rivii* Venetiis 1512. f. quae facta eſt e Veneta ſuperiori; cuius non modo vitia typographica correxit, ſed et alia, quae ei vitioſa viderentur, interdum parum feliciter. Hanc interdum Lipſius intelligebat, cum Venetam appellabat.

Tribus annis poſt (1515. f.) prodiit clarum inprimis exemplum Romae, per *Phil. Beroaldum* iuniorem, in qua e Codice Corbeienſi Libri Annalium priores primum in lucem venere. In quo negotio etſi ſe dicit ſumma diligentia uſum, quam et laudat P. Victorius Caſtigg. ad Ciceronem: tamen nova collatio illius Codicis a Pichena et Iac. Gronovio inſtituta docuit, plura ab eo aliter edita eſſe, quam in illo Codice eſſent. Ceteri libri omnes ex editione Fr. Puteolani repetiti ſunt ſecundum exemplar Venetum, etiam praepoſita illius praefatione:

et reperiuntur exempla, quae ſolos illos libros e Corb. Codice habent. Exemplum Beroaldinum ſtatim repetiit Mediolani *Minutianas*, per fraudem: de qua vid. Saxius Proleg. Hiſt. liter. Mediol. p. 109. Altera Romana a. 1517. eſt commentitia, et cum Minutiani Mediolanenſi confuſa.

A. 1519. novam editionem curavit *Beatus Rhenanus* Baſileae apud Frobenium: ſed nihil aliud quam Beroaldinam repetiit: additis tamen *Alciati* notis, unde quidam Alciati faciunt. Vbi diſſentit a Beroaldina, fit id operarum vitio: quae tamen errata in alias editiones venere, interdum notis locum fecere. Sed hunc textum deinde recognovit Rhenanus, uſus MS. Budenſi, et additis notulis, quibus textum *vulgatum*, ut vocat, hoc eſt Venetum illum aut ſuum ſuperiorem, corrigit interdum. Hoc novum exemplum pariter Baſileae ap. Frobenium a. 1533. f. prodiit, et ſine ulla nova ipſius correctione repetitum eſt a. 1544. ibid. nam in quibus ab ea diſſert, ea ab operarum aut correctoris errore ſunt. Has poſteriores editiones fere intelligunt, qui Frobenianas commemorant: primam illam fere ignorant.

Interea primum Florentiae a. 1527. 8. editus erat Tacitus apud Iuntam, cuius textus eſt Beroaldinus, ſed interdum tamen correctus ab *Ant. Franciſco Varchienſi*, qui ei editioni curandae praefuit. Ea correctio tamen tantum ad vitia typographica Beroaldinae pertinet. Repetitae etiam ſunt cum praefatione notulae paucae Beroaldi in quinque libros priores. Itaque huius editionis Criticus uſus nullus eſt. Memoratur etiam alia Florentina a. 1552. ſed memoratur tantum. An in ea aliquid amplius ſit, quam in prima, non licet dicere. — Deinde poſt ſecundam Rhenani a. 1534. facta eſt nova in officina Aldina Venetiis 8. quae eſt mera illius Baſileenſis repetitio, niſi ſi quid correctum eſt, ubi operae aberrave-

erraverant manifeste — Eadem est ratio Gryphianae, Lugd. 1543. 8. nisi quod in ea operae saepius peccavere. Additae autem sunt notae *Ferreti* et *Rhenani*. Ei autem similes sunt omnes Gryphianae, quae ante Lipsianam factae sunt, ut 1551. 1559. 12. Quae post Lipsianam in lucem venerunt, hanc expressere, ut Ant. Gryphii 1584. 12.

A medio Sec. XVI. in Tacito vel emendando vel illustrando elaborare coepere *Muretus* et *Lipsius*. Sed ille ab hoc praeventus est. Eius non modo multae correctiones occurrunt in eius Lectionibus Variis XI, 1. seq. sed etiam notae in L. I. Ann. editae sunt Rom. 1580. 8. aliquoties in Germania repetitae. Lipsius autem Tacitum ad MSS. et edd. libros correctum et notis eximiis illustratum primum edidit Antverp. a. 1574. 8. iterum 1581. 8. tertio Lugduni B. 1585. f. quartum 1588. 8. quintum 1595. 8. et tandem sextum Antv. 1600. 4. et f. ex qua ductae sunt ceterae, quae post mortem eius factae sunt, in quibus notae subiectae textui, cum ante ad calcem textus universi essent. Sed hae edd. omnes inter se differunt: meliores sunt eae, quae post Pichenae editionem factae sunt; ex qua nonnulla correxit: omninoque sexta illa est plenissima, ex qua notae Lipsii in ed. Lipsiensi sumtae sunt, cum alii ex aliis sumserint. In prima, tantum ex editionibus primoribus Veneta illa 1497. usus erat, quam sibi dicit pro libro scripto fuisse: in sequentibus paullatim et alias usurpavit, ut Venetam Spirensis, quam male Romanam vocat. Inde et coniecturae eius interdum mutatae sunt: videndumque, quam editionem usurparint, qui eius coniecturas memorant. Pichena v. c. utebatur ed. anno 1585. Nam post hanc prodiit *Curtii Pichenae* recensio.

Lipsii opera ita probata est viris intelligentibus, ut et *Sospitator Taciti* diceretur, et inter principes interpretum refer-

referretur. Habuit tamen adversarios quosdam, magis ab invidia, quam iusta caussa. Exiit libellus sub nomine *Pompeii Lampugnani*, cui tit. *Collatio Notarum Iusti Lipsii in Cornelium Tacitum cum MS. Codice Mirandulano*, Bergomi a. 1602. 8. cui Lipsius dispunctionem Codicis Mirandulani opposuit. Auctor a quibusdam habitus fuit, sed perperam, *Robertus Titius*. Vide Marci Velseri opera p. 876. seq. p. 826. seq. p. 828. Alii tribuerant *Frehero*, *Hippolyto a Collibus* verisimilius alii, de quibus Placcius in theatro Pseudonymorum pag. 411. Fuisse ei inimicum Hippolytum constat, et testatur rem etiam Moretus in Epist. ad Lips. in Sylloge Burm. T. II. p. 166. cf. et p. 15. et 84.

Curtii Pichenae editio primum facta est Flor. 1600. cum notis ipsius; repetita autem in Batavis et Germania Francof. bis. meliora et correctiora exempla sunt 1607. 4. nam et Pichena in Epist. ad librarios de vitiis superioris editionis queritur. Vsus est MSS. Florent. et ed. Veneta Puteol. quam sibi ait pro MS. fuisse. Bonam utique operam Tacito navavit, unde valde laudatus viris doctis est, ut Grutero ad Cic. Verr. V, 7. Sed habet tamen et vitia sua, orta ex eo, quod edd. pr. non diligenter usus est, quas nec quaesisse videtur.

Eodem tempore editio Taciti facta est Francof. octonis, cuius auctor fuit *Ianus Gruterus*, quae habet varias variorum notas, etiam ipsius Gruteri Schediasmata quaedam, ad textus emendationem nihil admodum: similisque est ed. Parisina 1608. f.

A. 1622. f. Parisiis prodiit Tacitus cum novis (saepe ineptis) cogitationibus *Ludovici Aureliani* (*d' Orleans*) nihil utique laudis apud intelligentes meritus, vid. v. c. Fabrett. ad Columnn. Trai. p. 192. 253. etc. uti nec *Boxhornii* Amst. 1642. 12. aut *Iuliani Pichoni* editio in usum Delphini, Paris. 1682 - 1687. 4. Voll. 4. repetita Ven. 1708. 4.

His

His post Pichenam omnibus melius de Tacito meritus est cum *Berneccero Freinshemius*, nova editione Argent. 1638. 1664. 8. Textus est Pichenae, paucis de utriusque et aliorum coniectura mutatis, et explicatis locis, quae non satis illustrata videbantur. In hac primum textus in minutas partes sectus est, additusque Index plenus rerum et verborum. Ea editio repetita est Lugd. B. 1675. et 1685. 8. sub *Io. Frid. Gronovii* nomine, cum notis variorum et ipsius Gronovii, qui tamen, opere non absoluto, mortuus est. Non usus hic erat MSS. aut edd. pr. itaque interdum pro coniecturis ponit, quae dudum edita erant.

Duobus annis post, a. 1687. 12. prodiit Taciti novum exemplum per *Theodorum Ryckium* Lugd. Bat. Voll. 2. Primum habet textum, alterum Ryckii notas. Vsus est MSS. regii Parisini excerptis et Agricolae inprimis, edd. Puteol. Ber. Rivii, e quibus etiam quaedam mutavit in textu Bernecceriano (nam eam basin fecit) quamquam et quaedam, sed valde pauca, de coniectura. Plus tribuit Cod. Agric. quam debebat: nec tamen ita contemtim a Iac. Gronovio tractari debebat, ut factum est. Repetita est haec editio Dublini 1731. 8.

Hic Gronovius iterum post Pichenam libros Florentinos cum textu paternae editionis contulerat, et notas in Tacitum scripserat. Sed obiit ante, quam opus novae editionis absolvisset. Itaque filius Abrahamus post eius mortem edidit, adiunctis integris notis *B. Rhenani*, *Fulvii Vrsini*, *Mureti*, *Merceri*, *Lipsii*, *Acidalii*, *Pichenae*, *Gruteri*, *Grotii*, *Freinshemii*, et *Io. Frid. Gronovii*, et tunc primum editis *Iac. Gronovii*, et *Io. Iensii:* selectis autem *Alciati*, *Aurelii*, *Barclaii*, *Boxhornii*, *Coleri*, *Marcelli Donati*, *Ferreti*, *Gutherii*, *Kirchmaieri*, *Loccenii*, *Lupani*, *Reinesii*, *Ruperti*, *Salinerii*, *Savilii*, *Scheferi*, *Vertranii*, *Virdungi*, et aliorum. Additae etiam Variae lectiones Codicis Bod-

leiani,

leiani, quem editor contulit, et ad librum de moribus Germanorum Arundeliani notatas ab Isaaco Vossio, et ad Dialogum de caussis corruptae eloquentiae, annotationes Ioannis Schultingii ex editione a. 1665.

A. 1752. editus est Tacitus cum notis Lipsii, Gronovii et nostris (I. A. E.) 8. Voll. 2. repetitusque a. 1772. Vsi sumus MS. Guelferbytano, recentiori quidem, sed qui tamen et ad veteres lectiones bonas confirmandas et ad novas meliores indagandas profuit: praeterea edd. veteribus omnibus, inde a Veneta Spirensis: tum Groslotii et Heinsii coniecturis ineditis illis e Sylloge Ep. Burm. T. I. p. 348. his beneficio Burmanni secundi V. C. Heinsianas notas omnes addidimus editioni secundae. In his crebrior usus est Cod. Agric. quam in Ryckianis, cui et ipse plus iusto tribuit, sicut et in coniecturis paullo audacior est. Habuimus et exemplum Schurzfleischii, item Reinesii manu notatum: denique plura e libris virorum doctorum, qui obiter loca Taciti tractarent, notavimus. Sed et ipsi operam dedimus, ut corruptiones et interpolationes textus indagaremus, sed ita, ut nihil de coniectura mutaremus, nisi ea evidentia esset, ut quemvis probaturum putaremus correctionem, qui verum latinitatis, inprimis Cornelianae, et rei Criticae usum teneret. Denique addidimus Indices rerum et verborum, hunc ad cognoscendam latinitatem Taciti accommodatiorem. In ed. sec. etiam usi sumus editionibus Francicis, de quibus statim dicemus.

Nam a. 1760. prodiit Paris. 12. Voll. 2. Tacitus cum notis *I. N. Alemanni* (*Lalemand*) cuius textus est e nostra, sed receptis in eum lectionibus plerisque MS. regii, praesertim quae cum ed. Spirensis consentiebant. Sed maiori conatu et copiis rem egit in Tacito edendo *Gabr. Broterius*, cuius Tacitus, a. 1761. promissus scriptione publica, a. 1771. prodiit Paris. 4. Voll. 3. Basin fecit

fecit textum nostrum, sed eius lectiones vel firmavit, vel etiam interdum mutavit per MSS. regium, Vaticanos, recentissimos illos, et alias lectiones vel coniecturas in libris edd. ad marginem scriptas. Notae sub textu sunt, sicut Alemanni pleraeque, tironibus scriptae: ad calcem operis sunt longiores de rebus, saepe per longas disputationes tractatis, in quibus pleraeque sunt loci de antiquitatibus, item criticae, in quibus varietas lectionum traditur, et iudicium de iis proponitur.

Extant et editiones parvae, in quibus nihil est, nisi repetitio textus Lipsiani, aut alius, item notae tironibus scriptae, qualis est, quae Lipsiae 1714. 8. facta est per *Christianum Hausium* cum notis ad modum Minellii, cum Dissertatione *Walchii* de Tacito et eius stilo: de quibus dicere nihil attinet.

Multi etiam vel separatim notas in Tacitum scripsere totum, vel in partem aliquam, Annales, aut Historias, aut horum quoque librorum partes: in his eximie *Muretus*, cuius notae in L. I. Ann. Ingolstadii 1604. 8. cum notis in Sallustium prodiere; et *Iosias Mercerus*, cuius notae in Tacitum prodiere Paris. 1559. 4. et 1590. 8. *Mureti* et *Acidalii* notae etiam separatim prodiere Hanov. 1607. 8. His longe inferior *Aemilius Ferretus*, cuius notae prodiere, Lugd. 1541. 8. deinde in ed. Gryph. et Paris. 1608. f. repetitae sunt. Alii plerique non valde digni, praesertim his temporibus, lectu: nec tamen eos praetermittemus omnino. *Annib. Scoti* extant Commentarii in Annales et Hist. Francof. 1592. f. *Vincentii Lupani* notae in Annales, Paris. 1556. 8. quae et ed. Paris. 1608. accessere. *Boecleri* Comm. in Annal. L. I. c. 15. priora, Arg. 1643. 4. item ad Libros Hist. ibid. 1664. 8. *Henrici Savilii* notae in Tac. Amst. 1649. 12. *Paschalii* in Libros IV. A. Paris. 1584. f. *Salinerii* notae Genuae 1602. 4. *Cyriaci Lentuli* Marpurg. 1665. 8.

Quidam

Quidam etiam politicas obſervationes ſcripſere, quo tempore homines literis ipſis relictis, et ſine earum vera intelligentia, politicas artes ex hiſtoricis tradere ac diſcere inſtituerant: quae ratio hodie contemta iacet. Ex eo genere ſunt *Chriſtoph. Forſtneri* notae polit. in Tacitum Argent. 1628. 8. et eiuſdem omiſſorum in Tacitum liber 1631. Lugd. B. 1650. 1652. 12. *Nic. Vernulaei* Obſ. Syntagma Lovan. 1651. 8. *Iani Gruteri* Diſcurſus Heidelb. 1604. et alibi. *Scipionis Amirati* Diſſ. polit. Libri XXI. primum Italice ſcripti Venet. 1598. 4. etc. et latine Francof. 1609. 1618. 4. etiam alibi. *Cauvignii* Obſ. Hiſt. politicae Pariſ. 1615. 8. *P. Andr. Canonherii* quaeſtiones in duos libros priores Annal. Rom. 1609. 4. Francof. 1610. 4. Aphoriſmi Politici *Balthaſaris Alami Barrienti*, Italice etiam verſi ex Hiſpanico per Hieron. Caninum de Anghiari, Venet. 1620. 4. *Virgilii Malvezzi* diſcorſi ſive diſſertationes in Tacitum editae Italice Venet. 1622. 4. et 1635. 4. et contra Malvezzium obſervationes quaedam Theologico Politicae, Belgica lingua editae a *Balthaſare de Hue* Lugd. Bat. 1694. 8. Diſcorſi di *Philippo Cavriana* ſopra i primi cinque libri de Cornelio Tacito, Florentiae 1600. 4. Oſſervationi di *Giorgio Pagliari dal Boſco*, ſopra i primi cinque libri de gli Annali, Mediolan. 1611. 4. Conſiderationi di *Pio Mutio* Brixiae 1623. 4. Rifleſſioni generali ſopra l'opere di Corn. Tacito eſpreſſe in una lettera diretta a Filalete da *D. Franceſco Bonomini*, Dottore in Theologia, Venet. 1700. *Galleria di Minerva* T. 4. p. 107. Sed ohe! iam ſatis eſt, mittamuſque *Traiani Boccalini*, *Chriſtoph. Pflugii*, *Milleti*, ſive *Melliti*, *Gabrielis Ackeleye*, *Ameloti* etc. tales libros, quod ad Tacitum intelligendum ſaepe nihil faciunt, cuius affectata quandoque brevitas parum intellecta videtur in maiorem eius gloriam et admirationem ceſſiſſe, ut πολιτικώτερα longe, multoque plura interdum, quam de quibus ipſe cogitarat, dixiſſe putaretur.

retur. Vnum non poenitet commemorasse *Gordonum* Britannum, qui disputationes historicas, criticas et politicas lectu sane dignas in Tacitum edidit, quae et francice versae Vol. 2. Amst. 1742. 12. Prima disputatio pertinet ad Tacitum ipsum, eius virtutes et bona, vitia obiecta, interpretes: in qua parte inprimis illos politicos commentatores contemnit, et optimos iudicat Lipsium, Gronovium patrem, Ryckium et Freinshemium p. 72. seq. Et bene est, quod Io. Frid. Gronovius illam vanitatem et indoctam sapientiam e scholis depulit: modo ne redeat per eos, qui res potius quam verba se tractare iactant. Inde et vetus illa stultitia orta erat.

V. In diversas quoque linguas Taciti libri versi sunt. Nam inter *h*) *Gallos* post *Angelum Caprllum*, memoratum Crucimanio in Bibliotheca Gallica p. 9. seq. *Stephanum Plancaeum*, sive de la Planche, interpretem Annalium, Paris. 1555. et 1581. et *Claudium Fauchetum* sive *Falcetum*, Paris. 1582. 83. 84. in f. et 4. 8. Francof. 1612. 8. (cf. Sorelli Bibl. Gallicam p. 200. et Crucimanii p. 57. et 80.) *Io. Balduinum* 1628. 4. *Rudolphum Magistrum* (*le Maistre*) 1636. fol. *Achillem Harlaeum*, Campovallonensem Marchionem, patrem Francisci Harlaei, Archiep. Parisiensis, Paris. 1644. f. celebres sunt versiones *Perotti Ablancurtii* Paris. 1651. 8. etc. et *Ameloti Hussaei*, qui primos sex Annalium libros Gallica veste induit, et de claris Taciti interpretibus dissertationem praemisit libro, cui titulus: *la Morale de Tacite*, ubi inter alios Ablancurtius, tanquam parum accuratus interpres perstringitur. vid. et eiusdem Tiberium editum Bruxellis 1683. 4. et recusum Paris. a. 1684. 8. Hinc *Fremondus Ablancurtius*, Perotti filius, a. 1686. libellum Ameloto opposuit, cui titulus: *L'Ablancourt vangé.* Itaque Amelotus

h) Non Taciti versionem, sed historiam Regum Galliae exhibet liber, qui inscribitur: *Le Tacite François avec des réflexions Chrétiennes et Politiques par Cerizieres.* Paris. 1684. 4.

tus ipse coepit suam Taciti versionem in lucem edere, in cuius praef. plura adversus Ablancurtium, Paris. 1690. 4. et Hagae 1692. 12. 2. Voll. et Roterd. 1709. 1716. et 1730. 12. quatuor Voll. *i*) in quibus tribus postremis editt. sed interprete alio M. L. C. D. G. etiam versio libri XI. XII. XIII. accessit, notae vero politicae atque historicae singulis paginis subiectae sunt. Sed et Ameloti versio, etsi sermone elegante est, tamen multum habet vitii e latinitate parum intellecta, quod est fere commune vitium eorum, qui scriptorum veterum libros in linguas vernaculas vertunt. Specimina talium peccatorum satis gravium siquis videre cupiat, adeat Obs. Misc. Dorvill. Vol. II. p. 253. sqq.

Nec finis vertendi gallice in hoc factus. Nam anno 1742. alia prodiit Annalium facta a *Guerino*, et Agricolae 3. Vol. 12. et librorum VI. priorum eiusdem partis a V. Cl. *de la Bletterie* Paris. 1768. 8. (qui et ante minores Taciti libellos fecerat francicos) additis notis, criticis nonnullis, pluribus ad historiam, antiquitates et loca difficiliora explicanda pertinentibus, supplemento item Libri quinti, ab ipso ex historicis aliis composito: nec abest textus latinus. *Guerinus* magis paraphrasten, quam interpretem vertendo egit. Alter pressius vertit, nec tamen satis semper accurate. Sed hos interpretes suis popularibus relinquimus cum *Alemberti* conatibus in hoc genere, quos in operibus eius reperies, separatim ante ad usum scholarum editos Lugduni 1763.

Hetrusco sermone reddidit *Bernardus Davanzatus* sive de *Avanzatis* Florent. 1600. 4. 1637. f. Venet. 1677. 4. sed ita obscure, adhibitis verbis obsoletis et ab usu remotis, ut vix a Florentinis suis intelligi, affirmet Ianus Nicius Erythraeus. Historias vidimus ex versione Hetrusca *Adriani Politi* Senensis, cum notis Horatii Giannetti, Venet. 1604. 12. *Hieronymi Canini* versio Italica An-

 nalium

i) Bibl. ancienne et moderne de Mr. le Clerc Tom. V. p. 450.

nalium lucem vidit Venet. 1544. 4. Eiusdem versio operum Taciti ab Adriano Polito interpolata, una cum ipsius Apologia, et Balthasaris Alami Barrienti aphorismis ex Hispanico versis Venet. 1620. 1644. 1670. 4. Exstat et versio *Scipionis Amirati* et Annal. *Georgii Dati* Venet. 1563. 8. 1582. 1589. 1607. 4. Francof. 1611. 8. *Paulini Arnolfini*, Florentini, Rom. 1603. forma minore. Vita Agricolae ex *Christ. Rosarii* versione Romae 1625. 4.

Hispanice vertit *Emanuel Sueyro* Antverp. 1613. 4. 1619. 8. *Balthasar Alamus Barientus* (cuius iam aphorismos Italice versos memoravi) Madrit. 1614. fol. *Anglica* quoque versione Annalium per *Richardum Greneweу*, Lond. 1604. 1640. fol. edita usus est Io. Freinshemius in comparatione versionum Taciti Angl. Hispan. Germ. Gall. 1. 2. et Ital. 1. 2. per quatuor primos Annalium libros, subiecta specimini paraphraseos Cornelianae, sive paraphrasi eorundem IV. librorum, Argentor. 1641. 8. Historiarum libri et vita Agricolae ex versione *Henrici Savilis* additis eiusdem notis Criticis Lond. 1612. f. cum Annalibus versis a *Greneweyo*. Annales ex nova Anglica versione meliore *Thomae Gordoni*, Lond. 1728. f. praefixis dissertationibus politicis, de quibus supra. *Germanice* versus est Tacitus a *Car. Melch. Grotnitio*, Francof. 1657. fol. *Iac. Micylli* versionem Francof. 1612. editam laudat Schottelius. Freinshemius usus est antiquiore versione edita Mogunt. 1535. f. Nuper autem eodem tempore duplex versio Germanica facta est, altera universi operis Hamburgi a. 1765. 8. Voll. 3. per *Ioannem Samuelem Mullerum* V. C. egregia illa, et notis eruditis, tum ad lectionis delectum, tum ad interpretationem locorum difficilium, et illustrationem rerum historicarum pertinentibus instructa, additis ad extremum etiam Excursibus, fere super locis quibusdam communibus, historicis, politicis et aliis: quales loci etiam subinde in notis ipsis, copio-


copiosius interdum, quam pro notarum modo, tractantur. Altera Magdeburgi facta est, auctore Anonymo, anno 1765. et 1771. 8. quae nec ipsa laude caruit: et est illa superiori facilior, habetque notas valde paucas et tantum lectoribus plane ad intelligendum necessarias, praesertim e genere geographico. Sed ea versio est tantum Annalium. *Belgicam* duplicem vulgatam esse versionem narrat Borremansius, unam *Groenewegeni*, alteram *Ioannis Leonhardi Fenacolii* Delphis 1616. 4. Amst. 1645. 8. sed quarum neutra vel ab ipsis possit intelligi Belgis. Quare aliam politiorem fidelioremque ab *Hofdio* adornatam edi optat pag. 109. Variarum Lectionum: quae et prodiit omnium plausu excepta anno 1684. editore Gerardo Brand, post operibus Hofdii iunctim editis Amstelod. 1704. f. tomo quarto sive ultimo inserta est. Confer de nobili hoc scriptore, et Belgarum Tacito, Petro Cornelio Hofdio, Petrum Francium Orat. XXIII. quae est de laude Amstelodami. Inter alia pag. 305. refert, quod incredibile possit videri, et a Gerardo Brand in Hofdii vita confirmatur, Tacitum ab eo, ut dictionem eius plane sibi redderet familiarem, perlectum esse totum bis et quinquagies.

Anno 1606. rumor, sed ut saepe in aliis, vanus fuit, libros quosdam Taciti recens repertos in regno Neapolitano. Vide M. Velseri Opera p. 880. Deperdita Taciti putantur, praeter libros Annalium et Historiarum amissos, et *librum facetiarum*, cuius Fulgentius meminit, *Orationes* quaedam, Plinio in Epistolis laudatae ut II. Epist. 11. in caussa Marii Priscii: *respondit Cornelius Tacitus eloquentissime, et quod eximium eius orationi inest,* σεμνῶς, et in laudem Virginii Rufi lib. 2. Epist. 1. *laudatus est a Consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitati eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus.* De *gravi* illo ac σεμνῷ, quod Taciti dictioni


 Pli-

Plinius tribuit, singulari diatriba disseruit *Ioannes Guilelmus Bergerus*, Viteberg. 1725. 4. Consulenda etiam *Ruvienii* diss. de stilo Taciti, de qua in Novellis literariis Gallice editis Amstelodami T. X. p. 262. et quae contra eos, qui dictionem Taciti contemnunt vel criminantur, disputata sunt ab elegantissimo Mureto Volum. 2. Oratione 16. 17. 18. et *Ioannis Georgii Walchii* diatribe de vita et stilo Cornelii Taciti ad Iacobum Perizonium, Lips. 1714. 4. Ceterum nullo probabili argumento doceri potest, illas orationes, a Tacito dictas, etiam scriptas et editas fuisse, ut eae proprie periisse dici possint.

Locus e libris Taciti adfertur ab Orosio VII, 3. inde ab Auctore *Historiae Miscellae: Deinde, ut verbis Cornelii Taciti loquar, sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novae gentes saepe ex usu, aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium. Hucusque Cornelius.* Haec verba esse Taciti negat Massonus in templo Iani reserato p. 48. quod et res ipsa falsa sit, et illa *Ianus patefactus induravit*, non sint digna Tacito. In oratione quidem nihil a Taciti oratione abhorrens video.



CAPVT



CAPVT XXII.

DE

PLINIO IVNIORE ET XII. PANEGYRICIS.

I. *Plinii Iunioris aetas.* II. *Epistolae.* III. *Earum editiones.* IV. *Panegyricus.* V. *Aliorum veterum latinorum panegyrici.* VI. *Plinii scripta deperdita.* VII. *Liber de viris illustribus et Altercatio cum Hadriano Imp. male tributa Plinio.* VIII. *Index Scriptorum a Plinio Iuniore in Epistolis laudatorum.*

I. C. PLINIVS CAECILIVS SECVNDVS *a*) ex Novo Como Italiae Transpadanae oppido (IV, 30.) Plinium Maiorem avunculum, Quintilianum (lib. 2. Ep. 14.) et Nicetam Sophistam praeceptores habuit, disertissimus in foro caussarum Patronus: variis honoribus, iisque maximis *b*) in Republ. gestis, Imperatori Traiano carissimus obiit, non certum est quo anno; sed tamen mortuo demum Traiano. Vitam Plinii post Catanaeum, Lyco-

a) A Iosepho Scaligero vocatur C. *Plinius Secundus Caecilianus*, nempe e vetere more, quia nomen *Caecilii* ante adoptionem fuerat, Vossius lib. 1. de Analogia cap. 7. putat illum morem tum abolitum fuisse, falso: sed tamen in libris antiquis *Caecilius* dicitur. *Veronensem* appellat Beda de sex aetatibus, sive per errorem, sive propter avunculum Plinium, a quo fuit adoptatus: qui vulgo, sed male, Veronensis habitus est, ut supra demonstratum est.

b) Cum consulari potestate in Bithyniam missus est a Traiano. Confer Gruteri in script. p. 454. et A. Pagi ad a. C. 69. num. IX. Etiam Consulem fuisse constat ex ipsius Panegyrico, in quo Traiano pro Consulatu gratias agit: Traianum ei tertium suum consulatum a. C. 100. resignavit, ut praeter alios notatum Io. Lightfooto p. 155. seqq. Opp. postum. Videndus etiam Norisius in Epistola ad Antonium Pagium T. 4. Opp. p. 777. et 785. Nam quod a Dione et Cassiodoro non commemoratur; causa est, quod suffectus modo Consul fuit.

Lycosthenem, Rittershusium et Christophorum Cellarium, consignavit Sassius Gallicus interpres, et diligentissime Ioannes Masson, a quo scripta Plinii vita et per annos digesta editioni Oxoniensi Epistolarum et Panegyrici a. 1703. 8. praemittitur, locupletiorque prodiit deinde separatim Amstelod. 1709. 8. Castigantur in hac vita nonnulla tradita ab Antonio Pagi in Critica Baroniana, et ab H. Dodwello in Annalibus Statianis et Quintilianeis, a quo et ipso viro praestantissimo Annales Plinianos exspectavimus. Ante *Ioannem Massonum* scripsit etiam, ac per annos et Consules digessit *Iacobus de la Baune* S. I. praemisitque Plinii Panegyrico in usum Delphini illustrato Paris. 1677. 4. Tabellam, qua stemma Plinii et cognati eius exponuntur, vide sis in *Thom. Reinesii* Epist. 54. ad Rupertum p. 503. Sed legendus est etiam inprimis illustris Comes Rezzonicus Disquisit. Plin. T. I. in princ. Alexandrum I. Papam sub Plinii iunioris et Plutarchi disciplina instructum fuisse in literis, nullo fide digno auctore traditur in Prosperi Mandosii Bibliotheca Romana T. 2. p. 207.

II. Exstant eius *Epistolarum libri decem*, quorum ultimus Epistolas Traiani et Plinii mutuas de rebus maxime publicis in provincia scriptas complectitur. Ante Sec. XII. rarissima earum mentio. Vnus *Sidonius Apollinaris* eius epistolas commemorat, quas et imitari studuit. Is vero *novem* tantum libros commemorat IX, 1. unde quidam librum decimum Plinio abiudicarunt: etiam Io. Mansionarius tantum *octo* memorat: sed Sidonius vel in codice suo tantum novem libros habuit, ut qui extant Codices scripti, tantum novem habent, vel eos libros tantum nominavit, quos ipse imitatus est: nam et epistolas suas in Libros novem partitus est. Plinius quidem ipse videtur Librum decimum separatim edidisse, quod in iis non ingenii laudem spectarat, ut in ceteris. Symma-

Symmachus quidem et decimum librum habuisse videtur. Nam novem libros scripsit imitatione Plinianae orationis, et ingenii causa, item ad privatos: Epistolas ad Imperatores libro proprio complexus est, eumque decimum fecit. — De inventis Epistolis Plinii v. Decembrium Polit. liter. p. 32. Is dicit inventas 124. nempe, ut opinor, super priores L. IX. easque adeo Libri X. etsi in libris nostris sunt tantum 122. Verum in hoc libro variarunt MSS. ut post commemorabimus, cum de edd. dicemus. Vincentius Bellov. Spec. hist. dicit X, 67. epistolas Plinii ad Diversos trecentas reperiri. Hic quidem Librum decimum non vidit. Sed opinionem de νοθείᾳ L. X. bene refellit Catanaeus, ut alios taceamus. Rectius alii librum singularem, et reliquis etiam praeferendum putant. Ioannes Savaro ad Sidonium pag. 534. *Non est quod ingeniosi verba Sidonii captent, et argutentur decimum Epistolarum librum ad Traianum spurium et suppositititium esse. Plinio asserunt Iustinus Martyr, Tertullianus, Eusebius, Orosius et reliqui. Verum ut longe diversi argumenti librum singularem reliquis adnumerare frustra duxit. Nam quod ait Catanaeus Sidonium sui saeculi eruditione contentum fuisse, nec Plinii librum habuisse intra armaria Bibliothecae suae, hoc ineptissimum est, passim enim Plinium imitatur, ut notatum est suis locis accurate.* Vignolius Marvillius T. 3. Misc. Hist. litterar. p. 197. *Le dixieme livre des Epitres du Jeune Pline est le chef d'œuvre de ce grand homme. Ses autres lettres ont de grandes beautez, et des agremens singuliers pour les gens qui aiment les belles lettres, mais celles-ci qui regardent le ministere, sont incomparables, principalement quand elles se trouvent accompagnées, des reponses de Trajan, qui leur aportent un grand lustre. Jamais rien ne m'a fait mieux concevoir ce que les Romains appelloient* Imperatoria brevitas, *que ces reponses si breves et si sages. Si les*

pours esprits se meloint d'écrire, ils n'écriroient pas autrement. C'est la le plus haut point de la perfection, Omnino aliter scribendum in caussis publicis et ad principes, quam ad privatos, etiam cum ingenii caussa scribitur; estque in illo genere nil perfectius exemplo Pliniano.

III. Codices scripti Epistolarum Plinii plures adhuc extant in Bibliothecis. Nicolai de Clemangis Epist. 38. ad Guntherum, scribit de Codice, quem viderit apud Bibliothecarium Pontificis max. cuiusque exemplum sibi fieri voluerit Pontifex. Sed illo tempore coepit saepius describi, ex eoque genere ac tempore sunt plerique, qui nunc reperiuntur. Florentinum Medicem laudat Nic. Heinsius ad Valerium Flaccum pag. 316. et in Epist. ad Io. Frid. Gronovium in Sylloge Burm. T. III. pag. 358. seque eius lectiones plures excerpsisse dicit ibid. p. 536. Alius insignis commemoratur in Bibl. Hohendorf P. III. p. 235. Sed plures, ad duodeviginti, commemorat ill. Rezzonicus, quorum et testimoniis subinde utitur in Disquisit. Plin. T. I. quem adeat, qui velit, aut cui opus sit, de Codicibus talibus cognoscere. Addi possunt etiam, quae tradit Longolius in praef. ad Plinianam Cortii editionem. Notandum etiam MSS. Codices non omnes libros habere: unde factum puto, ut edd. primae ne nonum quidem librum habeant. In Bibl. Bernensi est Codex, qui tantum Libros quatuor habet et Libri quinti priores: quem Sec. XII. assignat Cl. Sinnerus in Catalogo.

Prima editio Epistolarum Plinii iam habetur, quam ex *Ludovici Carbonis* recensione, sine loco et typographo, in fol. a. 1471. excusam testatur Vir Cl. Mich. Maettarius Annal. typograph. p. 91. et refert editorem in praefatione his utentem verbis: *Ludovicus Carbo Sal. Plu. dicit Illustrissimo et Excellentissimo Principi Borsio, Duci Mutinae ac Regii, Marchioni Estensi, Comitique Rodi-*

Rodigii. Gratulari licet saeculo nostro; Dive Borsi, Dux praestantissime; in quo certe optimarum Artium studia maxime floreant; eloquentiae et legitima illa eruditio suum tandem decus agnoscat; in pristinamque dignitatem restituta sit, adeo late pateat Romana et Graeca facundia, ut iam et Galli et Britanni bonos Oratores, et Poëtas habere videantur: ad quam quidem rem commodissimum adiumentum praestiterunt nobilissima Germanorum ingenia, qui artificiosissimas imprimendorum Librorum formas excogitarunt, ut sapientissimorum Auctorum plurima simul eodem temporis momenta Volumina in promptu essent; omnesque utilissimi Codices et in magna copia et in leviore sumtu parari possent. — — Inprimisque has Plinii secundi Iunioris Epistolas opera mea emendatas correctasse impressoribus misi, ut quod rarissimam esse solebat, iam commune omnibus fieri incipiat. Iam ille Lud. Carbo Venetiis fuit, et libros prelis typographorum accommodavit, ut Ciceronis Orationes Waldarferi officinae eodem anno 1471. unde eam editionem Venetiis factam puto. Huic proxima est Neapolitana ex recognitione *Iuniani Maii* Parthenopaei, per Matthiam Moravum, 1476. f. Iussu Alphonsi III. regis: idque primum opus Neapoli typis expressum est. Sed ea editio in omnibus conformis facta est editioni, quae in Germania prodiit cum primum ars typographica inventa est, ut reperi traditum a Milante in libro de Stabiis p. 40. Vnde fit, ut illa Germanica sit prima editio. Extat autem talis editio Germanica s. l. et a. cuius nos exemplum habemus, aut saltem repetitionem, quae habet tantum *libros octo cum Panegyrico*, ut liber ille habet, dicto Imp. *Nervae*, Hinc intelligitur priorem, certe Neapolitanam, habere tantum libros octo.

Sequitur editio facta Mediolani 1478. fol. per Philippum de Lavagnia, Mediolanensem: alia Tarvisii

1483.

1483. per Ioannem Vercellium, quas nec ipſas vidimus, nec ab aliis deſcriptas reperimus. Paullo poſt Romae nitide prodierunt a. 1490. 4. per Euchar. Silber, alias Franck, natione Alemannum, curante Pomponio Laeto, qui in Epiſt. dedicatoria ad Varinum Gamberium, Innocentii VIII. Pontificis miniſtrum a cubiculo, collatis a ſe et revolutis vetuſtis exemplaribus emendatas Plinii Epiſtolas teſtatur. Ea editio *libros novem* habet, forte prima. Habemus exemplum cuius vetus poſſeſſor habuit librum ſcriptum: id patet ex iis, quae in fine adſcripſit: *In Codice Caecilii antiquo multae dictiones erant ſcriptae per* u, *quos moderniores exarant per* o *ut* sorures, dolures, labures, princupes et mancupes *ad evitandam ſequelam earundem vocalium; item* honus, cohopto, haſpirata (*uti debent*) *erant et alia pleraque, quae bonarum literarum cultores calluere, ut ſunt,* ſulla, ſubulla, aduleſcens, epiſtula, ſuboles, eidus *etc.* Sub erratis typogr. monet, non omnia notata eſſe, idque vult *pace Pomponii praeceptoris ſui dictum eſſe.* In margine ex eodem Codice quaedam adſcripta ſunt. Ea editione non reperi uſos editores. Lectiones eius plures notavit Heuſingerus: de quo poſt. Exſtat et editio Bononienſis a Io. Iucundo Veronenſi Ord. Praed. ad MS. Pariſienſem emendata, et a Beroaldo recenſita anni 1498. 4. et Tarviſina: Veneta itidem Beroaldi 1501. 4. apud Albertinum Vercellenſem, quae librum nonum habet, et librum de Viris illuſtribus: Veronenſis 1502. 4. Ioannis de Tridino, qua uſus eſt Cortius: tum Venetae ap. Aldum 1504. 1508. 1514. 1518. in quibus addita, quae in prioribus deſiderabantur. Exſtant et editio Pariſ. 1510. 8. et eiuſdem anni Veneta fol. quae forte ex Aldina fluxere. Haec editio Aldina, velut prioribus longe futura commendatior, antequam prodiſſet, commendata fuit ab Eraſmo in adagio *feſtina lente.* Atque teſtatur Aldus, praeſto ſibi fuiſſe ex Galliis ab Aloyſio Mocenico, Senatore Veneto, allatas, mem-

membranas longe vetuſtiſſimas, et ad Plinii ipſius aetatem proxime accedentes. Sed vide de his libris Auctores Novi operis Diplom. T. II. p. 415. not. 1. In ea igitur liber decimus et alia acceſſerunt. Sed liber decimus ante ſeparatim prodierat. Extat enim exemplum: *Plinii et Traiani Epiſtolae mutuae.* 4. *ſ. l. et a.* quod eſt Sec. XVI. antiquius, ut videtur. De textu Aldino autem valde contemtim loquitur Sichardus in praefatione editionis ſuae; de qua infra: eam ceteris omnibus Aldinis edd. deteriorem et vitioſiorem eſſe, culpa, ut ait, libri, quo uſus erat: quod eſt ſane iniquius paullo. Quae poſt id factae tempus, ſunt ex Aldina, uti Florentiae apud Philippum Iuntam 1515. 8. Anno ante Argentor. apud Schurerum prodierant Plinii Epiſt. Libri X, 4. cum praefatione B. Rhenani; ſed non ex eius recenſione: de qua nihil in praefat. dicit. Titulus eſt magnificus. Ait in hac editione eſſe multas epiſtolas non ante editas: acceſſiſſe Graeca accurate correcta: epiſtolas mutilas integras factas, inprimis eam, quae eſt de Clitumno; decem etiam epiſtolas interpoſitas, ex nono libro octavum factum, ex hoc nonum, beneficio vetuſtiſſimi exempli. Sed haec omnia debebantur editioni Aldinae; idque vel praefat. Rhenani docet: in qua dicitur curaſſe Schurerus, ne operae latum unguem ab Aldina diſcederent. Atque ita etiam ex Aldina, vel ex hoc exemplo, fluxere aliae Germanicae, ut Noriberg. per Locherum 1520. 4. Baſileenſes a. 1521. 4. et 8. ap. Cratandrum, forte et Pariſienſis 1523. ap. Aſcenſium. Hanc ſequitur Pariſ. 1529. 8. apud Rob. Stephanum, cum libro *de viris illuſtribus;* et Lugd. 1531. 1539. 8. apud Sebaſt. Gryphium, ex eadem Aldina, 1542. ipſe e libris correctam dicit, cum Panegyrico et libro de viris illuſtribus, Suetonio, et Obſequente; et Antverpiae 1542. 8. et Pariſiis apud Paulum Stephanum 1599. 1601. 1605. 1611. 12. item Pariſ. 1608. 8. apud Marcum Orry, et Baſileae ex *Io. Sichardi* recen-

ſione 1542. 8. ap. Cratandrum, qui MS. Agricolae uſus eſt, eaque editio habet propria quaedam bona. Aliquoties etiam recudit *Henricus Stephanus* cum Graecarum vocum, et ſententiarum interpretatione, et ad loca quaedam ſuis atque generi ſui *Iſ. Caſauboni* notis, quae in ſecunda editione a. 1591. 12. demum acceſſere: prior ſine illis lucem vidit 1581. 12. Praeterea exſtant cum commentario inprimis laudato *Io. Mariae Catanaei*, Mediolan. 1506. fol. apud Alex. Minutianum, qui ſe dicit innumera correxiſſe (ſc. de coniectura) praeter pauca, quae ſine libris corrigi non poſſent, et Pariſ. ap. Paul. Stephanum 1601. Genev. 1600. 1625. 1641. 1643. 1671. 4. ut omittam *Iani Gruteri* et *Claudii Minois* annotationes.

Antequam progredimur, quaedam monenda ſunt de edd. vetuſtioribus. Ac de numero librorum paullatim aucto, diximus: Illud primum addendum, in editionibus illis, etiam Catanaei, librum octavum noni, et nonum octavi locum occupare. Cauſa eſt, quod liber iſte, qui nunc eſt octavus, poſt nonum inventus et additus eſt. Nam in edd. quae octo libros habent, octavus eſt is, qui nunc nonus eſt. Enim vero revera librum octavum ſerius quam nonum a Plinio editum fuiſſe diſputat Io. Maſſon in vita Plinii p. 164. ſeq. Eundem ordinem probavit *Gaudentius Merula* c) in ſuis commentariis. De hiatu porro, qui in editionibus antiquioribus et Codicibus MSS. poſt libri VIII. Epiſt. 8. verba: *atque etiam navium patiens*, ita meminit Eraſmus in cenſura Epiſtolae S. Hieronymo adſcriptae ad Praeſidium de cereo Paſchali Tom. 5. edit. Io. Marcianaei p. 146. *Vidimus in Epiſtolis Plinianis tot iam ſaeculis pro una lectam, et ab eruditis pro una expoſitam, cum in medio decem intercede-*

c) Merulam in commentariis ſuis ſequitur Catanaeus, notante Conrado Mutiano Rufo Epiſtola CXVII. ubi refert Merulam Mediolani veteres ſcriptores enarraſſe. *Interpretem accuratiſſimum* vocat Muretus XVI, 12. Var. Lect. ubi Epiſtolas a Plinio *accuratiſſime ſcriptas* celebrat.

cederent Epistolae. Quod quidem ex uno duntaxat exemplari deprehensum fuit, sed adeo vetusto, ut aetate Pliniana scriptum videri posset. Nam quis hoc alioqui divinare valuisset? Id videtur esse Aldinum vetus e Gallia. Nam in Aldinis exemplis ille hiatus primum expletus est. Tertium est, quod Epistolae Plinii et Traiani in primis edd. h. e. quae primae habent eum librum, non habent eundem numerum: nam in hodiernis exemplis numerantur 122. in Aldinis et aliis 124. et ordo non est idem. Sed in edd. enarrandis pergemus.

Epistolae et Panegyricus cum Variis lect. Lugd. Bat. 1640. 12. apud Elzevir. cum *Augusti Buchneri* vero animadversionibus excusae sunt Plinii Epistolae Francofurti ad Viadrum 1644. 12. ex recensione *Marci Zuerii Boxhornii* Lugd. B. 1653. 1659. 12. cum notis Buchneri, Is. Casauboni editis ab H. Stephano 1591. 12. H. Stephani et *Casp. Barthii*, (cuius postremi observationes ex Adversariis Andreas Rivinus collegit, Ienae 1650. 8.) Francof. ad Viadr. 1665. 8. additis Plinii, et aliorum panegyricis. Meliores editiones sunt *Veenhusiana*, quae *Ioan. Veenhusio* digerente, observationes excerptas variorum et *Io. Frid. Gronovii* adiunctas habet Lugd. B. 1669. 8. *Thomasiana* cum *Iac. Thomasii* eruditis, de auctore et qui eum illustrarunt, prolegomenis, accurateque selectis variorum et ineditis ante *Casp. Barthii* notis Lips. 1675. 8. Haec ἔκδοσις minus emendate repetita est Halae Saxonum 1686. 8. Lips. 1695. 8. *Cellariana* tironibus destinata, cum observationibus et indicibus *Christophori Cellarii*, Lips. 1693. 12. et 1700. 12. Denique Oxoniensis *Thomae Hearne* V. C. castigata ad MSS. et notas adiunctas vitamque Plinii a doctissimo Massono praefixam habens a. 1703. 8. *Cellarii* notis in editione Lips. 1711. 12. adiuncta scholia, profutura tironibus, auctore *M. Io. Christiano Hertzogio.* Mittimus alias pueriles.

Nostra

Nostra aetate ad Plinium edendum accessere primum *Gottl. Cortius*, instructus et libris scr. et edd. ant. sed operi eum esset immortuus, absolvit discipulus eius *Paullus Dan. Longolius* V. C. atque ita prodiit Amst. 1734. 4. Insunt solae epistolae, additis praeter selectas notas variorum suis (Cortii et Longol.) notis: quae est sane luculenta, et ut nunc est, optima editio. Nam altera *I. M. Gesneri* editio, quae et Panegyricum habet, Lips. 1739. 8. non solis doctis est destinata, qui sane et ipsi inde proficere possunt, sed maxime iunioribus, Plinium bene intelligere cupientibus: in quo genere superiores similis consilii longe superat. Ea post mortem viri repetita est Lips. 1770. additis quibusdam ab ipso adscriptis vivo in marginibus cura *Guil. Aug. Ernesti*; et nostra (I. A. E.) Epistola, qua loca plura L. X. et Panegyrici vel correximus, vel explicavimus.

Inter epistolas nobiles sunt inprimis primo, *de Plinio* maiori duae, quas e Codd. scr. egregie et constituit et illustravit illustr. *Rezzonicus* in Disquis. Plin. T. I. L. IV. pag. 110. seqq. add. Harduin. in Plinii sui T. I. pr. Post has eae, quae sunt *de Villis*, II, 17. V. 6. His recte intelligendis, quod plerisque sine figuris non datum est, non pauci operam suam attribuerunt. Ex eo genere commemorandus primum *Andr. Felibien*, qui illas epistolas fecit gallicas, cum figuris villarum ex sua opinione, et notis ex arte architectonica Paris. 1698. 4. Amst. 1706. 12. Trev. 1725. 8. etiam in eius Historiam Artificum, Pictorum etc. illatas T. VI. p. 118. Accessit et Itali *Scamozzi* talis descriptio, Italicae architecturae ita accommodata, ut illa Francicae. Post hos consulendus *Io. Maria Lancisius*, Archiater Pontif. M. in Diss. de Plinianae villae alterius ruderibus Romae 1714. f. ad calcem *Lud. Ant.* Comitis *Marsilii* de generatione fungorum, et in Lancisii operibus Genevae 1718. 4. editis: quo pertinet

etiam *Hercul. Corazzi* Diss. Italice scripta super Lancisii animandversiones. Bonon. 1717. 4. Post hunc *Rob. Castellus* Architectus Britannicus in opere splendido: the villa's of the ancients illustrated, Lond. 1728. f. Plinii epistolam utramque anglice versam et tum notis tum figuris illustrat, usus inventis Felibianis, quibus facile fuit aliquid addere: sed meliora potuisset efficere, si ab Lancisio se exorari passus esset *Marcellus Sacchetus*, et illorum ruderum, quae ipse magis ut physicus, quam architectus tractarat, Ichnographiam accurate confectam edidisset. Librum Gallicum recentiorem: Delices de la maison de Toscane et de la maison de Laurentin, par *Parfait* 12. non vidimus. Sed apud nos, in Saxonia, ingenium suum his villis describendis et accuratius delineandis addixit, ante paucos annos, Architectus clarus aulae Dresdensis *Krubsazius*, edita primum germanica illius epistolae versione, deinde additis huic notis a. 1760. in Diario Gotschediano: *de rebus novis in literis humanioribus*, videturque ille nobis multo propius ad veritatem accessisse, etiam paullo diligentiori latinitatis conservatione. In toto hoc genere difficile est artificibus aliquid perfecti efficere, vel, quia non facile latinitatis, praesertim Plinianae, intelligentiam accuratam habent, vel si maxime habent, sique etiam auctor ipse architecturae peritus fuerit et accurate expresserit omnia, tamen impediuntur hac difficultate, quod nulla talis res ita describi verbis potest, ut ex ea descriptione sola res pingi, vel alio modo figuris exprimi possit, ut et in Varrone de Re R. et Vitruvio monuimus.

L. VII. Ep. 27. *de spectris* ad examen revocarunt Halenses in Bibl. nova Sect. 34. p. 176. f. ubi et responsio ad illam exhibetur sub *Gustavi Iansoni* nomine. Gemina narratio de Pythagorico Philosopho a Luciano ridetur, Philop. c. 11. v. et Falsteri Amoenit. philol. T. I. p. 130. f. et Huetiana cap. 33.

Ad L. VIII. Ep. 8. commentarii vicem praebere potest *Alph. Cicarelli* opusculum de Clitumno fluvio Vmbriae, editum Patav. 1564. et T. IX. Thes. Italiae a Burmann. editi.

Sed inprimis a pluribus tractata est L. X. Ep. 97. de Christianis, cuius Tertullianus in Apologetico, Eusebius H. E. III, 13. Orosius, Paulus Diaconus, Syncellus, aliique meminerunt, in qua Plinius ex Imperatore rogat, quomodo cum Christianis agendum sit, in quibus praeter inflexibilem obstinationem nihil supplicio dignum potuerit deprehendere. Epistola 98. respondet Traianus, conquirendos non esse, delatos autem et convictos, nisi Christiano nomini renunciaverint, puniri oportere. Has duas Epistolas seorsim cum commentariis suis ediderunt Gerh. Io. Vossius Amstelod. 1655. 12. D. Christianus Kortholtus Kiloni 1674. 4. Easdem illustravit Franciscus Balduinus in commentariis ad edicta veterum Principum Romanorum de Christianis, Basileae ap. Oporin. 8. Conr. Rittershusius in Principe Traiano, Amberg. 1608. 8. Io. Tesmarus, Marpurg. 1681. 4. Io. Christophorus Artopoeus in Philologia loci Pliniani de cognitione instituta adversus Christianos, etc. Sed inprimis legendae *I. H. Boehmeri* Dissertationes Iuris eccles. antiqui in hanc epistolam, editae Lips. 1711. 8. add. *Sam. Petiti* de iure Principum edictis Ecclesiae quaesito pag. 40. Similis argumenti Epistolam *Tiberiani*, Palaestinae primae Consularis, ad Traianum refert Ioannes Malala Chron. p. 356. et Ioannes Antiochenus in Excerpt. Peiresc. p. 818. Ex iisdem, ut opinor, Epistolis ansa data fuit sutoribus fabularum, ut duo crassissima figmenta excogitarent et nobis proderent, quorum unum in Lucii Dextri, sive sinistri tenebrionis potius, commentitio Chronico legitur, Plinium a Tito in Creta Insula conversum ad fidem Christianam, septima Sextilis ad Novocomum martyrium obiisse,

obiisse, quod leges in adversariis Pseudo-Luitprandi p. 512. et Bivarius p. 273. alio figmento probat, auctoritate nempe ementitorum *Titi actorum*, quae Zenas legis peritus, et Apostoli discipulus, cuius Paulus ad Tit. III. meminit, in litteras miserit. Hanc fabulam praeter alios explodunt Thom. Ittigius in diss. de Patribus Apostolicis p. 101. seq. Marcus Zuerius Boxhornius, in Hist. universali p. 168. sq. cuius verba cum scholiis suis Iac. Thomasius suae Plinii Epistolarum editioni praemisit; Guil. Caveus in vita Titi Anglice scripta num. 9. et ex ipsis Catholicis Petrus Halloix ad vitam Ignatii T. 1. illustrium Ecclesiae orientalis scriptorum p. 423. Alterum commentum occurrit in Pseudo-Damasceni sermone de defunctis pag. 424. in Pseudo-Luitprandi adversariis pag. 497. in vita Gregorii M. a Ioanne Diacono scripta II, 44. Glycae Annalibus p. 240. in legenda 46. Iacobi de Voragine, Io. Sarisber. Policrat. V, 8. Vincentio Bellov. X, 68. et in Constantiensis Concilii reprobatione articulorum Io. Wiclefi art. 19. (ut alios iam omittam) quo dicitur Traianus Imperator in vitam revocatus precibus S. Gregorii I. Papae, veniamque peccatorum suorum impetrasse. Huius rei Apologiam scripserunt Alphonsus Ciacconius singulari diatriba, saepissime excusa, versa etiam Italice (vide Iac. Echardi Bibliothecam Dominicanor. T. 2. p. 345.) Franciscus de Mendoza lib. 2. de floribus sacris, Problemate 6. Alphonsus Salmero T. 14. disp. 27. etc. sed eam fabulosam censent *Alphonsus Tostatus*, *Dionysius Carthusianus*, *Dominicus Soto*, *Franciscus Suarez*, *Rob. Bellarminus* et *Caesar Baronius* apud Georgium Calixtum de bono perfecte summo p. 66. quibus adde *Blasium de Viega* et *Io. Beranum* apud Io. Gerhardum Loco de inferno §. 63. Bernardum Bruscum Veronensem in redargutione historiae de anima Traiani ex inferni suppliciis liberata: *Possevinum* et alios apud eundem Confess. Cathol. p. 246. edit. in fol. et apud Gisb. Voetium Tom. 5. disp. select. pag.

pag. 538. seq. *Gabrielem Naudaeum* pag. 14. Apologiae pro viris doctis Magiae postulatis, *Leonem Allatium* p. 123. seq. de libris Ecclesiasticis Graecorum, *Natalem Alex.* Sec. 2. part. 1. p. 113. *Paschasium Quesnellum* ad Leonem M. diss. 1. p. 285. *Halloixium* T. 1. de vitis illustrium scriptorum Oriental. pag. 420. seq. *Dionysium Sammarthanum* in Hist. Gregorii M. et *Nic. Comnenum* in praenotionibus Mystagogicis e iure Canonico, *Io. de Nicastro* in descriptione Italice edita arcus triumphalis Beneventani Traiano positi capite IV. etc. Gemina narratio de Dinocrate defuncto Perpetuae precibus ex poenis inferorum liberato reperitur in actis Perpetuae, et Felicitatis a Luca Holsteinio vulgatis: sed quam Theodoricus Ruinartus in Actis Selectis Martyrum pag. 89. 90. tantum abest, ut in dubium vocet, ut contendat egregium illum esse locum ad probandum, mortuos posse a poenis, quas patiuntur, per vivorum preces liberari.

Gallica versio elegans Epistolarum Plinii auctore *Ludovico Sacio* (Mr. de Sacy, Avocat au Conseil) prodiit 1701. 12. tribus voluminibus: recusa in eius Opp. Paris. 1722. 4. In prima editione anno 1699. 12. tantum extant libri quatuor priores. Ante Sacium interpretatus fuerat *Iacobus Buchardus*, cuius mentionem facit Sorellus in Bibliotheca Gallica, et tres libros primores *Hippolytus Iulius Pibet de Mesnardiere* Paris. 1643. 12. *Italica* versio laudatissima excusa est Romae 1714. 4. lettere di Plinio il giovane, tradotte dal Canonico *Giovanni Antonio Tedeschi*, e tra gli Arcadi *Orticolo Eleo.* Epistolae XXXV. versae Anglice a *Io. Tolando*, in Operibus eius postumis T. 2. p. 48-60. Lond. 1726. 8. universae et Panegyricus Anglice variis auctoribus, praemissa Plinii vita editae sunt Lond. 1725. vid. Mem. de Trevoux 1725. pag. 1141. *Germanice* haud contemnendo studio trans-

translatas dedit notasque addidit V. C. *Ioannes Sartorius*, Eloquentiae in Gymnasio Gedanensi Professor, Lips. 1712. 8.

IV. Ex variis orationibus, quas in demonstrativo et iudiciali genere Plinius composuit, solus exstat *Panegyricus Imp. Traiano dictus*, cum ab eo Consul designatus esset a. V. C. 856. a. C. 103. Hanc praestantissimam orationem, cuius ipse lib. 3. et 18. meminit, ad nos pervenisse bene est, vel propter historiae cognitionem. Nam licet primores tantum duos Traiani annos attingit, tamen, Plinio si careremus, etiam illos cogeremur maiorem partem ignorare, cum et *Svetonius* ac *Tacitus* quae de illo sive scripsere sive moliti sunt, nusquam exstent, et quae de Traiano prodiderat *Dio*, τὰ κατὰ Τραϊανὸν iam Xiphilini et Suidae temporibus fuerint desiderata, sicut periere etiam *Marius Maximus*, *Fabius Marcellinus*, *Aurelius Venis* ac *Statius Valens* a quibus traditam Traiani vitam testatur Lampridius in Alex. Severo cap. 49. Periit etiam poëma, quod de bello Traiani Dacico Graecis versibus scripserat *Caninius Rufus* teste Plinio VIII, 4. Epist. Est vero etiam ad eloquentiam admodum utilis. Nam etsi verum est, quod viri elegantes iudicarunt, eum nimis indulgere ingenio, et captare acumina: tamen non habemus alium latinum oratorem, ex quo rectius disci possit modus laudandi viros magnos, delectu eventorum, actionum etc. eorumque exornandorum per locos communes, sententias etc.

Exempla scripta huius Panegyrici quaedam enarrat *Christianus Gottl. Schwarzius* ad calcem editionis suae: item editiones eius ex ordine temporis, tum eas, in quibus iunctus est epistolis aut Panegyricis ceteris, tum, quae eum separatim exhibent. Epistolarum quidem editio, quae eum adiunctum habet antiquissima videtur Germanica illa epistolarum s. l. et a. quam supra commemoravi:

ravi: Panegyricorum autem ea, quae Mediolani per Fr. Puteolanum facta est 1477. 4. de qua non multo post dicemus. Editiones utriusque generis, item eas, quae solum Panegyricum habent, ex ordine temporis enumerat, additis etiam suis observationibus, idem *Schwarzius* l. c. p. 733. seq. Iam hoc per se intelligitur, quicunque hunc Panegyricum epistolis iunctum ediderint, si epistolas notis illustraverint, eos Panegyrico eandem operam navasse, ut *Catanaeum*, *Gruterum*, *Hearnium*, *Cellarium*, *Gesnerum* etc. Sed nos hic de iis dicemus, qui Panegyricum separatim edidere.

Antiquissimam igitur talem editionem reperi *Io. Locheri Philomusi* Argent. 1520. 4. quae maxime ex Puteolani et Beroaldi exemplis ducta videtur, habetque in margine Varias Lectiones, sed sine nominibus librorum, unde repetitae sunt. A. 1600. 4. Antverp. prodiit cum Comment. *Lipsii*, quae editio aliquoties repetita et subinde aucta est 1604. 1622. 1652. 12. in Comm. adeo bene meritus est de Plinio Lipsius, ut Schwarzio Sospitator Plinii dicatur. Argentor. 1635. 4. a *Io. Stoeckhero* editus est cum notis variorum: eodemque ibidem anno a *Io. Frischmanno*, quae tamen editio a priori tantum titulo differt. In ea autem usi sunt *Bernecceri* lectionibus, unde haec editio utraque etiam Berneccero tribuitur. A. 1671. Salmurii sub *Tan. Fabri* nomine prodiit, 12. sed nulla re, nisi Lipsii Commentario adiuncto. A. 1675. Amst. 8. prodiit cum ineditis *Baudii* et var. notis. Textus est ex Frischmanniana. Quae Viteb. 1689. 8. prodiit per *Kirchmaierum* editio, nihil in textu novi boni habet: notas fere excerptas e Lipsianis. In usum Delphini etiam prodiit per *Thom. Parsell* cum Baunii et al. notis, non magni pretii qualis est et ed. *Thom. Cevae* Venet. 1727. 12. Mittimus alias similes edd.

Maio-

Maioris iam conatus sunt editiones recentissimae, *Arnzenii* et *Schwarzii*, qui ante observationes Crit. in hunc Paneg. ediderat. de utraque dictum a nobis in Novis Act. Erud. 1740. et 1747. *Arnzenii* quidem editio Amst. 1738. 4. commendatur ab usu excerptorum e MSS. libris pluribus, coniecturis virorum doctorum, *N. Heinsii* et *Perizonii:* habetque notas et selectas ex edd. superioribus, et suas bene multas. Crisis V. C. est modesta et ab audacia prorsus aliena: ceterum interdum nimis pertinaciter lectiones vulgatas videtur defendisse. — *Schwarziana* autem editio facta Noribergae 1746. 4. quae superioribus sane omnibus est superior. Nam et crisis diligens inprimis est, in qua exercenda pluribus MSS. uno suo perantiquo et egregio, qui omnes Panegyricos veteres habebat, adiutus est, et diligentia insita rerum tractandarum: quippe multos annos in hoc labore versatus erat; et omnino libros veteres caste et diligenter et caute tractare didicerat. Praeterea etiam latinitatem et res amplexus est cura sua, iisque necessariam lucem afferre studuit; additis etiam aliorum virorum doctorum observationibus, coniecturis etc.

Versiones Panegyrici extant plures: *Gallice* verterunt *Iac. Bouchart* Paris. 1631. 8. *Menardier* 1638. 4. (quamquam paraphrasin potius quam versionem esse iudicant, qui legerunt) *l'Esprit* 1677. 12. *Sacy* 1704. 12. Denique *Conr. Comes de Quart* vertit addiditque notas criticas et historicas etc. prodiit August. Taurin. 1724. f. *Italica* versio extat *Genesii Soderini*, edita Venet. 1688. 12. *Germanice* olim vertit *Dieter. de Pleningen* et dedicavit Imp. Maximil. I. a. 1515. fol. nostris temporibus *Christ. Tob. Dammius* Lips. 1735. 8. *Danice* M. *Petr. Brinch*, et notas addidit, Hafn. 1704. 8. Difficile est, orationem tam brevem et acumina frequentantem bene vertere in linguas nostras.

V. Eadem Plinii oratio familiam ducit inter *XII. Panegyricos Veteres* variorum auctorum, qui Plinii Epistolis subiiciuntur in editionibus quibusdam, veteribus inprimis. Sequitur autem Plinianum

II. Claudii Mamertini Senioris Panegyricus dictus *Maximiano Herculio* Augusto, Parilibus sive die Vrbis Romae natali XI. Cal. Martii, in Gallia, (Treveris fortasse) a. C. 292. sive 289. potius. Vide Anselmi Bandurii numismata Imperatorum T. 2. pag. 71. et Antonii Pagi diss. hypaticam p. 135. De huius Panegyrici auctore dubiam litem esse ait Hadrianus Iunius lib. IV. animadvers. c. 11. ubi insignem eius locum illustrat.

III. Eiusdem Genethliacus *Maximiniani et Diocletiani* Augustorum, dictus coram Maximiano Herculio post eius quinquennalia. Ait enim auctor, alterum se sermonem, quem eius quinquennalibus praeparaverat, reservare quinquennio rursus exacto, decennalibus Imperatoris cap. 1.

IV. Eumenii pro restaurandis scholis Aeduorum Augustodunensibus Oratio ad Virum perfectissimum Praefectum Galliae Lugdunensis primae, Rictiovarum sive Riccium Varium dicta post a. C. 297. Constantio Caesare necdum Augusto. Eumenius iste Rhetor fuit Augustoduni in Gallia, non vero, ut Pighius contendit, Cliviopoli ad Rhenum. Vide Io. Braunium de vestitu Sacerdotum Hebraeorum lib. II. c. 3. p. 390. seq. et Tillemontii Hist. Imperatorum Tom. IV. pag. 47. ubi inter alia observat, Eumenii panegyricum, quem Herculio prius dixerat, intercidisse. Statuam Eumenio positam una cum vetere inscriptione habes etiam apud V. C. Io. Frid. Nilantum notis ad Benedictum Balduinum de calceo pag. 109. Ex porticu vero illa Augustodunensi, in qua omnium locorum situs, spatia, intervalla descripta fuisse, testatur Eumenius panegyrico, pro restaurandis

ſcholis cap. 20. adhuc reliquiae quaedam reſtant nuper inventae et obſervatae. Vide Memorias literarias Dombenſes ſive Trevoltinas a. 1706. p. 2097. ſeq. Idem Eumenius *ſacrae memoriae magiſter*, illis opibus atque illa generoſa liberalitate, ut ipſe cap. 11. et 14. *ſalarium*, inquit, *me liberaliſſimi Principes ex huius Reip. viribus in ſexcenis millibus d) numum accipere iuſſerunt — hoc ego ſalarium — expenſum referre* (inſtaurandis ſcholis) *patriae meae cupio.*

V. Eiuſdem (an incerti) *e*) *Epithalamius*, Maximiano Herculio et genero Conſtantino Auguſto dictus a. C. 308. in nuptiis cum Fauſta, Maximiani Imp. filia, celebratis.

VI. Eiuſdem Panegyricus, *Conſtantio* Imp. Treveris Auguſtodunenſium dictus poſt Britanniam ſuperatam a. C. 296. abſentibus duobus Auguſtis, Diocletiano et Maximiano, Caeſareque Galerio.

VII. Eiuſdem Eumenii Panegyricus, *Conſtantino* Auguſto dictus Treveris circa a. C. 309. die eius Vrbis natali, paulo poſt natalem Conſtantini (25. Iul.) Auguſtodunenſium nomine, quam Vrbem ut inviſat, petit cap. 22. Capite ultimo liberos ſuos Conſtantino commendat, quinque numero, inque his unum iam ſumma fiſci patrocinia tractantem.

VIII. Eiuſdem gratiarum actio, Flavienſium ſive eorundem Auguſtodunenſium (haec enim eſt Flavia Aeduorum: v. Tillemontium T. 4. Hiſt. Imperator. p. 189.) nomine de remiſſis debitis a *Conſtantino* Auguſto, dicta Treveris a. C. 311. Vide eundem Tillemontium p. 177. 567. 475. Antonii Pagi diſſ. Hypaticam p. 142.

 IX. In-

d) Caſaubonus *ſexagenis millibus*, a quo diſſentit Dominicus de Colonia T. 1. parte 2. hiſt. literar. Lugdun. p. 117 ſeq.

e) Steph. Vinandus Pighius in Hercule Prodicio p. 13. ſeq. hanc et duas, quae ſequuntur, proximas Orationes negat eſſe Eumenii, ſed alii cuipiam Aeduorum Oratorum attribuit.

IX. Incerti f) (fortasse Nazarii) Panegyricus, *Constantino* Augusto Constantii F. Treveris dictus a. C. 313. post devictum Maxentium.

X. Nazarii Panegyricus, dictus tertiis quinquennalibus, *Constantino* Augusto Filiisque Caesaribus Romae Cal. Martii a. C. 321. Mentio huius Nazarii apud S. Hieronymum in Chronico, et Ausonium in commendatione Professorum Burdegalensium XIV. vers. 9. Hieronymus quoque filiam Nazarii *Eunomiam* virginem Christianam, in Eloquentia patre non inferiorem celebrat.

XI. Claudii Mamertini (diversi ab eo *g*) cuius Panegyricos Maximiano dictos supra memoravi) habita iam a provecto aetate et annis gravi *h*) pro Consulatu gratiarum actio ad *Iulianum* Imp. dicta Romae Kal. Ianuarii a. C. 362. Mamertinum Promertinum, Iuliani Praetorio praefectum, vocat Adrianus Iunius lib. IV. c. 9. animadvers. Mentio huius Mamertini apud Ammianum Marcellinum XXI, 8. et 10. et XXII, 3. 7. et ipse Mamertinus curam aerarii, Praetorii praefecturam, ac denique Consulatum, omnia uno anno commissa sibi testatur cap. 21. et 22. nec non c. 1. seq. Confer Tillemontium Tom. 4. Hist. Imperatorum pag. 964. seq. et de Nazario p. 385. seq.

XII. Latini Pacati Drepanii Panegyricus, praesenti Theodosio M. Augusto dictus a. C. 361. Romae Kal. Sept. spectante Senatu, cum Imperator, interfecto Aquileiae Maximo, triumphans in Vrbem reversus fuisset. Hunc Drepanium Nitiobrigem (ex Aginno Nitiobri-

f) Aquisgranum patriam suam videtur innuere c. 21. licet Sigonius Bibractem Aeduorum intellexit. Vide Velseri Opera p. 406.

g) Confer Antoninum Mongitorem T. 2. Bibliothecae Siculae pag. 28.

h) *Canitiei* enim suae meminit c. 17. *et meliorem aevi sui partem transactam* c. 18. Nomen suum ipse memorat c. 17. *Clau li Mamertine, non frustra vixisti.* Et Collegam in Consulatu Nevitam Gothum, *adoreis militaribus gloriosum.* Vide Petri Relandi fastos Consulares p. 398.

brigum Metropoli) fuiſſe, innuit Sidonius VIII, 11. Epiſt. Proconſulem ex Auſonio *i*) intelligimus, qui eum ſaepe memorat. Filium quoque appellat, aetatis vel amoris cauſa. Ceterum alius et iunior eſt Pacatus, ad quem Symmachus ſcripſit VIII, 12. et XI, 58. 69. Epiſt. Iunior quoque Drepanius Florus hymnographus, de quo infra. Petrus praeterea Franciſcus Chiffletius in Paulino illuſtrato, alium notat fuiſſe Pacatum, qui Vranio promiſit, S. Paulini ſe vitam verſibus ſcripturum eſſe. Alius deinde Minutius Pacatus Grammaticus, de quo Socrates III. Hiſt. et Svidas in Πάκατος. Hunc Panegyricum vehementer laudavere Barthius ad Claudian. pag. 559. et Ioſ. Scaliger ad Manilii Sphaeram barbar. v. 17. et alii. Seorſim Drepanii Pacati Panegyricus *Ioannis Scheferi* commentario illuſtratus prodiit Holmiae 1651. 8. et ex auctiore editione atque emendatiore, Vpſal. 1668. 8. item Amſt. a. 1753. 4. cum notis var. et *Thom. Wopkenſii* ineditis et ſuis edidit *Io. Arnzenius*, ICtus, uſus etiam Excerptis Codicis MS. ab Gudio quondam collati cum exemplo edito. Profuiſſe etiam ſibi dicit *Chriſtiani Gottlieb Schwarzii* obſervationes Criticas ex Codice MSto. Norimbergae 1727. 4.

Hiſce in quibuſdam editionibus additur *Auſonii* gratiarum actio pro Conſulatu, dicta *Gratiano* Auguſto a. C. 379. et ſaepius edita una cum caeteris Auſonii ſcriptis, de quibus dicetur lib. 3. c. 10. H. Stephanus adiunxit etiam Panegyricos *Claudiani*, verſibus ſcriptos, et inter iucundiſſimi illius Poëtae carmina obvios. Addunt et editiones nonnullae, ut Pariſienſis 1643. 12. Panegyricum *Ennodii*, Italiae Regi *Theodorico* dictum Mediolani vel Ravennae circa a. C. 507. vel 508. editumque cum aliis Ennodii ſcriptis, etiam inter Sirmondi opera Tomo I. et aliquibus Caſſiodori editionibus, et ad calcem

i) Auſonius Tollii pag. 264. ſeq.

calcem vitae Theodorici a Ioanne Cochlaeo ſcriptae atque a Ioann. Peringſkiold V. Cl. illuſtratae, Holmiae 1699. 4. pag. 201. ſeq. cum Sirmondi et Andr. Schotti notis pag. 605. ſeq.

Panegyricos hos primus edidit, quem quidem repererim, *Fr. Puteolanus* 4. ſine l. et a. haud dubie Mediolani: qui tamen in praef. ita loquitur, ut non appareat, eum hos primum edidiſſe. Dicit, ſe Plinii Panegyrico addidiſſe. Eam editionem a. 1482. argumentis probabilibus vindicat Saxius in Hiſt. liter. Mediol. ad illum annum. Eſt et alia editio Mediol. ſ. l. et a. in cuius titulo eſt: *Fr. Puteolanus diligentiſſime recognovit*, v. eundem Saxium in Catalogo librorum Mediolan. pag. DCXI. not. r. Poſt has nullam reperi ante ed. *Georgii Cuſpiniani*, clarioris illius e fratre nepotis, qui ex patrui ſchedis edidit Viennae Pannoniae 1513. 4. multo, quam ante fuerant, correctiores. Secutus eſt *B. Rhenanus*, qui eos edidit Baſil. 1520. 8. utcunque a ſe correctos ſuo more inter legendum: et hunc *Paulus Navius* Venet. 1576. 8. qui ſine libris ſcriptis utcunque correxit vitia editionis Mediolanenſis, cuius in praef. mentio eſt in hanc partem. Tum proxime edidit cum Epiſtolis et Panegyrico Plinii *H. Stephanus* Genev. 1591. 12. cum var. lect. quae ed. repetita eſt ibid. 1632. 12. Prodierunt etiam Duaci a. 1595. 8. ex officina Balthaſaris Belleri, inſcriptique ſunt *Latino-Attici Oratores*, ſubiecta Iul. Caeſaris Scaligeri Oratione in luctu Audecti Caeſaris filii. Repetita haec editio Viennae Auſtriae 1694. 12. Plus ſuperioribus efficere tentavit *Io. Livineius*, Gandenſis, qui eos recenſuit, et notis additis edidit Antverp. 1599. 8. correctos e libris ſcr. et edd. eaque editio nunc quoque in optimis habetur. Hanc editionem repetiit, correctioremque fecit *Ianus Gruterus* additis, praeter ſuas, Acidalii et Rittershuſii notis Francof. 1607. et 1611. 12. Hiſce

Hisce Parisienses addidere, ad Plinii quidem Panegyricum, notas Catanaei, Fr. Balduini, Lipsii, et Hermanni Rayani, ad Eumenii pro restaurandis scholis et Pacati Panegyricum Theodosio dictum observationes Fr. Balduini, ad Ausonii gratiarum actionem notas Eliae Vineti et Ios. Scaligeri, ad Ennodii orationem Scholia Andr. Schotti et Iac. Sirmondi, tum in omnes Panegyricos annotata Claudii Puteani, Theodori Pulmanni, Andreae Schonhovii, non praetermissis etiam, quae ad loca nonnulla observarant Petrus Faber et Franciscus Iuretus, Paris. 1643. 12. 2. Vol. Conr. Rittershusii reliquiae coniecturarum in Panegyricos veteres viderunt lucem a. 1604. 4. Insulae, ad calcem paraeneticorum veterum Goldasti. A. 1650. editi sunt cum Plinii Epistolis ab *Andr. Rivino*, cum variis quibusdam lectionibus et notulis Steph. Casauboni, Barthii, Buchneri etc. Editio *Iacobi de la Baune* S. I. in usum Delphini adornata Paris. 1677. 4. Amstel. 1701. 8. critici boni nil habet: et nonnunquam in interpretando valde a vero sensu aberrat, et tamen non prorsus inanem illustrandis Panegyricis operam navasse existimatur. Itaque ea editio repetita est, additis variorum annotationibus, Lond. 1716. 8. *Christophorus Cellarius*, qui Plinii Panegyricum a se illustratum plus semel vulgavit cum eiusdem Plinii Epistolis, Panegyricos caeteros separato volumine, Halae Sax. 1703. 8. edidit: de qua editione vide sis Acta Erud. illius anni pag. 155. Novissime Panegyricos ad quinque Codices MSS. castigatos, cum versione Italica notisque historicis et numismatibus Imperatorum, quibus Panegyrici dicti sunt, ad exemplum Iacobi le Baune edidit *Laurentius Patarol* Venet. 1708. et melius 1719. 8. Expectata est etiam editio *Christophori Gottlieb Schwarzii*, qui Codicem veterem egregium horum Panegyricorum habuit, ut supra dictum est: Gallicam Panegyricorum versionem promisit *Io. Marius Marca Tilladetus*.

VI. Multa

VI. Multa vero alia ſcripſit Plinius, ut libros *de Helvii ultione*, quorum mentio VII, 30. IX, 13. et *Orationes*, e quibus ipſe laudat *Actionem pro Accia Variola* VI, 33. e qua Sidonius VIII, 10. Epiſt. ait, eum plus gloriae de centumvirali ſuggeſtu domum retuliſſe, quam cum M. Vlpio (Traiano) incomparabili Principi comparabilem panegyricum dixerit: *Orationem ad municipes ſuos*, cum Bibliothecam dedicaret, I, 8. et II, 5. Varia itidem luſit carmine, tam graeco, quam latino, de quibus vide VII, 4. Sed illa omnia pridem interciderunt.

Quanta cura et diligentia in ſcribendo uſus fuerit, ipſe auctor eſt VII, 17. ad Celerem: *Nullum emendandi genus omitto, ac primum, quae ſcripſi, ipſe pertracto, deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado annotanda, notaſque eorum, ſi dubito, cum uno rurſus aut altero penſito, ac ſi quid mihi credis, tunc acerrime emendo, nam tanto diligentius quanto ſollicitius intendo — — Cogito quam ſit magnum, dare aliquid in manus hominum, nec perſuadere mihi poſſum, non et cum multis et ſaepe tractandum, quod placere et ſemper et omnibus cupias.*

VII. Saepius quoque etiam in edd. antiquiſſimis ſub Plinii nomine lucem vidit *liber de viris illuſtribus*, ſed ille auctorem habet Aurelium Victorem, ut infra libro tertio videbimus. Neque *Altercatio cum Hadriano Imp.* ſive reſponſa ad interrogata Adriani, ſunt Plinii Secundi, uti in edit. Monaſterienſi a. 1597. inſcribuntur, ſed *Secundi*, ſophiſtae Athenienſis, quem *Epithyrum* vocatum eſſe legitur apud Philoſtratum lib. 1. de Vitis ſophiſtarum p. 543. ubi ἐπίξερον, h. e. *ſubſcudem* ſive *clavum ligneum* ſcribendum, recte ex Svida monuit Holſtenius et Bochartus. Apud eundem Svidam perperam legas, hunc ipſum Secundum Sophiſtam Plinium cognominatum eſſe.

Sed

Sed utique ſcripſerat Svidas: ὀυχ ὃς ἐχρηματισε Πλίνιος. De hoc Secundo dictum lib. II. Biblioth. Graecae cap. 13. p. 502. ſeq. et lib. VI. c. 10. T. 13. p. 564. ubi eius reſponſa ſive ſententiae editae. In Bibliotheca Bodleiana extant Angloſaxonica Dialecto quaeſtiones et reſponſiones inter Adrianum et Ritheum, ſub quo monſtro nominis Epictetus latere videtur. Memorat Catalogus MSS. Angloſax. in Tomo 2. theſauri linguarum Septentrionalium Hickeſiani p. 93.

Plinii huius fere aequalis fuit *Iulius Secundus* Orator, cuius elegantiam celebrat Quintilianus XII, 10. et X, 1. De eodem conſulendus auctor de cauſis corruptae eloquentiae. Neſcio an diverſus *Secundus* Orator, quem Othoni Imp. ab Epiſtolis fuiſſe, narrat Plutarchus in Othone p. 1070. E. Alius fuit *Carinus Secundus* Rhetor, quem Caligula in exſilium egit, quod exercitii cauſa in Tyrannos declamaſſet, teſte Dione lib. LIX. pag. 656. *Saturninus Secundus*, de quo Valeſius ad Sozemeni VI, 3. Alius item *Secundus Salluſtius*, de quo Ammianus XXII, 3. Ceterum admodum frequens priſcis Romanis, a numeris nomina imponere. Sic *Prima*, Romuli filia: *Marcus Primus*, praefectus Macedoniae, occurrit apud Xiphilinum Auguſto p. 71. et Dionem LIV. p. 522. *Primus* Epiſcopus Alexandrinus et alius Corinthius ap. Euſebium IV, 1. Hiſt. et 4. et 21. *T. Caeſius Primus* in voto ad Fortunam Praeneſtinam apud Petrum Pithoeum lib. IV. veterum Epigrammatum. *M. Vnicus* poëta elegiarum ſcriptor apud Martialem XII, 43. *Primulus* Martyr T. 2. Act. Sanctor. 10. Maii p. 551. *Primus* presbyter, ibid. pag. 497. *Prima* mater Maximi Pupieni Imp. *S. Prima* culta Carthagine, de qua Procopius VI, 5. de aedificiis Iuſtiniani. *Primanius*, ad quem reſcriptum Gordiani Imp. *Primigenius*, ad quem reſcriptum Carini et Numeriani. *Protus*, ad quem S. Damaſi carmen

men XXVII. *Protogenes* Grammaticus et alius pictor, de quibus in Bibl. Graeca. *Tertii* amanuensis sui meminit S. Paulus Rom. XVI, 22. *Tertia* Bruti, Ciceronis ioco notissima: altera Pauli Aemilii apud Plutarchum p. 260. et Cic. I, 46. Tertia Verrus de qua Cicero Verrina V. c. 12. *Tertulli* etiam huc spectant et *Tertulliani* ac *Tetradii*, *Pentadiique*. De *Quarto* quodam consulenda Martyrologia 3. Nov. et Bivarius ad Pseudo-Dextrum pag. 103. *Iulii Quartilli* mentio in vetere inscriptione apud clariss. Valeriani Memoires de Trevoux a. 1708. p. 1095. *Quartus* et *Quintus* Martyres T. 2. Act. Sanctor. Maii pag. 555. *Quinti*, *Quintilli*, *Quintillae* passim occurrunt, uti *Sexti* quoque de quibus Reinesius in syntagmate suscriptionum veterum pag. 847. et *Sextilii*, *Sextimii*, *Septimiique*, et *Sextus Annalis* de quo iocus Tullii apud Macrobium VI, 1. neque *Octaviorum* obscurum nomen. *Septimae* etiam cuiusdam mentio apud Ciceronem IX, 10. ad famil. ad quem locum Paulus Manutius annotat, filias haud raro ab ordine nascendi appellatas, *Primam*, *Secundam*, *Tertiam*, *Tertullam* etc. De *Tertia*, *Quartus* memorat, Paulo Apostolo Rom. XVI, 23. *Quintus Septimius* Philosophus ad cuius sectam transiisse L. Crassitium refert Svetonius de Grammaticis c. 18. *Quarta*, *Tertulla*, *Quinta*, *Decima* Ezechiel Spanhemius de usu numismatum T. 2. p. 40. seq. Tertullianus quos lib. de anima c. 37. inter Deas puerperis cultas *Nonam* et *Decimam* cum Alemona et Lucina commemorat. De *Nono* Medico dictum libro VI. Bibliothecae Graecae, *Decimi* magis etiam obvii, et pro undecies mille Martyribus, *k*) quas Vrsulae socias ferunt, nonnulli eruunt *Vndecimillam* Martyrem, pro qua *Ximillam* nescio quibus rationibus prae-

k) Similem traditionem de bis mille virginibus, Chosrois persecutionem veritis, quae in flumen se praecipites dedere, ex Zachariae Rhetoris historia Ecclesiastica refert Asemanus Tom. 2. Bibl. Or. pag. 62.

praeferunt nonnulli. Δωδεκάτης meretricis nomine Comoediam scripserat Philyllius, teste Suida. Sed missis hisce institutum nostrum persequamur.

VIII. INDEX SCRIPTORVM A PLINIO IVNIORE IN EPISTOLIS LAVDATORVM.

Sacer-

INDEX EORVM, AD QVOS EPISTOLAS SCRIPSIT PLINIVS IVNIOR.





CAPVT XXIII.

DE

FLORO ET AMPELIO.

I. *Flori aetas.* II. *Epitome rerum Romanarum.* III. *Editiones.* IV. *Argumenta librorum T. Livii.* V. *Ampelius.*

I. L. ANNAEI FLORI patria non ſatis certa eſt. Hiſpanum fuiſſe defendit Nic. Antonius Bibl. Hiſp. vet. T. I. p. 79. quo et plerique inclinant: qui et forte ex Senecarum gente fuiſſe ſuſpicantur. Sed pro Gallica origine diſputant multo probabilius Auctores Hiſt. liter. Franc. T. I. p. 255. qui ſuper hac re ſunt adeundi. In quibuſdam Codd. L. Iulius Florus, in aliis L. Annaeus dicitur, quo de vide Voſſium de Hiſt. Latin. p. 164. Hinc Volaterranus eum putavit eſſe Iulium Florum Secundum, qui ob eloquentiam laudatur a Quintiliano X, 13. qui et patruum eius Iulium Florum commemorat. Elias Vinetus vero ad Auſon. et Andr. Schottus ad Aurel. Victorem non dubitant breviarium hoc tribuere L. Annaeo Senecae, Lactantii auctoritate, ut videtur, qui VII, 15. ubi Flori ſententiam de aetatibus Populi Romani referre videtur, Senecam laudat auctorem. Sed non plane verba breviarii adducit, neque adeo ſententiam accurate; atque idem vel ſimile potuit etiam Senecae in mentem venire. Rectius itaque Voſſius cum Salmaſio eundem eſſe exiſtimat Florum, qui in Epiſt. ad Hadrianum Imp. apud Chariſium ait, ſe poëmatis delectari, et cuius in Hadrianum verſiculos refert Spartianus. Idem Voſſius Florum noſtrum ſuſpicatur auctorem Octaviae, quae inter Senecae tragoedias ultima eſt. Etiam per-

pervigilium Veneris, et verſus trochaici de qualitate vitae, ſub Flori nomine circumferuntur, de quibus dicetur libro IV. Alius *Iulius Florus* auditor Porcii Latronis, Galliarum ſub Tiberii Imperio in eloquentia primus, qui laudatur a Seneca Rhetore et Quintiliano. Alius *Florus* ſub Nerone, de quo Arrianus Diſſ. Epictetear. lib. I. c. 2. etc. Etiam *Florus* quidam loquens inducitur a Plutarcho VIII, 1. et 10. ſympoſ. Dicebant autem veteres florus pro florido, ut alii colorus pro colorato. Vide Voſſ. de vitiis ſermonis pag. 131. edit. novae, et Burm. ad Quintil. p. 993.

II. Huius Flori habemus *Epitomen de geſtis Romanorum* ſive *Rerum Romanarum libros IV.* *a*) ab V. C. ad Iani templum prima vice clauſum ſub Auguſto Imperatore. Supra lib. 1. cap. 11. obſervatum eſt, T. Livium in Hiſtoria Romana idem fere ſibi temporis ſpatium deſcribendum propoſuiſſe: unde fuerunt, qui Livii Epitomen his libris contineri dicerent. Sic in editione Florentina a. 1510. 8. Iuſtino hi libri ſubiiciuntur ex Phil. Beroaldi recenſione, hoc titulo: *Flori Epitomata quatuor quam cultiſſima in X. T. Livii Decades.* Sed a Livio non ſemel in hoc opere diſſentire Florum notavit Lipſius in Electis lib. II. cap. 5. et ipſe dicit, ſe a variis auctoribus ſumſiſſe ſua, quos, ut in tali epitome, non nominatim commemorarit. Multus autem Florus eſt in laude rerum a Romanis geſtarum, ut non tam narrare bella, quam perpetuum victoriarum paeanem, florida, ſed interdum ad Poëticam *b*) accedente dictione decantare

a) Stephanus Pighius ad Valerii Max. IV, 8. haec ſupplenda eſſe monet in Flori II, 7. 8. *Aderant Rhodii nauticus populus. Nam Rhodos opinatiſſima inſularum metropolis cum paene omnibus Cycladibus arma pertimeſcens Romam iam dudum ſe foederatam populo illi coniunxerat, et navali bello ſolatia condonabat.* Multa ex Floro repetit Iornandes de origine Mundi et actibus Romanorum.

b) Dictionem audaciorem et frigidas argutias erroreſque nonnullos

tare videatur *brevis hic et comtus Historicus*, ut vocatur a Iulio Celso p. 118. edit. Graevii. Sub Traiano scripsisse, colligitur ex verbis prooemii lib. 1. *nisi quod sub Traiano principe movet lacertos, et praeter spem omnium senectus Imperii, quasi reddita iuventute, revirescit.* Qui sub Adriano malunt, cum Nazariano Codice legunt *movit lacertos*. His assentiri liceret, si deinde diceret *reviruit*, (non *revirescit*) nec Hadriani omitteret mentionem. Quod vero ait, ab Augusto haud multo minus afuisse cum scriberet annos CC. pro eo legendum CL. sicut apud Philastrium c. CXI. pro CCCCXXX demonstravi, legendum CCCLXXX. Neque his est adversum, quod postea etiam alia scripsit Florus Hadriani aetate, unde a Charisio lib. 1. p. 38. citantur Annaei Flori ad D. Adrianum verba: *Poëmatis delector*, et p. 113. *quasi de Arabe aut Sarmata manubias.* Et Spartianus in Adriani vita cap. 16. refert, eum Floro poëtae scribenti ad se, *Ego nolo Caesar esse* etc. rescripsisse: *Ego nolo Florus esse* etc. Huic enim Floro etiam tribuunt viri eruditi, ut ante dictum, quae inter vetera poëmata vulgavit Petrus Pithoeus, de qualitate vitae, et pervigilium Veneris, et tertium quod incipit: *venerunt aliquando rosae.* Multa e Floro Iornandes, multa etiam Freculfus in Chronico, Vincentio Bellov. et alii iuniores. Ex Freculfo loca quaedam Flori restitui posse Clariss. Schoetgenius annotavit. Ceterum in castigandis antiquis scriptoribus ex sequiorum, verba eorum iam decurtantium, iam interpolantium testimoniis cautius agendum esse bene monet Rupertus ad Florum p. 108. ubi de Iornande. Florum, perpetuum Horatii imitatorem observat Rosellus Baumon in Massoni Hist. Critica Rei literar. T. 14. p. 222.

nullos in Floro reprehendit Graevius in praef. Apologiam pro Floro adversus Graevium scripsit Laur. Begerus in Prolegomenis ad suam edit. Vtramque lectu dignam commentationem recudi curavi in Praefationibus et Epistolis Graevii a me collectis et editis Hamburgi 1707. 8.

III. Editionem primam Flori definire ſatis certo non licet. Sunt enim quatuor antiquae ſine l. et a. e quibus quae prima ſit, poteſt dubitari. Sed nos in editionibus recenſendis Dukerum maxime ſequemur ducem in praefatione ad editionem Flori ab ipſo curatam. Si verum eſt, quod Chevillerius de orig. typogr. et ex eo Maettatarius tradit, T. I. pag. 85. inter decem libros Pariſiis in Sorbonae domo a. 1470—72. typis expreſſos fuiſſe et *Florum*: editio Pariſienſis in 4. ſine temporis nota erit, ſi non prima omnium, at aequalis Romanae 1472. fol. per Sweinhemium et Panartium factae, iuncto Iuſtino, ut ab aliis poſt ſaepe factum eſt. Sed nobis illa tanta aetas illius exempli incerta videtur. Inter ceteras ſine l. et a. f. eſt una gothico ſimili charactere, quam Gruterus principem dicit, Dukerus omnium antiquarum optimam reperit. Proxima Romanae eſt Veneta 1493. f. ap. Pincium inter alios, poſt Iuſtinum, quam alia Veneta 1497. f. ſecuta eſt, incerto typographo.

In fine iſtius ſeculi aut initio proximi facta eſt editio Lipſienſis, f. a. deinde aliquoties a. 1512. 4. et 1516. fol. repetita eſt. In novi ſeculi principio facta eſt editio ex recenſione *Philippi Beroaldi* iun. Mediol. 1510. fol. apud Vegium, cum Iuſtino et Sexto Rufo: eaque prima eſt recenſio Critica, ſi vere auctorem habet Beroaldum; de quo dubitaſſe Cuſpinianum patet ep. ad Vadianum ante ed. Flori Vindobonenſem 1511. 4. neſcio, quibus, et an ſatis idoneis de cauſis. Nam quod Rupertus ad Flor. II, 9. illam recenſionem contemnit, Freinshemius contra diligentem iudicat: et tum Critica facultas erat adhuc adoleſcens. An huius exempli repetitio ſit ea, quae ibid. a. 1520. f. facta eſt apud Minutianum, non poſſum dicere pro certo. Illo tempore a. 1518. primum Baſileae in fol. prodiit Florus *Io. Camertis*, qui primus annotationes ei adiunxit ex genere hiſtorico maxime, comparatis

ratis diligenter aliis historicis, e quibus plenior rerum cognitio hauriri potest: addito etiam Indice. Id exemplum Camertis saepe et ibi et alibi repetitum est: etiam Paris. 1536. ap. Wechel. quas repetitiones commemorari non est necesse. Sequitur editio Paris. 1519. f. item cum Iustino et Rufo, apud Io. Parvum: et a. 1520. Aldina, in qua Florus subiectus est Livio, ut ipsi Polybius latinus Perotti.

Proximus a Camerte Florum tractavit etiam critica manu *Elias Vinetus*, et quidem ter repetita castigatione textus, usus etiam MSS. pluribus, eiusque recensionis triplicis exempla prodiere Pictavis 1554. et 1563. 4. Paris. 1576. 4. Et haec Vineti recensio prima est satis idonea, et in textu constituendo, et in auctore vel corrigendo vel illustrando. Huic successit *Io. Stadius*, Brabantinus, nec ipse contemnendus editor, commentarii quidem historici auctor non contemnendus. Eius editionis exempla facta sunt Antverp. a. 1567. 8. et saepe post. In eius textu emendando etiam Lipsium laborasse reperi. Non tacebimus hic editionem *Sylburgii* inter Script. Hist. Rom. minores T. I. cum var. lect.

Stabianam recensionem excepit *Gruteriana*, cuius exempla prima prodiere Heidelberg. a. 1597. 8. quae, ut prioribus correctiora laudat etiam *Claudius Salmasius*. Vsus erat in primis illa editione vetere, de qua ante. Post etiam MSS. Nazariano, et Palatinis duobus usus est, post eum et *Salmasius*, in ed. altera Commeliniana anni 1609. 8. cui et Salmasii notae accessere, quas ille scripserat annos natus quindecim, et ediderat a. 1608. et Grutero dedicarat. Eas virilis doctrinae esse, multi iudieavere. Et ipse tamen in Epistola ad Berneggerum scribit: *Notae illae, quas paene puer in Germania olim vestra extrusi in lucem, nihil nisi puerile sapiunt, et infinitis praeterea mendis scatent typographicis. Eas recogno-*

scere

*ſcere et multis locis facere meliores, diu eſt in animo —
— Optimum et vetuſtiſſimum* (800. amplius annorum) *fuit exemplar Palatinae olim Bibliothecae Nazarianum, quo uſus ſum in Floro recenſendo, et eius opera innumeras ex eo auctore mendas ſuſtuliſſe memini.* Sed eas poſt etiam locupletiores fecit (Lugd. B. 1656.) ita, ut parum in iis mutaret: longe ſupra ſuperiores editores de Floro meritus. Sed Commelianam alteram eodem anno excepit Lugdunenſis, in qua libri quatuor ſunt cum notis *Eliae Vineti*, *Io. Camertis*, *Iuſti Lipſii* et *Iani Gruteri:* Epitome Livii autem cum notis *Caroli Sigonii* et *Martini Delrii.*

Poſt hos ad Florum tractandum ſe contulit *Ioannes Freinshemius*, ita feliciter, ut etſi non niſi unius Codicis ſcr. et cum ed. 1510. collati excerptis uteretur, tamen ingenii et iudicii felicitate et ſubtilitate, primo multa vitia reliqua animadverteret et feliciter corrigeret; deinde eruditionis copia etiam multa bene illuſtraret, interdum etiam ſupra modum, ut illius tempores mos ferebat. Prima huius recenſionis exempla facta ſunt Argentor. 1632. et mox ſecunda ibid. 1636. 8. aliquoties deinde ibidem repetita; noviſſimae editionis et optimae exempla ſunt anni 1669. cui et Chronologia Flori et Var. Lect. cum Ind. rer. et verb. acceſſere, In indice multa ad explicandam latinitatem pertinentia ſunt.

Interea et variae in Batavis editiones factae, ſed eae non ſunt cum iſtis comparandae et vix commemorandae, ut *Iſ. Pontani* Amſt. 1627. 35. 54. item *Zuer. Boxhornii* Lugd. B. 1632. *Iac. Zevecotii* Harderov. 1633. 12. cum notis illae fere politicis et moralibus, pro genio illius ſeculi: it. *Blancardi* 1648. etc. 8. *Rutgeri Hermannidae* Neomag. 1662. 8. adde *Minellii* Roterd. 1664. 70. 80. etc. 12. cui ſimiles *Tan. Fabri* Salmur. 1672. et *Annae* F. 1674. 4. Com-

Compilationes deinde variarum notarum factae sunt, ut per *Schrevelium* Amst. 1660. 8. addito *Ampelio* ap. Elzevir. a. 1664. 12. et Amst. 1672. 8. etc.

Sed melior fortuna Floro rediit per *Graevium* primo, deinde *Dukerum*, quos inter decucurrit *Begerus*, de quibus dicendum. Ac Graevius quidem Florum edidit Trai. ad Rhen. 1680. 8. cum notis suis eruditissimis et elegantissimis, additis variis numorum veterum aliorumque monumentorum iconibus. c) In

c) In his facile eminet, inde in Begeri etiam obvium Floro, omnium monumentorum latinae linguae propemodum antiquissimum, *columnae rostratae* in foro Romano pridem positae imago, in aes incisa ad lib. 2. cap. 2. cum Petri Ciacconii Toletani supplementis, quae lucem viderant cum eiusdem libris tribus de numis ponderibus et mensuris Rom. 1586. 1608. 8. etc. Exstat et in Aldi Manutii, Pauli F. libro de Orthographiae ratione Venet. 1566. 8. pag. 142. Lipsii Antiquis Lect. II, 14. et in Steph. Vinandi Pighii Annalibus Rom. Tom. 2. p. 25. ad A. V. C. 493. nec non in tomo quarto thesauri Antiqu. Rom. Graeviani p. 1807. in Tomo XI. p. 1383 et in Vberti Folietae libro secundo de linguae Latinae usu ac praestantia Rom. 1574. 8. et Hamb. 1722. 8. p. 154. in Arithmologia Athanasii Kircheri Rom. 1665. 4. p. 33. denique accuratius, curante Peirescio, expressa cum commentariis Gaugis Gozzei, T. IX. thesauri Italiae parte VIII. latine versis Abrahamo Preigero, ex Italicis Rom. 1635. 4. discorsi sopra l' Inscrittione della Colonna Rostrata. Conferendus etiam Io. Nic. Funccius libro de pueritia Linguae Latinae, Marburg. 1720. 4. capite 5. Hanc columnam populus Rom. consecravit memoriae *C. Duillii*, qui primo bello Punico victoriam navalem a. V. C. 493. primus a Poenis reportavit. Memorat Quintilianus lib. I. Instit. Or. cap. 7. pag. 87. literam D. plurimis verbis olim ultimam adiectam, quod hodieque in illius columnae ectypo deprehenditur, ut *pugnandod*, *dictatored*, *altod*, *marid*, *navaled*, *praedad*. Mentio huius columnae etiam ap. Plinium XXXIV, 5. Silium VI, 663. Sextum Rufum in descriptione Romae, regione VIII. Ceterum columnam rostratam non illam ipsam veterem Duillianam, quam totam ad imum fulmine discussam Livius XLII, 20. testatur, sed eius loco aliam, diu post illa tempora restitutam, et a. C. 1560. Romae in foro inter arcum Septimii et Capitolii radicem effossam hodie adhuc superesse, Viri docti non sine verisimilitudine suspicantur. Vide Sirmondi Opera Tom. IV. p. 587. 598. et Petri Burmanni praefat. ad T. IX. partem VI. thesauri Italiae pag. 22. De aliis duabus rostratis columnis Iulii Caesaris videndus Servius ad Georgic. III, 29. *navali surgentes aere columnas.* Columna rostrata in numo Augusti apud Goltzium, tabula XLVII.

In hac editione multa bene ſanata, multa bene explicata et elegantibus obſervationibus illuſtrata. Sed inprimis magnam commendationem habet haec editio a praefatione tum univerſa, tum qua criſin habet orationis Flori: quam nobis mature adoleſcentulo in Schola Portenſi in manus veniſſe et lectam eſſe gaudemus: habet enim diſciplinam quandam eleganter iudicandi formas orationis et diſcernendis tumoris inanis a vera elegantia: quam omnibus ſtudioſis verae eloquentiae commendamus.

A. 1692. prodiit Florus, ap. Wetſtenium Amſt. qui pro Graeviano altero venditatus eſt, cum ſit exemplum ed. Elzevir. 1674. additis notis, numis, praef. Graevii, ut ipſa praef. Wetſtenii docet. Nec vere Graevianus eſt Florus a. 1702. Amſt. apud Galletum cum variorum et Graevii notis: ſuntque in illa editione multae multorum correctiones temere in textum receptae. v. *Dukeri* praef. pag. 14. 15. qui et in notis paſſim vitia illius editionis tangit. Et haec facta vidente et ſilente Graevio.

Sed paullo poſt hanc a. 1704. prodiit Florus *Laur. Begeri* Berolini in f. ſive potius L. I. et II. Flori, ſplendidus ſane, et multis numorum et monumentorum figuris ornatus. Ait Begerus, ſe textum vulgatum accurate cum libris ſcriptis, in his Brandenburgico, ſecundum regulas criticas contuliſſe et correxiſſe, rationibus correctionum redditis in notis; deinde et res et verba illuſtraſſe. In praefatione porro Graevianam Criſin de latinitate Flori refellere inſtituit, nec ſine acerbitate in ipſum. Sed in nulla parte res bene viro, in ſuo genere non indocto, ſucceſſit: apparetque eum magis in colligendo laborioſum, quam in iudicando explicandoque tritum et elegantem fuiſſe: quales fere tum erant in Germania, qui ſe ad haec ſtudia contulerant.

Omnium

Omnium optima est editio *Car. Andr. Dukeri* facta Lugd. Bat. a. 1722. 8. Nam primum omnia superiorum bona habet in textu, et in notis. Insunt enim integrae Salmasii, Freinshemii et Graevii, et delectae aliorum, ut Camertis, Vineti, Stadii, Gruteri, Lipsii, Ruperti, Vossiorum, Nic. Heinsii, Perizonii, et ipsius non paucae, ab omni parte, in iudicio lectionis, verborum, rerum, elegantes et exquisitae; quarum adeo lectio plurimum prodesse studiosis huius generis doctrinae potest et ad locupletandum ingenium, et ad acuendum iudicium. In praefatione inest etiam egregia defensio Graevianae criseos adversus Begerum. Sed illa ipsa praefatio legenda est studiosis, pluribus de caussis; in qua et de praesidiis cognoscent, quibus in hac editione apparanda usus est, et de modo totius operis conficiendi. Ea editio repetita est non sine auctario a. 1744.

Mittimus editiones alias recentiores pueris comparatas, *Iunkeri*, *Maettarii*, *Reinhardi*, *Ayrmanni (Sinceri)* quarum iudicium in opere hoc nemo requiret — Nec vero commemorabimus, si quos reperimus editiones novas molitos esse, ut *Fr. Guietum*, *Io. Peyradam*, (v. Syllog. Epp. Burm. T. IV. p. 574.) aut commentarios, ut *Abr. Fabrum* et alios. Si quid est, quod tractantibus Florum aut nunc aut posthaec prodesse posse sciamus, id trademus.

Habemus ipsi exemplum Flori Freinshemiani, cui adscripta est collatio Cod. Neapolitani e Bibl. Io. Valletae, membr. 300. annorum, item Cod. Nazar. et Graev.

Pighius ad Valer. M. IV, 8. attulit *Fragmentum Flori* pertinens ad Lib. II, 7. extr. quod quidam pro genuino probavere, ut Wassius in Fragm. Hist. Begerus etiam in textum recepit. Sed id indignum esse Floro ac spurium, bene, ut nobis videtur, docuit Dukerus ad loc. cit.

Flori

Flori libris etiam lucis non parum attulere *Christoph. Ad. Rupertus* in Obss. ad Florum Norib. 1659. 8. etsi interdum plus, quam satis erat, copiosus: *Boeclerus* Comment. in Librum quartum, quanquam politica magis et moralia tractans, inter Dissert. Acad. p. 564. *Iac. Tollius* in Fortuitis, prolusurus novae editioni: *Io. Schefferus* in Ἀνεκδότοις, Obs. Misc. Dorvill. Voll. IX. p. 317. *Fr. Lud. Abresch* in Animadvers. in Aeschylum: cui cum quaedam opposuisset Dukerus in praef. ed. sec. respondit in Nov. Obs. Misc. T. VI. p. 621.

Gallice post L. Constantem libros quatuor Flori vertit *Nic. Coeffetau*, Ord. Praedicatorum, Regi Galliae a Consiliis et Episcopus Massiliensis, cuius Historiae Romanae Gallice scriptae ac Parisiis 1621. 1628. 1647. 1663. fol. editae praemittitur. Post eum versionem PHILIPPI, Ducis Aurelianensis, qui LVDOVICI XIV. frater fuit, emendatam vulgavit *Mottaeus Vayerius*, Mottaei celebris illius Sceptici filius, Paris. a. 1656. 1670. cuius vide sis Hexaemeron rusticum p. 31. etc. Et novam versionem parari a *Prevot*, notavit Diarium Londinense, History of the works of the learned a. 1703. pag. 122. Exstat et *Merici Casauboni*, *Anglica* versio cum notis, Lond. 1659. 8. et alia recentioris scriptoris cum 121. iconibus in aes incisis. Lond. 1725. 12. Latine et Anglice Florus a *Ioann. Clarkio* de Hull Lond. 1727. 8. editus est; *Danica* Magni *Wingardi*, Hafniae 1708. et nescio cuius *Italica* 1546. 8. et alia cum libello Ampelii, interprete *Santo Conto della Rocca Contrada*, Rom. 1639. 1672. 12. Venet. 1676. 12. una cum Ampelio et Sexto Rufo per *Michalem Angelum Barbonum* Rom. 1673. 12. tum *Germanica Hieronymi Brukneri*, Gothae 1679. 8. et *Polonica Christophori Georgii Falissowskiew*, Cracoviae 1646. 4.

Ad

Ad imitationem Flori, compendia hiſtoriae variarum nationum, ſub Flori nomine prodierunt, ut Biblicus, Chriſtianus, Gallicus etc. quae commemorari hoc loco non eſt neceſſe.

IV. Wetſteniana editio aliaeque non paucae exhibent etiam ſub Flori nomine *Breviarium T. Livii* ſive *Argumenta librorum Hiſtoriae Livianae CXLII.* adeoque non eorum modo, quos habemus, ſed deperditorum quoque, ſolis exceptis CXXXI. et CXXXII. uti ſupra in Livio diximus. Haec argumenta, quae in univerſis fere Livii editionibus occurrunt, habentque etiam ſubinde notas adiunctas, ut inprimis in Drakenborchiana Livii editione, a nonnullis, ut Dionyſio Gothofredo, ipſi Livio tribuuntur. Id vel hoc refellitur, quod eae non raro a Livianis diſſentiunt, ut pluribus locis etiam notavit Drakenborchius, T. III. pag. 2. IV. p. 147. 394. V. p. 137. 695. etc. Flori ſint, nec ne, non magis inter eruditos conſtat. Quidam, ut Bonifacius XV, 5. Hiſt. ludicrae, duos diverſos Floros comminiſcuntur. Sed rectius utique etiam Floro abiudicantur: unde Dukerus ea in ſua Flori editione omiſit.

V. Claud. Salmaſius Floro inſuper ſubiecit, et ex Codice Franciſci Iureti a. 1638. ex officina Elzeviriana primus edidit L. AMPELII, ſcriptoris Sidonio *d*) memorati, ceteroqui incertae aetatis, et Traiano Imp. cuius meminit, longa iunioris, *libellum memorialem*, qui inſcriptus neſcio cui Macrino, eleganti varietate narrationes totius orbis celebriores breviter complectitur, et ab eo tempore

d) Vide Sirmondum ad Sidonium p. 236. Etiam inter excerpta ex Himerii Sophiſtae declamationibus occurrit ap. Photium Cod. 243. ἐκ τῆς εἰς Ἀμπέλιον προπεμπτικῆς. Confer de hoc Ampelio Procos. Ammianum Marcellinum lib. XXVIII. cap. 4. et ibi Valeſ. L. Ampelius Antiochenus praefectus Vrbi, ante annum Vrbis 1124. Vide Reineſ. p. 117. Epiſt. ad Hofmannum.

pore plurimis Flori editionibus adiunctus saepius prodiit: in Dukeriana castigationes quoque nonnullas habet adiunctas, Nic. Heinsii et Iac. Perizonii. Salmasii vero in hunc librum promissae annotationes, cum plenioribus eius in Florum commentariis, lucem minime adspexere. Locos aliquot emendavit illustravitque Thomas Munkerus, notis ad Mytographos latinos. Reperi etiam, Ampelii librum cum Flori tetrabiblo et breviario Rufi Festi in Hetruscam linguam conversum prodiisse Romae 1639. 1672. Venet. 1676. 12. *Notizie de Mondo, volgarizzato da Santi Conti della Rocca Contrada.* Alius, ut videtur, est *Ampelius*, cuius ap. Symmachum II, 33. et V, 54. 66. (al. 52. 64.) Epist. et cuius apud Ammianum XXVIII, 4. mentio: *Illustribus ac magnificis Avieno, Senatori, Liberio, Severino, Fideli, Avito, Opilioni, Ioanni, Silverio, Clementino et Ampelio.* Alius etiam *Ampelius Eremita*, cuius vitam habes in Actis Sanctor. XIV. Maii T. 3. p. 364. seq. Nomen a vite, ut *Viticulae*, *Ampelidis*, et *Ampeliscae* etc. qualia notata Thomae Reinesio ad vet. Inscript.



CAPVT

CAPVT XXIV.

DE

C. SVETONIO TRANQVILLO.

I. *Svetonii aetas.* II. *Scripta Svetonii.* III. *Plinii Vita et liber de viris illustribus Svetonio praeter rem tributa.* IV. *Svetonii Editiones, Versiones et Codd.* V. *Scripta deperdita.*

I. C. SVETONIVS a) TRANQVILLVS, Grammaticus et Rhetor Romanus, scriptor, Vopisci iudicio, b) emendatissimus et candidissimus, Plinii c) iunioris amicus, et ab eo adscitus in contubernium, Traiani beneficio, cum ἄτεκνος esset, ius trium liberorum consecutus, Magister Epistolarum, sed ab Hadriano remotus ab illa provincia, quod apud Sabinam, uxorem Imperatoris, iniussu eius, ut ait Spartianus, familiarius se egisset.

II. Ex scriptis eius extant 1. *Vitae XII. Imperatorum*, pari libertate d) ab eo descriptae ac ipsi vixerunt: *C. Iulii Caesaris*, (quae initio mutila esse videtur Turnebo,

a) Tranquillus dici maluit, cum pater eius, Svetonius Lenis diceretur. Diversus a *C. Svetonio Paullino*, de quo Tacitus XIV, 36. et Xiphilinus in Nerone, quemque cum Tranquilli parente confundit Muretus XV, 11. Var. lect. et Xicco Polentonus in vita Svetonii nostri ap. Pighium in Annalibus Rom. III. pag. 600. Fuit et *Svetonius Octavianus*, a quo vitam Taciti Imp. scriptam refert Vopiscus.

b) in vita Firmi, cap. 1.

c) Plinius X, 95. ad Traianum. *Svetonium Tranquillum probissimum, honestissimum, eruditissimum virum, et mores eius secutus et studia iampridem, Domine, in contubernium adsumsi, tantoque magis diligere coepi, quanto propius inspexi.*

d) Hanc a Tillemontio in Hist. Imperatorum et aliis quibusdam reprehensam recte tuetur Baelius in Lexico edit. secundae: ubi etiam observat, Chronologici ordinis securum Svetonium vitas per rerum capita maximam partem digessisse, et diligentissime annotasse, quae ad vitam, mores, indolem et ingenium cuiusque Imperatoris spectare observarit.

nebo, Vrſino, Torrentio, Pitiſco, et ante hos Ludov. Vivi, qui etiam ſupplementi loco quaedam de Iulia gente Caeſariſque iuventa commentatus eſt, quae occurrunt in editione Svetonii Plantiniana cum Torrentii notis 1574. 8. et in Vivis operibus Tomo I. p. 636. ſeq.) *Octavii Caeſaris Auguſti*, *Tiberii Neronis Caeſaris*, *C. Caeſaris Caligulae*, *Tib. Claudii Druſii Caeſaris*, *Neronis Claudii Caeſaris*, *Sergii Sulpicii Galbae*, *M. Salvii Othonis*, *A. Vitellii*, *utriuſque Veſpaſiani*, *et T. Flavii Domitiani.* Hae vitae in quibuſdam Codd. et Svidae teſtimonio in VIII. *e*) libros tribuuntur, quam ſententiam in ſua edit. ſequitur Iſ. Caſaubonus: nempe ita, ut priores Inperatorum ſex vitae ſingulos libros conſtituant, Vitae Galbae, Othonis, Vitellii ſeptimum, reliquae tres Impp. de Gente Flavia octavum. At aliis, ut M. Zuerio Boxhornio et Pitiſco, qui numerum Svidae corruptum putat, ſingulae vitae ſingulos libros abſolvunt, quibus praeit Vincentius Bellovacenſis in ſpeculo Hiſtoriali, qui duodecim Svetonii libros laudat. Non praepoſtere res narrare, ſed temporum libenter obſervare ordinem, oſtendit Cardinalis Noriſius Epiſt. ad Anton. Pagium T. 4. Opp. p. 760. etſi alioqui vitam quamque ſecundum rerum genera, non plane ſecundum temporum ordinem narrat.

2. *Liber de Illuſtribus Grammaticis.*

3. *De claris Rhetoribus liber*, ſed maiori parte mutilus. 4. Ex libro *de f*) *Poëtis* eſt *Vita Terentii*, a Donato excerpta, *Vita Horatii*, quam Porphyrio ad Horat. lib. 2. Epiſt. I. diſerte tribuit Svetonio, *Vita Perſii*, *Vita*

e) Lupus Ferrarienſis Epiſt. 91. Svetonium de vita Caeſarum in duos nec magnos Codices diviſum a Marquardo Abbate mitti ſibi deſiderat: quod tamen de voluminibus capiendum.

f) Confer. Rol. Marcſii Epiſtolas p. 473. edit. Lipſienſ. 8. et Voſſium de imitatione cap. VII. §. 9. Poëſis unde coeperit, ex Tranquillo refert Iſidorus Hiſp. VIII, 7. Originum.

ta Lucani et *Vita Iuvenalis*, quam alii malunt referre ad *Probum*, ſed ex orationis convenientia Svetonio vindicat Salmaſius ad Solin. p. 320. Item e Svetonii Vita Virgiliana multa ad verbum repetit Donatus.

III. *Plinii maioris vita* Svetonio indigna eſt, ut iudicat Caſaubonus, et argumento non uno Voſſius de Hiſt. Latin. oſtendit, et Scaliger ad Euſebium non dubitat, plus quam quatuor ſeculis ſcriptam eſſe poſt Svetonii obitum. Aliam eiuſdem Plinii vitam, incerto auctore ſcriptam, vulgavit poſt alios Ioannes Harduinus. *Liber de viris illuſtribus* non magis Svetonii eſt, quam Plinii iunioris, ſed Aurelium Victorem auctorem habet, ut ſupra iam monitum eſt. Similiter falſi fuere, qui ex loco Oroſii VI, 7. *libros* Caeſaris *de bello Gallico* ad Svetonium retulere, de quibus Baelius in Lexico edit. 2. in *Caeſar.* nota 5. De Plinio tamen nonnulla, ut ex Tranquilli Svetonii catalogo virorum illuſtrium, affert Vincentius Bellovacenſis libro X. ſpeculi hiſt. cap. 67. Rabanus Maurus de arte Grammatica Tom. I. Opp. p. 46. *Tranquillus vetuſtae ſcriptor Hiſtoriae ſic de poëtis Gentilium et de poëmatibus refert: Cum primum homines exuta feritate rationem vitae habere coepiſſent, ſeque ac deos ſuos noſſe, cultum modicum ac ſermonem neceſſarium commenti ſunt* (ita ex Iſidori VIII, 7. Orig. lege pro *convenientibus) ſibi: utriuſque magnificentiam ad religionem deorum ſuorum excogitaverunt. Igitur templa illis, domibus pulchriora, et ſimulacra corporibus ampliora faciebant. Ita eloquio etiam quaſi anguſtiore honorandos putaverunt, laudeſque eorum et verbis illuſtrioribus, et iucundioribus numeris extulerunt. Id genus quia forma quadam efficitur, quae* ποιότης *dicitur, poëma vocitatum eſt, eiuſque fictores poëtae.*

 IV. Edi-

IV. Editionum Svetonii prima fuit Romana, eaque duplex anni 1470. utraque in fol. altera, cum *Io. Antonii Campani* Epiſtola ad Franciſcum Piccolomineum, Cardinalem Senenſem, Romae in pinea regione via Papae, apud Vdalricum Han: altera g) per Conradum Sweynheim, et Arnoldum Pannartz, cum Epiſtola *Ioannis Andreae*, Alerienſis Epiſcopi ad Paulum II. quam a. 1472. repetitam reperi. Ex diverſis librorum ſcriptorum exemplis ductas eſſe, collatio facta a Burmanno docuit.

His proxima facta eſt Venetiis 1471. fol. per Nicolaum Ienſon, quam vidiſſe ſe tradit Burmannus, quis ei praefuerit, aut qualis ſit, non item. Solebat Ienſonus uti opera Omniboni Leoniceni. Tum editus eſt Mediolani primum 1475. fol. per Philippum de Lavagnia cum ceteris ſcriptoribus Hiſt. Auguſtae, et praefatione *Bonaccurſii:* qui eam ed. curavit, non *Mombritius*, ut coniiciebat Burmannus: deinde 1480. f. per Zarotum, praepoſita Svetonii vita per Domitium Calderinum et Xicconem Polentonum: cuius repetitionem ſ. l. et a. reperi in exemplo Svetonii, quod eſt in Bibl. Sen. Lipſ. et Paull. Poſt has cum *Ant. Sabellici* commentariis Venet. 1490. f. prodiit Svetonius, repetitus 1493. et ſaepius. Commentarius verſatur in verbis et rebus pro illius temporis neceſſitate explicandis et illuſtrandis, e critico genere non multum habet. Melior eſt commentarius *Philippi Beroaldi* Bononienſis patris, quocum Svetonius editus eſt Bonon. 1493. f. quae editio repetita eſt, addito Sabellici commentario Venet. 1496. 1499. etc. tum ſine Sabellici commentario Bonon. 1506. in qua recognitionem factam a Beroaldo ipſo putat, recte, ut nobis videtur, Burmannus, qui et multa ab eo in textu ſuperiorum editionum mutata obſer-

g) Hanc eſſe Haniana poſteriorem docent Burm. in praef. Svet. et Mermannus de Origg. typogr. pag. 254.

obſervavit. Commemorantur et aliae Venetae, ut 1500. f. apud Zanis de Portesio, et 1506. fol. quas non vidimus; ſuntque fortaſſe repetitiones ſuperiorum Venetarum.

Sequuntur *Franticae* quaedam. Prima, quam quidem cognoverimus, eſt *Lugdunenſis* a. 1508. 12. ſine notis, a *Caſpare Argilenſi*, Bononienſi curata; quam ſubinde memorat Caſaubonus, habuit et Burmannus. A. 1509. ſimilis editio commemoratur a Burmanno, Pariſiis apud Gurmontium et ſocios, vitioſiſſima illa, etſi e MS. S. Victoris correcta dicatur. Nos eiuſdem exemplum habemus, cuius titulus eſt: *C. Svetonius Tranquillus de vita XII. Caeſarum diligentiori ſtudio a mendis prope omnibus, quas temporum vitio contraxerat, nuperrime per* Guidonum Morillonum *vindicatus, diſperſis pro lectorum uſu in marginibus annotatiunculis,* ſine anni nota: at proſtare dicitur in aedibus Io. Barbier, et Ponſeti le Preux. Praefatio eſt *Gu. Morillonii*, ſcripta a. 1508. in qua ſe dicit uſum MS. S. Victoris, ſine quo ſe rem auſurum non fuiſſe: addidit etiam *Angeli Politiani* praefationem in Svetonii expoſitionem: quae et in operibus Politiani legitur. Iam hic Morillonus valde laudatur ab Adriano Iunio, etiam P. Nannio in Miſc. L. V. initio, ut ab eius cura aliquid non contemnendi proficiſci potuiſſe videatur. Et fortaſſe haec exempla ſunt repetitiones vitioſae per typographorum incuriam: nam et noſtrum exemplum eſt vitioſiſſimum, ſed in genere typographico: et extat melior anni 1508. In margine ſunt breves notae et variae quaedam lectiones. Poſt hanc ibid. a. 1515. f. facta eſt editio cum Comm. Sabellici et Beroaldi per *Io. Kierherum*, cuius et praefatio addita eſt; eam referre, ſed non ſine vitiis, editionem Bononienſem anni 1506. obſervavit Burmannus. — Sed extat et alia Lugdunenſis a. 1520. 8. cuius nos exemplum habemus, ap. Guil. Huyon, cum praef. *Ant. Francini:* quae

quae est editio illa, in qua haerebat Burmannus (praefat. ad Svet. p. 6.) memorata ab Casaubono aliquoties, et antiquissima, ambigue sane, sed de more vulgari, appellata: habetque lectiones ex ea laudatas. In ea, Francinus dicit, textum esse, collatis in unum plurimis antiquissimis exemplaribus emendatum; quod ille valde fidenter dicit: estque ea digna, quae in nova editione, si qua futurà est, diligentius excutiatur. Redeamus in Italiam.

Ibi igitur Iuntae Svetonium edidere 1510. 8. curante *Mariano Tuccio*, estque repetita illa editio 1515. 8. sed eam repetere Lugdunensem anni 1508. reperit conferendo Burmannus. — Secutae sunt Aldinae, quarum primum exemplum factum est (v. Erasmi praef. ad Svet.) 1516. 8. curante *Egnatio:* cuius repetitiones sunt ceterae, si tamèn in iis repetitio fuit, et non tituli modo mutatio, a. 1519. 1521. Notulas etiam addidit Egnatius, pro illius temporis ratione, bonas, quas et laudat Erasmus l. c. et editioni suae inseruit Burmannus. Ipse quidem hunc suum Svetonium non dubitat *longe emendatissimum* appellare. Alii aliter et de textu Aldino et de notis Egnatii iudicaverunt. Egnatii hanc editionem, repetiere Iuntae 1519. 8.

Novi deinde exempli genus ortum est ab *Erasmo*, qui Basileae a. 1518. f. Svetonium cum ceteris Historiae Augustae scriptoribus, edidit. Textum saepe et e MS. egregio Tornacensi, et ex ingenio correxit, multa tamen et alia post correxit in editionibus repetitis a. 1531. 1533. etc. Vltima post mortem eius facta est repetitio anno 1546. Harum editionum aliquam secuti sunt omnes postea, Colinaeus, Gryphii etc. etsi in titulis iactant correctiones, emendationes, quas adeo vix commemorare attinet. Edd. Colinaei factae 1527. 1535. 8. Gryphiorum Lugd. 1534. 1539. 1551. 1558. 1565. etc. 8. et 12. E Gryphiana aliqua expressam editionem *Steph. Doleti*

1541.

1541. putat Burmannus. Argentinenses editiones a. 1515. et 1520. 4. videntur Iuntinam repetiisse: nam et Tuccii praefatio praeposita est, etsi ab ea interdum discedunt in levibus rebus. Nec magni pretii sunt aliae Germanicae, ut Colonienses 1539. 43. 8. cum Erasmi, Longolii, Egnatii notulis, et huius libris III. de principibus Rom. ut Basileenses similes. Illis Francicis vero ante memoratis omnibus, immo et ceteris praestantior, et novi optimique adeo exempli est editio *Rob. Stephani*, facta Paris. 1543. 8. in qua ille inprimis usus erat Codice claro Memmiano: cuique adeo textus Svetonii, quem nunc habemus, plurimum debet. Paucis annis post, 1548. Lugduni facta editio in f. nil habet novi boni, sed repetitos modo Sabellici, Beroaldi Comment. et Erasmi Egnatiique notulas. Melior ad usus doctorum est *Glareani* editio facta Basil. 1553. et 1560, notas habens non vulgaris doctrinae, ut ea, quae a *Theod. Pulmanno* curata est Antverp. 1574. 8. item atque adeo magis altera Antv. 1578. 12. et 1592. 4. cum erudito *Laevini Torrentii* commentario. *h*)

In Commentario in Svetonium scribendo primus operae pretium fecit *Is. Casaubonus*, propter quem eius editio omnibus superioribus praeferenda est: est enim plenus varia et exquisita doctrina; nec ille Criticam rationem

h) Hunc commentarium non Torrentii, sed alterius, nescio cuius viri docti, morte praeventi esse scribit Adolphus Occo Epist. ad Amerbachium, apud Patinum introduct. ad numismatum veterum notitiam p. 291. fide non incerta solum, sed suspicione etiam parum credibili, cum Torrentii eruditionem et characterem dictionis eius notae etiam in Horatium, et alia monumenta testantur. Sed v. tamen Burm. de hoc commentario in praef. ad Svetonium. Cum notis plurimis MSS. viri docti Svetonius Torrentii edit. anno 1578. fuit in Bibl. Hohendorfiana III. p. 281. seq. accessit thesauro librario Imperatoris. Sic credat, qui volet, Heriberto Rosweydo S.I. in lege talionis p. 131. scribenti Lipsium miratum, quod in Casauboni commentariis sua in scholis dictata legeret. Ego quidem Casaubonum sine cortice Lipsiano natare potuisse haud dubito, nec dubitabit lector sanus aequusque, qui Casaubonum ex scriptis ipsius noverit.

tionem neglexit. Primum edidit Genev. 1595. 4. cui anno post appendix notarum, et monumentum Ancyranum notis illustratum accessit. Tandem cum hac appendice prodiit illud opus Genevae 1615. Additis etiam Boecleri Diss. politicis et fragmentis Svetonii prodiit Argentorati a. 1647. 4.

Eodem fere, quo Casaubonus tempore, h. e. a. 1596. Lugd. B. Svetonium edidit *Petr. Scriverius*, in textu secutus Casaubonum, in notis Pulmannianam editionem, paucis de suo additis. Post Svetonius cum Sabellici paraphrasi, Beroaldi commentariis et annotamentorum appendice, Egnatii, Erasmi, Glareani, Pulmanni notis, Torrentii et Casauboni commentariis, *Fulvii Vrsini* notis, *Theodori Marcilii* emendationibus, notisque *Iusti Lipsii*, Paris. sumtibus Hadriani Beysi, 1610. fol. *Iusti Lipsii* in Vespasianum, Titum et Domitianum Svetonii, una cum sex decadibus Epistolarum Lipsii antea ineditarum, Offenbaci 1610. 8. cum Casauboni et Marcilii notis Paris. 1611. 4. Prodiit etiam cum Casauboni notis anno eodem, Lugduni 4. Ex *Iani* porro *Gruteri* recensione cum eius notis, in Tomo I. Historiae Augustae scriptorum Hanov. 1611. fol. prodiit, usi tribus MSS. Palatinis.

Secutus est Svetonius cum notis non indoctis *M. Zuerii Boxhornii* Lugd. Bat. 1632. 1645. 1661. 12. nam *Isaaci Pontani* editionem in 12. memorare vix attinet, item *Schildianam* cum notis Varior. et nonnullis Lipsii ac Salmasii observatt. et castigationibus Lugd. B. 1647. 8. 1652. 1662. 1667. 8.

Sed praeclara post has extitit editio *Graeviana* cum integris *Laevini Torrentii* et *Is. Casauboni* commentariis, *Theodori* item *Marcilii*, *Francisci Guieti*, *Io. Frid. Gronovii* notis, *Achillis* praeterea *Statii* et *Eliae Vincti* ad libros de Grammaticis et Rhetoribus locupletissi-

tissimoque *Matthiae Bernecceri* indice, Traiecti 1672. 4. et Hagae Comitis 1691. 4. in qua, etsi minus emendate repetita editione, praeter effigies Imperatorum ex numis Guil. Coetierii Rectoris Daventriensis, et *Guil. Goesii* coniectanea Hagae Comitis 1578. 4. seorsim edita, nec poenitenda Graevii notis separatim adiunctis augmenta accesserunt: quemadmodum in tertia eaque locupletissima editione Traiect. 1703. 4. qua vix absoluta, fatis concessit vir praestantissimus Graevius, non modo animadversiones suas auxit e Memmianis excerptis, et antiquarum membranarum collatione, sed integrum addit praeterea *Caroli Patini* commentarium, qui Svetonii Caesares e numismatibus antiquis illustravit Basil. 1675. 1707. 4. Prodiit et textus Svetonii, additis ad calcem notis Graevii Amst. 8.

Post hanc aliae magnae molis editiones factae 1. *Augustini Babelonii* in usum Delphini 1684. 4. recusa Lond. 1718. 4. 2. *Sam. Pitisci* Trai. ad Rhen. 1690. 8. Voll. 2. et Leovard. 1714. 4. locupletior etiam: 3. *Petri de Almeida*, Hagae Com. 1727. 4. in quibus nihil est, praeter compilationes superiorum Commentariorum, Lexicorum item et aliorum librorum de rebus antiquariis etc.

Et harum editionum memoriam obruit praeclara Burmanniana, quae Amstelod. 1736. 4. Voll. 2. facta est: in cuius textu concinnando, basi facta e Graeviano exemplo, pluribus antiquis scriptis et editis exemplis usus est, quorum et Var. lect. notavit: illustrandi autem caussa addidit, praeter suas eruditas notas, aliorum interpretum, meliorum quidem, totas, ceterorum autem selectas: de quibus omnibus praefatio est consulenda.

Ceterum, cum illius editionis exempla maiora essent quam pro usibus studiosorum, quippe viris modo destinata, nos, qui Svetonii lectionem ad multas res utilem

iuven-

iuventuti ſciebamus, et aliquoties in ſcholis noſtris interpretati eramus, excuſſis ante etiam illis egregii Stephani Caſauboni, Graevii et Burmanni editionibus, inſtituimus Svetonium ita edere, ut aptus eſſet lectioni iuvenilis aetatis. Itaque primum textum concinnavimus quodammodo novum, delectis lectionibus, quae nobis optimae videbantur, quibuſdam etiam novis adſumtis, *i*) ſed paucis, quae rationibus rerum et linguae certis niterentur, ceteris pro coniecturis in notas reiectis: deinde notas ipſi ſcripſimus breves ſub textu ad intelligenda difficiliora neceſſarias, longioribus diſputationibus ſub Excurſuum nomine ad calcem reiectis. Ea editio facta eſt hic Lipſ. a. 1748. 8. brevi illa iteranda.

Eodem, quo nos id egimus, tempore tale inſtitutum perſecutus erat *Franc. Oudendorpius*, Lugduni in Bat. ſed id abſolvit demum tribus annis poſt, prodiitque per eum Svetonius Lugd. B. 1751. 8. cum notis *I. G. Graevii*, *Iac. Gronovii*, *Car. Andr. Dukeri* ineditis, et ſuis. In textu nullam ſuperiorum recenſionum totam ſequitur, ſaepiſſime tamen Graevianam et Gronovianam, ſed ita, ut rationes auctorum commemoret: ſaepe ſequitur ſuum iudicium: in quo et ſcriptis quibuſdam libris uſus eſt, et edd. veteribus pluribus: bene ſane de Svetonio meritus.

Sed et de aliis minoribus editionibus velut ſupplementum eſt ſcribendum. Ergo et Oxonii facta eſt editio a. 1676. repetita 1690. 8. cum notis brevibus et ſelectis ad uſum lectionum. Tum a. 1698. Svetonium edidit *Iac. Gronovius* a Critica ratione in textu conſtituendo egregiam. Quibus addat, qui volet editionem *Chriſtiani Iunkeri* Lipſ. 1722. 8. leviſſimi illam pretii, ut hominis lati-

i) Ex eo genere eſt, quod in Aug. cap. 43. addidimus *Munera*, ſine ullo libro: quod imitatus eſt Oudendorpius: qui et coniecturam noſtram de traiectione Tit. 3. facta, in textu ſecutus eſt, probata et altera Caeſ. 43.

latino ſcribendi generi minime apti. — *Granvillii* editionem cum notis, in qua obſcena reſecta ſunt, prodiiſſe memorant Trevoltini Commentarii a. 1714. pag. 1462. Nos non vidimus.

Gallice Svetonius extat ex verſione *Guil. Michaelis de Tours*, Pariſ. 1520. 1530. 4. *Georgii de la Bouthiere* Auguſtodunenſis, Lugd. 1556. 1569. 4. Pariſ. 1616. Rothomag. 1654. *Ioannis Baudoin*, Paris 1621. 4. et ſine interpretis nomine, cum brevibus in margine notis, Pariſ. 1628. 4. nouvellement traduit, et *Bernardi Teilii*, Advocati in Parlamento ſive ſupremo iudicio (quem integra quandoque capita ſuppreſſiſſe et ſententias Svetonii frequenter corrupiſſe notant viri docti) Pariſ. 1661. 4. 1663. 12. 1667. 12. Amſt. 1663. et 1670. 12. Etiam *Henrionium* quendam accepimus novam Gallicam Svetonii verſionem paraſſe, iconibus et monumentis veteribus ornatam. Vide Diarium Londinenſe, Hiſtory of the works of the learned a. 1703. p. 222. *Italice*, *Paulo del Roſſo*, Florentino, Venet. 1539. Rom. 1544. Venet. 1550. 1556. 8. et cum Petri Angeli Bargaei de ordine legendorum ſcriptor. Hiſt. Romanae ex Italica Franciſci Serdonati verſione, Florent. 1611. 8. et *Franciſco Priſcianenſi* Florentino interprete. *Germanice* verſus eſt, interprete *Philomuſo*, hoc eſt illuſtriſſ. Comite Henrico Detlevo Holkio, Hafniae 1664. 8. quam verſionem in carcere concinnavit, et Regi Daniae Friderico III. inſcripſit. *Anglice* verſus prodiit Lond. 1670. 1690. 8. et noviſſime cum nova libera Anglica verſione, in qua idiomatis Anglici ratio, quam maxime fieri potuit, habita eſt, interprete *Ioanne Clarke*, Lond. 1732. *Hiſpanice*, Iaimo Bartholomaeo, Tarracone 1596. Explication de un lugar de Svetonio, y examen de la Deidad, que conſulto Veſpaſiano en el Carmelo, per Gaſpar de Mendoza. en Sevilla 1678. 4. *Danice* interprete eodem, quem paullo

ante

ante nominavi, Comite illustriss. Holkio. *Belgice* ab *Abrahamo Bogaert*, Amst. 1699. 8. etc.

Sed et alii commemorandi sunt, qui Svetonio prodesse voluere vel profuere aliquo modo. Commentarios perfectos moliebatur *Casp. Barthius* vid. Statium eius T. III. pag. 404. Promisit et Salmasius ad Script. H. A. p. 57. *Rich. Bentleium* molitum esse novam editionem Svetonii, in Diario Veneto traditum reperitur T. XVIII. pag. 458. quam intercidisse dolemus. Multi scripsere praeterea, quae Svetonio vel prodessent, vel profutura auctores sperarent. Nobis hi innotuere: *Marcellus Donatus* in Dilucidationibus in Varios Auctores p. 154. *Nic. Bellermontius* in Diss. in Tacitum, Svetonium etc. Basil. 1626. 8. E commentariis, quos *Berneccerus* in Svetonium parabat, editae sunt diatribae quaedam in Caess. Argent. 1624. fol. etc. item 1654. 4. Sunt fere e genere politico. In ceteris nil admodum literis periit. — *Nic. Fabri* plures observationes reperiuntur in eius semestribus, ut L. I. c. 2. 5. 6. 18. etc. Quaedam etiam loca tractantur in Obss. Misc. Dorv. Vol. VI. pag. 598. seq. Huc pertinent etiam *Perizonii* notae, in scholis eius exceptae, et a quodam *Christ. Phil. Koelnero* editae Vratisl. 1725. 8. In *Titum Emendationes et interpretationes novas* edidit *Theod. Marcilius* an. 1603. quas vehementer perstringit Casaubonus ad Vopisci Carin. princ.

Codices scripti, praeter eos, qui iam usurpati sunt a viris doctis, pluribus locis servantur: Quatuor in Bibliotheca Taurinensi, duo membranacei, duo chartacei, sed de Sec. XV. omnes. vid. Catal. MSS. Taurin. T. II. pag. 132. 357. alius in Bibliotheca Tigurina, item in Bernensi: duo in Bibl. Guelf. alium in Bibliotheca S. Georgii vidit Abbas Gerbertus. v. Itinerar. pag. 453. Varietas e MS. Giphanii est in Obs. Miscell. Tom. IX.

pag.

pag. 328. f. De Codice Lyseriano dictum est in praef. editionis nostrae.

Scripta reliqua, de Grammaticis, Rhetoribus etc. edita sunt et illustrata una cum Vitis Caesarum: sed in primis edd. non reperiuntur. Immo cum Plinio fere, item cum Victoris viris illustribus et Obsequente, ut Paris. 1544. et Basil. edita sunt. Libellus *de Grammaticis et Rhetoribus*, primum, ut opinor, editus est Florentiae anno 1478. 8. cuius editionis exemplum est in Bibl. Sen. Lips. In fine additum est post verba *abstinuit cibo:* Nil amplius reperitur. Id exemplum conferre cum editis non sine fructu poterit futurus editor Svetonii. Alia ed. est Venet. s. l. et a. cum Apicio, ap. Bernardinum Romae 1565. 8. prodiere *Svetonii* L. II. de ill. Grammaticis et Rhetoribus cum *Achillis Statii* commentatione. Lutet. 1565. 8. etiam Argentinae 1521. e recensione *Phil. Beroaldi.*

V. Multa alia scripserat Svetonius, quae interciderunt. Ex his fuere: περὶ τῶν παρ᾽ ἕλλησι παιδιῶν, *de ludis Graecorum* lib. I. Svid. in Τράγκυλλος, et Servius in V. Aeneid. ubi male excusum *de puerorum lusibus.* Laudant etiam Ttetzes Chil. VI. hist. 85. et Eustathius ad Iliad. α. *Lib. I. Historiae ludicrae* Gell. IX, 7. *De spectaculis et certaminibus Romanorum*, περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις θεωρικῶν καὶ ἀγώνων lib. II. Svid. περὶ τοῦ κατὰ Ῥωμαίους ἐνιαυτοῦ, *de anno Romano* lib. I. id. περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων, *de notis, quibus Critici in libris utebantur* lib. I. id. περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας, *pro Ciceronis Republica* adversus Didymum Chalcenterum Grammaticum (qui Ciceroni maledixerat teste Ammiano XXII. ult.) Svid. περὶ ὀνομάτων κυρίων καὶ ἰδεῶν ἐσθημάτων, καὶ ὑποδημάτων, καὶ τῶν ἄλλων, οἷς τις ἀμφιέννυται, *de nominibus propriis, et de generibus vestium*, Svid. et Servius in VIII. Aen. περὶ δυσφήμων λέξεων ἤτοι βλασφημιῶν, καὶ πόθεν ἑκάστη, de

de vocibus mali ominis ſive maledictis, et unde quaecunque, Svid. et Etymol. in ἀρχολίπαρος. Περὶ Ῥώμης, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ νομίμων καὶ ἠθῶν, *de Roma eiuſque inſtitutis et moribus* libri II. Svid. In hoc opere fortaſſis tradiderat etymologiam vocis triumphi, quam e Tranquillo affert Iſidorus XVIII, 2. Originum. Στέμματα Ῥωμαίων ἐπισήμων, *Stemmata* ſive *Genealogiae illuſtrium Romanorum*, Svid. *Libri III. de Regibus*, quos carmine in epitomen coëgerat Paulinus, teſte Auſonio Epiſt. XIX. *De inſtitutione officiorum*, Priſcian. lib. VI. *Praetorum liber octavus*, id. libro VIII. *De vitiis corporalibus*, Serv. in Aeneid. VIII. *De rebus variis*, id. et Chariſius lib. 2. Etiam in Iſidori Hiſp. libro de natura rerum c. 37. quaedam nomina ventorum e Tranquillo referuntur, et c. 38. locus magnus de ſignis tempeſtatum ex *Tranquillo in pratis:* ſed puto legendum *in variis*. Ioannes Grialus legit *in pratis*, ut λειμῶνας ſive *prata* inſcripſerit libros ſuos de rebus variis: alii *in parergis* vel *Arateis:* quae lectiones minus placent.



CAPVT



CAPVT XXV.

DE

APICIO.

I. *Apicii libri de re culinaria.* II. *Eorum Editiones.* III. *Apicii plures.*

I. Caelii Apicii patria, ut suspicabatur Carolus Avantius *a*), Hispani, de obsoniis et condimentis, sive *de re culinaria libri X.* inventi sub Nicolao V. Pontifice in Insula Megalona *b*) ab Enocho Asculano cum Porphyrionis in Horatium Scholiis, ut tradit Leander Albertus Bononiensis in descriptione Italiae pag. 267. et Philippus Bergomas in Chronici continuatione ad a. C. 1454. qui *M. Caecilium* appellat. In eundem semilacerum et squalore obsitum Apicii codicem, centum fere annis interiectis, incidit *Albanus Torinus*, ut ipse testatur praefat. ad suam horum librorum editionem.

Listerus *Apicium* pro titulo libri habet, *Caelium* vero pro nomine auctoris, puta Aureliani, an alterius, ita ut tota inscriptio ex ipsius sententia sit: *Apicius Caelii de re coquinaria.* Sane Apicium auctorem non esse vel inde colligas, quod lib. VI. cap. 7. disserens de phoenico-

a) Vide Io. Rhodium de acia cap. 14. pag. 155. Ceterum Nic. Antonius in Bibliotheca vetere Hispana nullam Apicii mentionem fecit.

b) Platina in vita Nicolai V. p. 325. Glandorpius in Onomastico pag. 105. Baelius in Lexico, ubi de Apicio disserit. Iac. Cuiacius XVI, 5. Obs. et Vossius in Aristarcho pag. 133. edit. novae a. 1695.

nicoptero, de avis illius lingua ſilet; tamen Plinio X, 48. teſte, *phoenicopteri linguam praecipui ſaporis eſſe Apicius docuit, nepotum omnium altiſſimus gurges.* Hinc a nullo Apiciorum ſcriptos hos libros iudicat etiam Petrus Burmannus praef. ad Petronium. Et ad Taciti IV, 1. 3. Annalium Theodorus Ryckius, cum ex ſcholiaſte Iuvenalis IV, 23. retuliſſet, Apicium *auctorem praecipiendarum coenarum, qui ſcripſit de iuſcellis*, ſubiungit, lurconem hunc videri ſcripſiſſe, *modo Grammaticus deceptus non fuerit. Exſtat enim adhuc libellus Coelii Apicii de re culinaria. — Videtur opuſculum iſtud excerptum ex maiori opere, cuius particula de iuſculis vel iuſcellis: excerptori autem nomen fuiſſe Coelio. Et forte titulus fuit Coelii Apicius, ſive de re culinaria, ut Dionyſii Cato, ſive moribus.*

Liber primus inſcribitur Ἐπιμελὴς, ſecundus ἀρτόπτης, ſive, ut rectius in Hummelbergii editione et MS. Vaticano, Σαρκόπτης, tertius Κηπȣρικὰ, quartus πανδέκτης, quintus ὄσπριος ſive leguminarius, ſextus τροφήτης in edit. Lugdunenſi et Baſil. pro quo *Tropetes* in MS. ſive potius (ut emendat Hummelbergius) Ἀεροπετὴς, ſeptimus πολυτελὴς, octavus τετράπȣς, nonus θάλασσα, et decimus ἁλιεύς.

II. Antiquiſſima, de qua nobis conſtat, eſt editio Veneta cum Svetonio de Rhet. et Grammaticis, ſine l. et a. apud Bernardinum Venetum. Mediolani factae ſunt duae: altera 1490. 4. per Blaſium Lancilotum, altera 1498. 4. per Guilelmum Signerre Rothomagenſem. Ei proxima eſt Veneta 1503. 4. ap. Ioannem de Tridino: ex qua et MS. ſupra memorato ſuam confecit *Albanus Torinus*, Baſil. 1541. 4. additis excerptis ex Io. Damaſceno de variis condituris, et Paulo Aegineta de facultatibus alimentorum, cum libris decem *Baptiſtae Platinae*

tinae c) Cremonensis de tuenda valetudine, natura rerum et popinae scientia. Recusa haec eodem anno forma octava Lugduni *d*) apud Gryphium. Anno post, Apicii libros castigatos notisque illustratos recudi curavit *Gabriel Hummelbergius*, Tiguri 1542. 4. quem Torini editionem pro lubitu mutasse ait Barthius p. 1576. Adversar. cum tamen nec Hummelbergii editionem tum vidisset, ut lib. 38. cap. 18. diserte innuit, neque Hummelbergius, cuius editio eodem, quo Toriniana, tempore sub praelis versata est, Torini Apicium oculis usurpasse videatur. Idem itaque Barthius, inspecta tandem Hummelbergiana editione, p. 1714. eum multa ex MSS. et ingenio feliciter restituisse haud diffitetur. Vide Martini Listeri praef. ad Apicium. Vide etiam Lambecium lib. 3. de Bibliotheca Vindob. pag. 352. Denique idem, quem modo laudavi, Reginae Annae Medicus insignis, *Martinus Listerus*, Apicium cum variis lectionibus et notis tum Hummelbergii, sum suis vulgavit Lond. 1705. 8. Cum vero illius editionis centum vix et viginti exempla fuissent excusa, egregius Vir, *Theodorus Iansonius ab Almeloven*, eandem non modo recudi curavit Amstelodamensibus typis a. 1709. 8. sed etiam excerptas ex Barthii Adversariis, variisque lectionibus Reinesii, et Antonii

c) In editione Argentinensi a. 1517. 4. hoc Platinae opus separatim excusum inscribitur: *de honesta voluptate et valetudine, vel de obsoniis et de arte coquinaria libri X.* in praefat. Platina ait se imitatum *Catonem virum optimum, Varronem omnium doctissimum et Columellam ac Caelium Apicium.* Italica Apicii versio subiuncta Platinae de obsoniis, in edit. Veneta 1516. 4. Vide Francisci Arisii Cremonam litteratam pag. 318. E graecis hoc argumentum olim tractaverat Pancratius quidam sub Leone et Zenone Imp. clarus, teste Svida, ut alios Athenaeo laudatos omittam.

d) Inter MSS. Marquardi Gudii, editio Apicii Lugdunensis exstabat collata cum antiquo codice, litteris fere iisdem scripto, quibus Pandectae Florentinae, hodie obvio in Bibliotheca Vaticana, inter libros, qui fuere Ducis Vrbinatium et deinde Romani palatii, extincta familia Ducali, quae Ducatum istum a Romanis Pontificibus in feudum tenuerat.

nii von der Linden obſervationes adſperſit, indicemque ſubiunxit longe locupletiorem, et lectiones Codicis antiquiſſimi Vaticani *e*) a me transmiſſas addidit.

Libri quarti cap. 1. *Salacacabia Apiciana*, libri quinti cap. 4. *Apiciana conchicla*, libri ſeptimi c. 4. *ofſulae Apicianae*, libri octavi cap. 7. et libri ſexti cap. 4. *ius frigidum crudum Apicianum* memorantur: quae obſoniorum cocturarumque genera nomen accepiſſe videntur vel ab Apicio quodam, *f*) Nicomedis Regis aequali, quem ἐπὶ ἀσωτίᾳ πάντας ἀνθρώπους ὑπερηκοντικέναι, narrat Poſidonius apud Athenaeum libro IV. Dipnoſoph. pag. 168. de quo Svidas in ἀφύα, et forte in Μάρκος Ἀπίκιος. Ab hoc Marco panes ſaccharo conditi vulgo etiamnum dicuntur *Marci panes*, ut notat Balthaſar Bonifacius IX, 5. ludicrae: vel potius ab alio quodam iuniore M. Gavio Apicio, qui ſub Auguſto et Tiberio fuit *ad omne luxus ingenium mirus* et *nepotum omnium altiſſimus gurges*, ut a Plinio Maiore IX, 17. X, 48. appellatur: Ἀσωτίας πέρας, Eunapio et Dione teſte, πάντας ἀνθρώπους ἀσωτίᾳ ὑπερβαλών, qui eius παιδικὰ fuiſſe narrat Seianum, in Tiberii deinde aula Miniſtrum principem. Huius mentio apud Senecam Epiſt. 95. et 120. lib. de vita beata cap. 11. et conſolat. ad Helviam cap. 10. Dionem lib. 57. pag. 616. Tacitum IV. Annal. Martialem III, 22. Svidam et alios, fortaſſis etiam apud Aelianum II, 42. de animal. niſi ibi pro Ἀκόλον

e) De Bibliothecae Ieſuitarum Romanae Codicibus MSS. Iſaacus Voſſius ad Nic. Heinſium a. 1646. T. 3. Sylloges Epiſtolarum Burmannianae p. 566. *Nihil in ea ſingulare quam libri aliquot a* Mureto *collati cum Codicibus ſcriptis, an bona fide, neſcio. Eſt inter eos Codex* Apicii *de re culinaria, vulgatis multo auctior et emendatior, cuius libentiſſime apographum habuiſſem, ſi per Patres Collegii licuiſſet.*

f) Lib. 7. cap. 14. Varro citatur his verbis: *Varro ſic utique de bulbis dixit: Aqua decoquant bulbos qui Veneris oſtium quaerunt* etc. De betaceis Varronis lib. 3. c. 1. et confer Turnebi Adverſ. lib. 11. c. 3. lib. 8. c. 7. Porcellum Vitellinum puto dici a lurcone Vitellio, de quo Lampridius in Heliogabali vita: ***coenas et. Vitellii et Apicii vicit.***

λον non legendum Ἀπίκιον cum Gesnero, sed Κρωβύλον. Confer Aelian. IV, 16. Var. Hist. Porro Apicii nomen pro quovis guloso occurrit apud Iuvenalem Sat. XI. Sidonium Epist. IV. 7. etc. qui et *Apicianos plausus* dixit IV, 25. Meminit quoque Tertullianus cap. 5. de pallio, et cap. 4. Apologetici, et cocorum veluti sectam quandam ait dictam esse ab Apicio, ut Grammaticorum ab Aristarcho, Medicorum ab Erasistrato. Apionis Grammatici liber περὶ τῆς Ἀπικίου τρυφῆς sive de ganea Apicii, memoratur Athenaeo lib. VIII. Ab hoc Apicio *placentas Apicianas* idem Athenaeus dictas refert L. I. et XIV. et *condimentorum Apicianorum* meminit Tertullianus lib. de anima, *cocturae Apicianae* Plinius XIX, 8. qui etiam VIII, 51. inventum Apicii fico arida saginandi sues recitat. Alias eius delicias vide apud Lampridium in Elagabalo cap. 20. De Aelio vero Spartianus c. 5. ex Salmasii lectione: *atque idem Apicii relata* (hoc est scripta) *idem Ovidii libros amorum in lecto semper habuisse.* Praeter hos duos Apicios tertii *g*) quoque gulae magistri eodem nomine mentio est apud Athenaeum libro primo, cuius verba Svidas in voce ὄστρεα exscripsit. Ille fuit aetate Traiani Imperatoris, cuius nomen ne apud Svidam corruptum suspicemur (cum Lipsio ad Taciti IV. Annal.) vetat ille, quem dixi Athenaeus. Ecquis vero ex trium horum numero auctor sit illius de re cibaria sive coquinaria operis, non ita promptum esse dictu videtur. Nemo sane primo illi tribuet; hic enim non potuit illa condimenta Apiciana, aliorumque iuniorum lurconum obsonia, commemorare. Alter vero sub Augusto et Tiberio, ne easdem causas iam adducam M. Gavii, non *h*) Caelii vel M. Caecilii

g) Sic apud Graecos plures eiusmodi fuere luxuriosi comedones, Philoxeni nomine, de quibus Athenaeus.

h) Nisi aliae causae obstarent, forte hoc argumentum a nomine petitum exigui momenti esset. Nam fatetur Torinus, se lacero et

cilii praenomine utebatur. Reliquus itaque tertius fuerit, cui per me libros illos cum viro Clarissimo Olao Borrichio Cogitatt. de variis Latinae Linguae aetatibus p. 18. adscribat, qui non cum Listero suspicetur, potius ab argumento, quam ab auctore, nomen Apicii praefixum gerere, excerptumve ex maiore opere, vel ex variis scriptoribus contractum fuisse, cf. Barthium lib. 34. Adversar. c. 18. et Vossium lib. 1. c. 14. de Analogia, qui pariter coniicit, auctorem horum librorum esse *M. Caelium* quendam vel *Caecilium*; hunc autem operi suo nomen Apicii indidisse, quia ageret de re culinaria. Sic Stephanus Stephanius ad Saxonem Grammaticum p. 13. *Pari prorsus modo Coelii libelli, de re culinaria* Apicii *titulum sunt sortiti, cum ad Apicium illum non pauca referantur.* In Latini Latinii Bibliotheca profana, ubi quaedam illius viri docti in Apicium observationes leguntur, ad verba editoris, ubi in praefat. ait: *se statim olfecisse auctorem esse vetustissimum,* haec nota occurrit; *Quam vereor, ne tuae nares obesiores fuerint. Quid enim vetustatis redolere possunt verba semibarbara et ab eo florenti seculo prorsus aliena? Ego vero, ut quod sentio paucis expediam, commentum puto esse hominis otiosissimi, qui cum illudere posteris eiusdem naris facile sibi esse persuasisset, mentito nomine Apicium credidit vendidare posse. Sed passim occurrunt quibus paene manifesto prodit seipsum auctor ineptus, barbarus*

et squalore obsito in codice vix nomen divinasse. Et Isidorus Hispalensis lib. 20. Originum c. 1. huic Apicio libros illos tribuere videtur his verbis: *Coquinae apparatum Apicius quidam primus composuit, qui in eo absumptis bonis morte voluntaria periit.* Scholiastes quoque Iuvenalis ad Sat. 2. v. 23. *Apicius auctor praecipiendarum coenarum qui scripsit de iuscellis, fuit enim exemplum gulae.* Neque Is. Grangaeus ad illum Iuvenalis locum dubitat eundem M. Apicium auctorem esse decem de re coquinaria librorum quos habemus. Quod vero Volaterranus libro 13. Anthropologiae et ex eo pro more R. Stephanus in elucidario poëtico ait Suidam testari quod M. Apicius libros de gula conscripserit, vellem locum indicassent. Haec enim apud Suidam non reperio.

rus et nullius in ea arte ingenii aut gustus, qui ea interdum coniungat ad saporis gratiam, quae, usu docente, omnes scimus summam palato molestiam nauseamque stomacho creare solere. A Latinio, qui absurda, et palato ingratissima fercula in Apicii libro commendari monuit, longe diversum sentit idem Listerus, cuius haec sunt verba: *At propterea tamen haec antiqua condimenta, quod forte protinus non placeant aliquibus, non abiicienda sunt. Nam ipsos veteres a pipere olim abhorruisse, testatur Plutarchus, tristesque citrorum succus aegre tulisse, et per multa saecula tantum inter vestimenta in arcis suis, odoris gratia, reposuisse, omnium fructuum tamen utilissimum ac saluberrimum: nec minus a sale abstinebant terrae Indiae occidentalis homines: qui crederet lupuli flores in quotidianum potum admitti potuisse, iisque tantam hordei dulcedinem, oeconomiae solum gratia nos summa amaritudine libenter infici voluisse? Fructus plerique Americani odoratissimi sunt, ideoque nostris Europaeis primo certe adventu valde ingrati, contra Americanis nostri, quod isto vehemente odore fere careant, fatui videntur. Et huiusmodi sexcenta sunt, si omnia persequi luberet, quae praeter gustum, in victum tamen vulgo recepta sunt: profecto vel alienissima palato condimenta sola consuetudo tandem domat adoptatque. Itaque* Latinus Latinius *inconsiderate admodum atque inepte nostrum Apicium perstringit propter nescio quae condimenta, sibi si Diis placet nauseam motura.* Haec ille. Quartum aliquem Apicium auctorem horum librorum praeter rem suspicatus est Is. Casaubonus ad Lampridium pag. 333. Ceterum de numero Apiciorum dubitat Contarenus Var. Lect. cap. 27.

Observandum interim, in Palladii libris de re rustica occurrere nonnulla, quae similiter leguntur etiam

apud Apicium. Antiquiſſima Viri Illuſtris *Vinidanii i)* excerpta ex Apicio laudat Salmaſius ad Solinum p. 253. 358. et 750. edit. Traiectinae. *Vindiciani* appellari obſervo apud Voſſ. lib. 1. de vitiis ſermonis cap. 11. per errorem (ni fallor).

Nonnulla huius ſcriptoris illuſtravit Caſpar Barthius in Adverſariis, Io. Bruyerius Campegius in Dipnoſophia, Lud. Nonnius in IV. libris diaeteticon etc. Fertur et larvati ſcriptoris, Polyonymi Syngraphei, Schola Apiciana, excuſa Francof. 1534. apud Egenolphum. De Graecis ὀψαρτυτικῶν ſcriptoribus conſulendus Iungermannus ad Pollucis lib. VI. ſect. 71. 72. et Caſaubonus ad Athenaeum XII, 3. De recentioribus Nic. Antonii Bibl. Hiſpana in Franciſco Martineſio Montino. Inter hos celebrati ſunt praeter Platinae k) ſupra memoratum opus, *Bartholomaei Scappi* ſex libri Italice editi, Venet. 1570. 1571. 1605. 4. *opera di Meſſer Bartholomeo Scappi, cuoco ſecreto di Papa Pio V. Williami Kingii*, ingenioſum poëma Ox. *the art of Cookery.*

i) Vindanonii nomen notum ex Photii Codice 163. et Graecis Geoponicis

k) Ad Platinam Iac. Sannazarius lib. 1. Epigrammatum:

Ingenia, et mores vitaſque obituſque notaſſe
Pontificum, argutae lex fuit hiſtoriae.
Tu tamen hinc lautae tractas pulmenta culinae,
Hoc, Platina, eſt ipſos paſcere Pontifices.





N O T A.

T. II. p. 202. ubi memoravimus, *Gesnerum* in animo habuisse novam Plinianae historiae editionem curare, lapsi sumus memoria, cum ei copiam fuisse diximus Codicis Corbeiensis. Sed post reperimus in Eyringii V. C. Biographia Gesneri T. III. p. 352. eum fuisse oblatum ab aliquo in vicinia Goettingensi, qui, ut opinamur, nomen suum edi noluit. Itaque nec nos scimus aut docere possumus, ubi locorum ille Codex et apud quem sit. Habebat autem etiam exemplum Pliniani operis a Petr. Francio cum Cod. scr. collati, quod ipsum in quas tenebras migrarit, nescimus.